GEORGII MENTZII
AMEONOBURGENSIS,
E SOCIETATE JESU, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET IN OTTONIANA BAMBERGENSIUM ACADEMIA SACRARUM LITERARUM PROFESSORIS

FAVUS DISTILLANS

SIVE

MEDULLA DAVIDICA,

ID EST

PSALMI DAVIDIS CL.

IN

Meditationum formam concinnati, variis punctis, affectibus, & orationibus interſtincti: ad Horas Canonicas tum majori cum fructu ac merito; tum guſtu devotionis, mentiſque ſolatio ſuaviori, ſive privatim recitandas, ſive publicè in Eccleſia, & Choro decantandas.

UNA

Cum explicatione eorundem, juxta diverſos Scripturæ ſenſus; atque documentis aſceticis, & moralibus pro exhortationibus, & concionibus appoſitis,

PARTES TRES.

BAMBERGÆ,
Sumptib. JOAN. ARNOLDI CHOLINI Bibliop. Francofurt.
Anno M DC LXIX.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo. Pſal. 118.

DEDICATORIA
PROPHETÆ PSAL-TIQUE REGIO
S. DAVIDI
GLORIÆ ET BEATITATIS INCREMENTUM.

REX SANCTE.

QUanta ſit coram Divis Cœlitibus BEATÆ MAJESTATIS TUÆ gloria (de gloria accidentali loquor) per Pſalmos B. M. T. quotidiè Deum in Eccleſia diu, noctúq; laudari, non poſſum ego intellectu meo aſſequi: nec enim, ſi Apoſtolo credimus, in cor hominis aſcenderunt, quæ in iſta beatitudine cœleſti præ-

paravit Deus diligentibus ſe. Iſtam tamen ego gloriam, uti ex intimis animi mei medullis, ac viſceribus M. T. faveo & gratulor; ita ad incrementum ejus, quod in Dei majorem gloriam ſemper redundet, ut aliquid conferam, has divinorum carminum tuorum Meditationes, & Expoſitiones eâ intentione ſuſcepi ſcribendas; ut non verba modò tuorum Pſalmorum ore, linguáq; proferremus, ſed ſenſus etiam altiſſimos, affectúsq; ſanctiſſimos in iis reconditos penetraremus: atq; ita non tantùm ore, ac verbis; ſed ſenſu etiam eodem, affectúq; Divinam tecum Majeſtatem laudaremus, & ſacratiſſimæ teſtudinis tuę modulis qualem qualem concentum noſtrum ſociaremus.
Audax conatus, & factum pene impudens, ranam è palude ſuâ, vel coaxatione inconditam Hymnodiis cœleſtibus miſcere, iíſq; obſtrepere velle; vel ſterili cogitatione in profundiſſimos ſenſus, affectúsq; tuos entheos penetrare tentare; tibíq; inſuper inconcinna, & abſona illa offerre, & dedicare.

Verùm

Verùm ſicut à ruſtica manu viliſſima dona ſummis Regibus terræ oblata, animo regio, & acceptata; & regia cum munificentia repenſa legimus, quod obſequioſus devotæ voluntatis affectus illis placeret. Ita equidem etiam exiguam bonæ voluntatis meæ teſtificationem non ingratam omni ex parte fore confido, illi qui boni omnis fontem Deum, in quo eſſentiali beatitate immerſus eſt, etiam per hoc, imitamento referre exoptet; ut pius voluntatis bonæ affectus præ effectu & opere, tuam benevolentiam, ſi non remunerationem, conſequatur.

Suſcipe igitur exiles hos labores meos, & Numen cœleſte pro me interpella, ut divinos Hymnos tuos, & Carmina ita decantemus in Eccleſia Militante, ut tecum in Triumphante Cœleſti *Miſericordias Domini in æternum cantare* mereamur.

Ita humillimè & demiſſiſſimè precatur,
& apprecatur

Beatæ in Cœlis Majeſtati tuæ

Terræ Vermis

G. M.

AD LECTOREM.

LAbia Sponſæ Chriſti, Militantis, inquam, in his terris Eccleſiæ, dum vel abſentiam ſuam à Sponſo ſuo cœleſti Davidicâ Pſalmodiâ conſolatur; vel Sororis ſuæ Eccleſiæ Triumphantis in Cœlo Hymnodiam æmulatur; vel ad eam certè adſpirat, & ſuſpirat deſiderio: Favo diſtillanti, Sponſus ipſe Divinus dulciter comparat Cant. 4. *Favus diſtillans labia tua Sponſa, mel & lac ſub lingua tuâ.*

Ad quam mellis, lactiſq; dulcedinem Pſalmodiâ Davidicâ comprehenſam (quod tantæ matris filios genuinos omninò addecet) liquidiori devotionis ſenſu in penſi horarii quotidianâ perſolutione deguſtandam, hujus tibi libri inſcriptio, FAVUS DISTILLANS, orexin excitat, Benevole Lector. Veluti enim (ut benè obſervavit Ludolphus de Saxon.) Manna omne delectamentum, & omnem in ſe continebat ſaporem ſuavitatis, & cujuscunq; cibi, quem appetitus hominis deſiderare poterat, guſtum offerebat: Ita Pſalmodia Davidica, quocunque ſe intentio canentis, aut recitantis converterit, ejus ſe ſenſui, & affectui mox conformat. In ea enim intima peccatorum agnitio, & confeſſio; in ea divinæ miſericordiæ imploratio; in ea contra ho-

ſtium

ſtium impugnationem, adverſáq; omnia præſidium;
in ea virtutes omnes, earúmq; multiforme exercitium;
in ea perfectiſſima laudis divinæ, & gratiarum actionis
forma, & methodus; in ea deniq; omnigena orandi,
meditandíq; divinitatis attributa, & penitiſſimos ſenſus
contemplandi, & perſcrutandi jugis, & in totam vi-
tam indeficiens materies invenitur. Quare, ut ne, ſicut
favus aridus melle non diffluens, inſipida velut cera
nauſeam potiùs provocat, quàm guſtum oblectat: Ita
Pſalmodia iſto dulcedinis ſucco, præviam per medita-
tionem non expreſſo, parum irrorata, aridæ conſuetu-
dinis oneroſo faſtidio deſipiat potiùs, quàm guſtu devo-
tionis animæ palatum refocillet; ne Davidicum illud
Pſalmi 118. experiaris, diceréque poſſis: *Quàm dul-
cia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Ad
has meditationes ſcribendas, & hoc nomine inſcri-
bendas inductus ſum, quibus quaſi molâ quâdam du-
rior cortex ad perfruendum nuclei Davidici ſuaviſſi-
mo ſapore conteratur. Quam eandem etiam ob cau-
ſam MEDULLAM inſcribere DAVIDICAM pla-
cuit, ut allaboremus ſcilicet, ne ſacrificium labiorum
noſtrorum, quod per horas Deo quotidianum offeren-
dum à Miniſtris Eccleſiæ eſt, exaridum, exſuccúmq; ſit,
ſed pingue & *medullatum*, quod ſacra laudant oracula,
ut *ſicut adipe, & pinguedine repleatur anima noſtra,
& labiis exultationis laudet os noſtrum.* Pſ. 62. Ut id,
inquam, tantò non ſolùm ad internæ devotionis guſtum
ſapi-

ſapidius, & ſuavius, verùm etiam ad meritum noſtrum, fructúmq; uberius; & Deo comprimis, cujus honori, laudíq; inſtitutum eſt, acceptius exiſtat.

Cum præſertim inter varias, quibus diſtrahimur indies negotiorum occupationes, curáſq; officiorum, hoc propè unicum ſolatium animæ, mediúmq; refocillandi Spiritus occupatis nobis non rarò reliquum fiat.

Atq; hunc in finem Pſalmos Davidicos in has Meditationes digeſſi, ut non ſolùm attentiori animo legi, & intelligi; ſed conſiderando etiam, meditandóq; ruminari poſſint, atq; ita nobis in adyta eorum, ſenſáque intima penetrare, penitiſſimóſq; affectuum receſſus, medullámq; velut abditiſſimam pervadere liceat; ut eo nos modo in eorum Spiritum transformemus, ac viciſſim eos in ſubſtantiam quaſi noſtram convertamus, atq; illud conſequamur (quod D. Auguſtini nobiliſſimum bene pſallendi medium eſt, à P. N. Claudio Aquaviva Epiſt. 15. de offic. divin. recit. allegatum) ut timeamus, cum timet Propheta; amemus cum amat; laudemus, cum laudat; ploremus, cum plorat; poſtulemus, cum poſtulat; mentem ad Deum extollamus, cum ille ſe erigit; noſmetipſos deprimamus, cum ille ſe agnoſcit; pro inimicis oremus, cum orat; flagitemus exaltationem Eccleſiæ, cum eam flagitat; amemus pulchritudinem Chriſti Sponſi, & Eccleſiæ, cum illam ipſe deſcribit, & amat, &c. quæ in nominata Epiſtola afferuntur, de quib. in Pſalm. 46.

med.

med. 49. latiùs infra. Cujus rei gratia ex opuſculo Magni Athanaſii in Pſalmos brevem Synopſin affectuum eorum, quo quisque maximè ſcriptus eſt Pſalmus infrà oculis ſubjicere pretium opere putavi. O quanto cum devotionis ſenſu, quanto cum merito, ejúsq; quotidiano incremento, illud penſum Eccleſiæ Horarium perſolveremus, ſi ad Pſalmos ita prius meditatos accederemus recitandos, eorúmq; hác ratione familiares affectus, sensúsq; intimè perſpectos haberemus, & in ſuccum, ſanguinémq; noſtrum quaſi incorporatos! Iſtud ut aſſequerer quadantenus, majori fortè conatu, & voluntate, quam facultate, & viribus opus hoc aggreſſus ſum; ut Pſalmos ſingulos ad meditationis unius certum ſcopum reducerem, juxta illam meditandi artem, & formam, quam S. IGNATIUS tradidit trium potentiarum animæ appellatam. Meditationes verò ipſas claritatis causâ in certa conſiderationum puncta de more diſpertirer: punctis, & conſiderationibus aptos ad mentem S. Pſaltis, materiámque propoſitam affectus ſubjicerem, atque ex SS. PP. interdum petitos; qui eſſent velut fructus, & practicæ concluſiones conſiderationum, atq; ita non minus intellectus cœleſtibus veritatibus illuminaretur, quàm voluntas entheis inflammaretur, paſceretúrq; affectibus. Denique ut & memoriæ conſuleretur, univerſa in breves oratiunculas, ſeu ſuſpiria collegi, quæ colloquiorum inſtar eſſent, per mo-

dum clauſulæ, ſimúlq; Synopſes ſeu quintæ quaſi eſſentiæ, quibus in brevicula ſumma recapitulata compendio cuncta, quæ tractata fuerunt, memoriæ exhiberentur; ſerviréntque renovandis, revocandíſque in mentem ante prægustatis piis ſenſibus, ſive per diem recollectionis loco, uti in Meditationibus ordinariis faciendum ſuadent Magiſtri Spirituales: ſive ante Pſalmodiam inchoandam per modum præviæ diſpoſitionis, iis præſertim, qui ad divina iſta officia perſolvenda novelli, minúſque adhuc exercitati accedant. In quibus, uti vides, devotionem præcipuè propoſitam habui, ut ſcopum principalem. Quare etiam diſputationes de varia lectione, ſive Hebræi, ſive Chaldæi, ſive Græci, ſive Latini Textus apud Interpretes frequentatos prætermiſi, niſi in quantum ſpirituali profectui interdum ſerviunt, ne fortè fini primario officerent, quos Cardin. Bellarminus in feliciſſimo ſuo ſuper Pſalmos Commentario pereruditè perſequitur.

Imò ipſos etiam Pſalmorum titulos, & inſcriptiones, quibus vel tempus decantandi Pſalmi innuitur, ut *pro octava in finem* (ſcil. Menſis, vel ante Neomeniam) *In conſummatione tabernaculi in dedicatione:* vel Cantorum nomen ut *Aſaph Idithum, Eman, Ethan, Filiorum Core Jonadab*, &c. vel Inſtrumenta Muſica, ut pro *torcularibus*, pro *Mahelet*, &c. vel diverſus concinendi modus; altus, profundus, concita-

citatus, tardus, triſtis, lætus, ut *pro iis, qui commutabuntur, pro arcanis: Ne corrumpas,* &c. quibus quidem titulis, etſi omnem reverentiam tribuamus quantumvis nonnulli traditione magis, vel alterius, quàm S. Prophetæ Scriptoris ad nos pervenerint, vel ſi non à Lxx. ſaltem ab Eſdra, vel Propheta, Scriptoréve alio ſunt appoſiti: quia tamen conjecturis expoſitio eorum partim multùm nititur, partim ad devotionem promovendam eorum parum confert obſcuritas, partim ne multiplicentur tot inſcriptiones. Meditationis titulus eorum in locum ſuffectus eſt, qui Synopſin ejus contineat.

Porrò cum Pſalterium Davidis juxta communiorem, receptámq; ab Eccleſia ſententiam CL. omninò Pſalmis conſtet, juxta vetus diſtichon hoc rhytmicum:

Ter quinquagenos David canit ordine Pſalmos,
Verſus bis mille & ſexcentos ſex canit ille.

(Etſi ſex verſus inſuper numerent alii, ut duodecim ſint: nec negarim Pſalmos plures à S. Vate decantatos fuiſſe, imò D. Athanaſius ſuper ter mille fuiſſe ex libro Paralippomenon colligi poſſe exiſtimet.) Totum hoc opus noſtrum tres in partes diſtribuimus, quarum ſingulæ ſingulas quinquagenas Pſalmorum complectantur. Idq; ſive ad teſtudinis Davidicæ, aut potiùs decachordi Pſalterii formam triangularem, & quaſi tripartitam exprimendam; ſive ut alii obſervarunt, ad

triplicem Chriſtianæ perfectionis ſtatum ſeu viam ſignificandam; quarum prima, quæ incipientium, & *purgativa* dicitur; quinquagena primæ conveniat, ut quæ Pſalmo pœnitentiali præcipuo *Miſerere* ordine quinquageſimo terminetur. Secundæ verò proficientium viæ ſeu *illuminativæ*, quinquagena partis ſecundæ applicetur, quæ finitur Pſalmo centeſimo, qui omnem juſtitiam percenſet. Tertiæ perfectorum, quæ via unitiva vocatur, quinquagenæ tertiæ partis, quadret, quæ obſolvitur Pſalmo, versúq; ultimo de laudando Deo, *omnis ſpiritus laudet Dominum*. Sive potiſſimum pro majori commoditate, usúq; opportuniori hoc opus legentium.

Poſtremum tandem ſanctiſſimum Spiritum humillimâ mente invoco, maximum illum & penè unicum artis benè orandi Magiſtrum, ut gratiâ cœleſti, artéq; ſine artificio, tam in his, quàm cæteris omnibus pietatis exercitiis doceat nos *orare gemitibus inenarrabilibus*.

APPROBATIO.

R. P. Præpoſiti Provincialis Provinciæ Rhenanæ Superioris.

EGo Nicolaus Lutz Societatis JESU in Provincia Rhenana ſuperiore Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi factâ, à Reverendo P. N. Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Generali, librum, qui inſcribitur, FAVUS DISTILLANS, ſive MEDULLA DAVIDICA, à P. Georgio Mentzio, Societatis noſtræ Theologo conſcriptum, atque à deputatis ad id Societatis ejuſdem Theologis lectum, & approbatum, typis mandari permitto. In cujus fidem has literas manu propriâ ſubſcripſi, conſuetóq; officii ſigillo munitas dedi Bambergæ 29. Junii 1667.

Nicolaus Lutz.

Poteſtas Typographo facta à R. P. Provinciali Provinciæ Rheni Superioris Societatis JESU.

CUm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Decreto, omnibus, ac ſingulis Typographis, & Bipliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſeriò, ac firmiter inhibeatur, ne quiſquam ullos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel in poſterum edendos intra S. R. Imperii, Regnorum, ac Dominiorum ſuæ Cæſar. Majeſtatis hæreditariorum fines ſimili, vel alio characteris genere, aut formâ, ſi-

ve in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, vel alibi impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere clàm, ſeu palàm, citra judicium, ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat, vel præſumat: Concedo ego Nicolaus Lutz Societatis JESU, per Rheni Superioris Provinciam Præpoſitus Provincialis (poteſtate ad id mihi factâ à Reverendo admodum P. N. Joanne Paulo Oliva Præpoſito Generali) Joanni Eliæ Höffling, Bibliop. Acad. Bambergenſis facultatem excudendi librum, qui inſcribitur: FAVUS DISTILLANS, ſive MEDULLA DAVIDICA, id eſt, Pſalmi Davidis in Meditationis formam concinnati, & à P. Georgio Mentzio Societatis JESU, & Theologiæ Doctore compoſitum. In cujus rei fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & conſueto officii ſigillo munitas dedi Bambergæ 29. Junii 1667.

Nicolaus Lutz.

PARS

PARS PRIMA

Sive

IN PSALMOS L. PRIMOS.

Qui

Ad Matutinum Dominicæ, Feriæ ſecundæ, & tertiæ in Breviario Romano dicuntur.

MEDITATIONES LV.

ELENCHUS

Pſalmorum, & Meditationum in eosdem, quæ primâ hâc parte continentur.

IN Pſalmum primum. *Beatus Vir, qui non abiit &c.*

Meditatio prima. *Idea Viri juſti.*

In Pſalmum 2. *Quare fremuerunt gentes.*

Meditatio 2. *Thronus Chriſti inconcuſſus, & ad ſectandum regnum ejus cohortatio.*

In Pſalmum 3. *Domine quid multiplicati ſunt.*

Meditatio 3. *Sacra Anchora, vel recurrendum ad Deum cum fiducia in tentatione.*

In Pſal. 4. *Cum invocarem.*

Medit. 4. *Fiduciæ in Deum motiva, ac media.*

In Pſal. 5. *Verba mea auribus percipe.*

Medit. 5. *Funiculus triplex, ſeu de unione triplici cum Deo; per orationem, per gratiam, & per gloriam.*

In Pſal. 6. *Domine ne in furore.*

Medit. 6. *Digni fructus, effectusq; Pœnitentiæ.*

In Pſal. 7. *Domine Deus meus in te ſperavi.*

Medit. 7. *Remedia contra calumnias, tum perferendas, tum inferendas.*

In Pſal. 8. *Domine Dominus noſter.*

Medit. 8. *Extaſis, ob hominis ad finem ſupernaturalem procreati dignitatem.*

In Pſal. 9. *Confitebor tibi Domine.*

Medit. 9. *Soterico-Euchariſticum: ſeu gratiæ pro beneficio Redemptionis.*

In ejusd. Pſal. partem alteram. *Ut quid receſſiſti longè?*

Medit. 10. *Mundi fuga, & odium.*

In Pſal. 10. *In Domino confido.*

Medit. 11. *Scutum contra timores vanos, & inconſtantiam; Fiducia in divina providentia.*

In Pſal. 11. *Salvum me fac Domine.*

Medit. 12. *Antitheſis fallaciæ mundi, & fidelitatis Dei; illum fugere, huic adhærere ſuadet.*

In Pſal. 12. *Uſquequo Domine.*

Medit. 13. *Remedium tentationum, varius ad Deum recurſus.*

In Pſal. 13. *Dixit inſipiens.*

Medit. 14. *Adventus Salvatoris Chriſti, ad reparandam naturam humanam per peccatum corruptam.*

In Pſal. 14. *Domine quis habitabit.*

Medit. 15. *Scientia ſalutis: ſeu prædeſtinationis; nec non compendioſa ad Cœlum ſemita.*

In Pſal. 15. *Conſerva me Domine.*

Medit. 16. *Conſtans omnibus exemplo Chriſti benefaciendi voluntas; ejusq; modus, ac media.*

In Pſal. 16. *Exaudi Domine juſtitiam meam.*

Medit. 17. *Aſylum in adverſitatibus, & tentationibus, divina confidentia.*

In

In Pſalmum 17. *Diligam te Domine fortitudo mea.*
Meditat. 18. *Pharetra amorū. Vel ejuſdem incentiva, ex conſideratione divinorum beneficiorum, præſertim liberationis ab hoſtibus deprompta.*
In Pſal. 18. *Cœli enarrant.*
Medit. 19. *Contemplatio Dei ex creaturis, & lege diviná.*
In Pſal. 19. *Exaudiat te Dominus.*
Medit. 20. *Fauſtæ acclamationes, & affectus apprecatorii; vel vota Chriſto Regi Incarnando, poteſtateſq; aërias debellaturo, à fideli anima facta, in meditationibus myſteriorum Chriſti.*
In Pſal. 19. eundem.
Medit. 21. *Modus, & præparatio ad arduum aliquod negotium pro Deo aggrediendum.*
In Pſal. 20. *Domine in virtute tua.*
Medit. 22. *Affectus Euchariſtici exaltato Regi Chriſto ab æterno Patre. In meditationibus eorund. vitæ Chriſti myſteriorum à fideli anima decantati.*
In Pſal. 21. *Deus, Deus meus.*
Medit. 23. *Repræſentatio paſſionis Chriſti Deo Patri facta, ſive à Chriſto ipſo, ſive ab Eccleſia, ejuſq; Fidelibus in perſona Chriſti.*
In Pſal. 22. *Dominus regit me.*
Medit. 24. *Encominum, ſeu carmen paſtorale. De ſuavi Dei, & paterna erga ſuos providentia.*
In Pſal. 23. *Domini eſt terra.*
Medit. 25. *Præparatio ad ſacroſanctam Euchariſtiam offerendam, atq; participandam.*
In Pſal. 24. *Ad te Domine levavi.*
Medit. 26. *Eluctantis ad meliora, pia ad Deum vota, & adminicula.*
In Pſal. 25. *Iudica me Domine.*
Medit. 27. *Remedia contra calumnias: Innocentiæ conſcientia, & aſpiratio ad judicium, conſpectumq; Dei.*
In Pſal. 26. *Dominus illuminatio mea.*
Medit. 28. *Antidota timoris inordinati, & puſillanimitatis.*
In Pſal. 27 *Ad te Domine clamabo.*
Medit. 29. *In gravi afflictione conſtituti orantis prototypon.*
In Pſal. 28. *Afferte Domino filii Dei.*
Medit. 30. *Supremi opificis in condenda, & dotanda Eccleſia præconium: vel glorificandus à fidelibus Deus, ob beneficia, & magnalia, quæ in Eccleſia ſua eis Chriſtus exhibet.*
In Pſal. 29. *Exaltabo te Domine.*
Medit. 31. *Mnemoſynon Euchariſticum: ſive grata recordatio tum beneficiorum divinitùs acceptorum, tum diſcriminum evitatorum.*
In Pſal. 30. *In te Domine ſperavi.*
Medit. 32. *Gemitus columbæ; Animæ piæ ſcilicet in afflictionibus.*
In Pſal. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates.*
Medit. 33. *Perfectus animi nitor, quantum bonum! ejuſq; comparandi, & conſervandi media.*
In Pſal. 32. *Exultate juſti in Domino.*
Medit. 34. *Contemplatio, & Laus divinæ veracitatis, potentiæ, bonitatis & ſapientiæ.*
In Pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.*
Medit. 35. *Ob evitata pericula Deus benedicendus, eiq; confidentiá, atq; filiali timore adhærendum.*
In Pſal. 34. *Iudica Domine nocentes me.*

Meditat. 36. *Claſsicum ſpirituale contra hoſtes; ſeu divini auxilii in tribulatione imploratio.*
In Pſal. 35. *Dixit injuſtus, &c.*
Medit. 37. *Bilanx trutinandæ hinc malitiæ hominum, inde Dei in eis juſtificandis, & beatificandis miſericordiæ.*
In Pſ. 36. *Noli æmulari in malignantibus.*
Medit. 38. *Aphoriſmi alexipharmaci contra ſcandalum parvulorum, ex proſperitate improborum.*
In Pſal. 37. *Domine ne in furore tuo.*
Medit. 39. *Ex valetudinario peccatorum Pii ad Deum gemitus pœnitentis animæ.*
In Pſal. eund. *Chriſto applicatum, tum in ſe, tum membris, & Eccleſia.*
Medit. 40.
In Pſal. 38. *Dixi cuſtodiam vias meas.*
Medit. 41. *Ars vivendi, & moriendi. Vel Faſtiditis vitæ præſentis miſeriis, & vanitate, ad meliorem æternam aſpiratio.*
In Pſ. 39. *Expectans expectavi Dominum.*
Medit. 42. *Gratia pro gratia, vel beneficio Redemptionis.*
In Pſal. 40. *Beatus qui intelligit.*
Medit. 43. *Appendix ſuperiorum luctuoſa: vel erga Chriſtum, tum in ſe, tum in membris patientem compaſsio.*
In Pſ. 41. *Quemadmodnm deſiderat* Cervus.
Medit. 44. *Cervi ſitientis anhelitus: ſeu Aſpiratio Animæ piæ ex ſiticuloſo hujus mundi exilio, ad ſontem patriæ, & vitæ perennis.*
In Pſal. 42. *Iudica me Deus, & diſcerne, &c.*
Medit. 45. *Altare, & tabernaculum SS. Euchariſtiæ perfugium animæ.*
In Pſal. 43. *Deus auribus noſtris audivimus.*
Medit. 46. *Recordatione miſericordiæ, priſtinorumq; beneficiorum, inſtantibus preſſi calamitatibus, Dei auxilium ſperemus, & imploremus.*
In Pſal. 44. *Eructavit cor meum.*
Medit. 47. *Epithalamium: ſeu Sponſi Chriſti, & Eccleſiæ Sponſæ, Encomia, virtutes, & dotes.*
In Pſal. 45. *Deus noſter refugium & virtus.*
Medit. 48. *Deo protectore nihil timendum, quacunq; etiam in perturbatione rerum.*
In Pſ. 46. *Omnes gentes plaudite manibus.*
Medit. 49. *Plauſus Eccleſiæ ob ſubditas Chriſto gentes, ipſiusq; in Cœlo regnum.*
In Pſal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis.*
Medit. 50. *Laus Dei ob fundatam, dilatamq; Eccleſiam ſuam.*
In Pſal. 48. *Audite hæc omnes gentes.*
Medit. 51. *Virtutem per mundi contemptum fata ſuadent extrema.*
In Pſal. 49. *Deus Deorum Dominus locutus eſt.*
Medit. 52. *De duplici Chriſti adventu, altero in carne, altero in judicio.*
In Pſ. 50. *Miſerere mei Deus ſecundùm &c.*
Medit. 53. *Speculum pœnitentis: vel Actus ſinceræ pœnitentiæ.*

IN

IN PSALMUM PRIMUM

Beatus Vir qui non abiit, &c.

MEDITATIO PRIMA.

IDEA VIRI JUSTI.

Argumentum Pſalmi.

Deſcriptio Viri juſti: cujus beatitudo in virtute ſita eſt (ſenſ. litt.) Chriſti præ cæteris (ſenſu myſt.) excluſis impiis.

Punctum I.

CONtemplare Virum juſtum, & timentem Deum à S. Davide deſcriptum (qualis v. g. vel S. Martyr, vel Confeſſor, in cujus feſto hic pſalmus legitur ab Eccleſia) qui *Vir beatus* nomine, & re meritò cenſetur. Vide, ut omnes expleat juſtitiæ partes, quæ ſunt: *declinare à malo, & facere bonum*, & quoad primum quidem dicitur:

V. 1. *Qui non abiit in conſilio impiorum*, pravas ſcil. 1. ſuggeſtiones, ſive Dæmonis, ſive perverſorum hominum; nec etiam exempla, axiomataq; eorum in animum admittendo; nedum opere exequendo: aut ſi fortè per humanam fragilitatem aliquando deliquit, certe 2. *in via peccatorum* diu *non ſtetit*, ſed mox reſpicit; ut ne per contrarium habitum fortè peccato inſordeſceret: tunc enim in via peccatorum non ſtamus, cum peccantes ſtatim reſipiſcimus, & ad rectum vitæ curſum redimus. Multò minus autem 3. exemplo, doctrináve ſuâ aliis Magiſter ſcelerum extitit, quod eſt *in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, inficiendo alios quaſi contagione quâdam peſtilentiæ, ſic ſcilicet, ut doctrina ejus velut cancer proſerpſerit (Hebr. habet) *in cathedra deriſorum non ſedis*, eo ſenſu, quo idem David Pſ. 26. ait: *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odivi Eccleſiam malignantium,*

   tium,

tium, & cum impiis non ſedebo. Hujuſmodi Irriſores deſcribuntur Sap. 2. & 5. cap.

Quâ gradatione indicantur tres gradus peccatorum *cordis, oris, operis*, quibus ad ſummum nefas paulatim aſcendit, aut deſcendit potius, *impius*, ut *cum in profundum venerit, contemnat*. Prov. 18. & jam *pudeat non eſſe impudentem*.

Quæ viri juſti à prima parte juſtitiæ (quæ via purgativa aliis dici„ tur) quaſi per negationes deſcriptio eſt. Beatus qui non cogitavit, non „ fecit, non docuit mala, ut S. Hieron.

Sequitur altera, quæ in virtutis exercitio poſitivo conſiſtit. V. 2. *Sed in lege Domini voluntas*; imò & voluptas *ejus*, voluntas, inquam, efficax, & propoſitum firmum ſervandæ omnis legis divinæ ad amuſſim, qualis voluntas dives coram Deo dicitur, & cui ab Angelis accinitur: Luc. 2. *pax hominibus bonæ voluntatis*, quæque in opus prodit, dum poteſt, non velleitas inefficax, quâ plenus infernus eſt, teſte S. Bern. ita ut *in lege Domini* pernoſcenda omne ejus ſit ſtudium, & diligentia; in perficienda, omne deſiderium, & labor; in continuanda omnis voluptas & delectatio (Heſſerus) & non minùs cor atque *voluntas ejus* ſit *in lege Domini*, quam (ut dicitur Pſ. 36.) *lex Dei ejus in corde*, & voluntate *ipſius*, *lex*, inquam, *in corde ipſius* ut in ſede ſtabili ſemper reſidens, cor in lege tanquam in re amata, quæ ſemper appetitur & cogitatur: Quæ via *illuminativa* juſti dicitur, per quam graditur operando omne genus virtutum, ex habitu, & cum delectatione.

Et ne *Unitivam* conjunctionis, & familiaritatis cum Deo requiras, additur: *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*, quod tum juſtitiæ vel aſſequendæ, vel conſervandæ, vel in dies augendæ efficax remedium eſt; tum affectûs ingentis erga eam indicium, nocte ſcil. dieq; in illa cogitanda, perficienda, docenda ſollicitè, & aſſiduè exerceri, id quod verbum meditari ſonat una cum additis illis, die ac nocte, ſeu frequentiſſimè.

Aſpirationes, vel affectus imitationis, & deſiderii ſimilis Sanctitatis.

O Ideam amabilem eximiæ in tali viro Sanctitatis! qui à peccatis etiam minimis, eorumq; ſuggeſtionibus tam ſollicitè animam prorſus incontaminatam conſervat, comprimendo motus omnes, & *allidendo*

dende parvulos Babylonis ad petram! O ſanctam animam omnigenâ virtute decoram, quæ in omni lege, ſive rationis inſita, ſive à Deo præſcripta, ſive regulis, ſtatutiſq; hominum, accuratiſſimè ſervandis, per omne genus virtutum ſtudioſiſſimè, & cum delectatione ſe exercet! O lucidiſſimam, conjunctiſſimamq; cum Deo mentem, divinis radiis ſemper circumfuſam, ex continuo Dei conſortio! O terq; quaterq; beatam idcircò! Quis mihi det, ut tam nobilem Ideam in me exprimam, & ad tam illuſtre viri juſti hujus exemplar me conformem?

Punctum II.

CONtemplare viri juſti hujus felicitatem, tum in hâc, tum in altera vita, ab effectis à S. Vate deſcriptam per comparationem, & ſimilitudinem amœniſſimæ arboris non ſiticuloſo in ſolo, ſed ad ripam decurrentium rivulorum plantatæ: non ſterili in ſolitudine, ſed fertili Eccleſiæ in agro, Religioniſve amœno in viridario conſitæ, fundatæ in fide, radicatæ in charitate, irrigatæ gratiâ copioſâ ſacramentorum frequentatorum, nec non exercitiorum, orationis, lectionis, meditationis, aliorumque mediorum efficaciſſimorum, quibus è fonte perenni omnis gratiæ, Chriſto, per amicitiæ, unioniſque cum eo fibras, humorem gratiæ continuo trahit, quæ verſ. 3. continentur.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Ubi, non ſicut *arbores* illæ (ex Epiſt. S. Judæ) *autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, atq; aridæ ſine foliis:* nec ſicut ficus Evangelicæ, vel illa Luc. 13. foliis frondeſcens tantum, cætera *fruſtrà terram occupans*, ideoque *ſuccidenda*; vel illa, in qua Chriſtus fructum quæſivit, ſed non invenit, ideoque maledicta aruit, Matth. 21. nec foliis tantùm luxurians, aut flore deciduo ſpem inanem faciens; ſed *erit tanquam lignum quod fructum ſuum dabit* inſuper *in tempore ſuo.*

V. 4. Non immaturum, inquam, vel intempeſtivum, vel præcocem, vel ſerotinum, ideoque crudum, & uſibus hominum inidoneum, vel verminoſum, inſalubrem, ingratumque; ſed opportuno, & à voluntate providentiâque divinâ, & obedientia ordinato, & definito tempore, maturum, & à Sole cœleſtis gratiæ, inſtinctuque Spiritus S. profectum, & tempeſtivum (ſapiens enim ſuo quæque tempore agit) beneque excoctum, ac ſalutarem. Imò, velut *lignum vitæ in medio paradiſi, pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave.* Gen. 2. vel velut *lignum vitæ*

vitæ. Apoc. 22. *plantatum ex utraq; parte fluvii, aquæ vitæ, afferens fructus duodecim,* ſicque per *menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium,* & non ad ornatum tantum. Semper, inquam, jucundiſſimis refertum pomis ad utilitatem aliorum potius, quàm commoditatem propriam. Huc enim vita juſti ſpectat, ut aliorum ſtudeat ſaluti, non utilitati ſuæ, ſicut impii ad ſe, ſuaque commoda referunt omnia. Et ſemper, etiam hyeme, amœniſſimis ornatum frondibus, & foliis. *Et folium ejus non defluet.* V. 4. Pruinâ, vel frigore adverſitatis decoctum. Sicut *nec capillus* unus juſti *de capite ejus peribit.* Luc. 21. & ſine paterna Dei providentia defluet, apud quem *capilli capitis* ejus, velut res pretioſæ valdè, *omnes numerati ſunt.* Luc. 12. *& omnia quæcunq; faciet, proſperabuntur* ad ſuam aliorumque ſalutem; omnes ſcilicet conatus ejus, operáque utpote ab inſtinctu gratiæ Dei profecta feliciter cedent, ſive coram oculis Dei, ſive coram hominibus etiam, meritumque ſuum, in hac, alteráve vita conſequentur, *usque ad calicem aquæ frigidæ datum.* Quinimò, fructum ex iis etiam capiet, quæ perniciem aliis, & detrimentum afferre ſolent. Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8.

Affectus propoſiti ex motivo ſpei.

ECce anima mea, *ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Pſ. 127. Quin ergo & nos in horto Eccleſiæ, & Religionis, juxta fluenta tot efficaciſſimorum mediorum, ſacramentorum, adminiculorumque aliorum cœleſtium excreſcimus in formam arboris hujus, & non folia ad externam ſpeciem tantum, aut flores deſideriorum ſolum, ſed fructus in tempore opportuno ex voluntate Dei, & ſuperiorum proferimus; *fructus honoris & honeſtatis.* Eccl. 24. immarceſſibiles, æternumq; duraturos? O quis non moveatur illâ Dei providentiâ, pulcherrimo certè pietatis præmio, quod *folium* ſine ejus nutu *non defluet*, ſed *omnia quæcunq; faciet, proſperabuntur?* Ita ſanè frondeamus, fructus afferamus, ut verè dici de nobis quoque poſſit: *Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur, plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebit*, hic & in perpetuas æternitates. Pſ. 91.

Pun-

Punctum III.

Conſidera juſti beatitudinem, quam infert Pſaltes S. ex contrariis, injuſtorum ſcilicet vitâ, & ſtudiis eluceſcentem: *Non ſic impii, non ſic,* v. 5. *non ſic* abſtinent à cœtu malignantium, non ſic in lege Dei, ſed in ſuis cupiditatibus explendis meditantur; non ſic irrorantur à gratia Dei; non ſic fructum afferunt; non ſic florent, vigéntque coram Deo: neque beatitudo eorum vere ſolida, ſed apparens tantùm, fucata, tranſitoria, & momentanea eſt, ſi qua eſt. *Sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ,* velut gluma (juxta Hebr.) ſeu paleæ tenuiſſimæ ex tritura, comminutus pulvis, infœcundus, & humore divinæ gratiæ deſtitutus, & aridus, quem momento, quaſi ventus vindictæ Dei ita diſpergit, ut poſt ſe veſtigium non relinquat, non ſolùm coram oculis Dei, ſed etiam coram mundo, *& à facie terræ.* Et quamvis ad breve tempus appareant interdum felices coram oculis ſæculi, illud tamen nihil omninò faciendum eſt, cùm judicio Dei æternùm reprobentur.

Ideò non reſurgent impii in judicio, neq; peccatores in Concilio juſtorum. v. 6. Non reſurgent ſcilicet ad gloriam cum juſtis à Chriſto Judice illis decernendam, ſed ad condemnationem. Ut S. Cyrill. & Iren. vel juxta Hebr. *non ſtabunt*, nec *ſubſiſtent* in judicio univerſali, nec ferent Chriſti Judicis juſtiſſimi aſpectum, ſed abſcondi quærent, *dicéntq; montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos.* Luc. 23. Quando contra *ſtabunt juſti in magna conſtantia.* Sap. 5. fiduciáq; vel *ſedebunt* cum Chriſto Judice *ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Matth. 19. quia cum *impiis in cathedra peſtilentiæ non ſederunt.* Atq; hoc tandem diſcrimine juſtorum, & impiorum ſtudia terminabuntur, ut juſtorum viam, modúmque vivendi Deus amore, favore & præmiis proſequatur; impiorum verò averſetur, & interitu ſempiterno diſperdat.

Quoniam novit Dominus viam juſtorum. v. 7. notitiâ approbationis ſuæ, atque amico complacentiæ oculo contemplans, & paterno providentiæ particularis ductu dirigens viam vitæ juſtorum compendioſam, quaſi ſemitam, ſecuram, minúſque operoſam, & eorum vivendi rationem favore, & gloriâ æternâ remunerans.

Contra verò *iter impiorum peribit* longinquum illud, arduum, erroneum, & ſtratum lapidibus variarum difficultatum maximarum, de

quo ipſi meritò queruntur. Sap. 5. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles*, peribit, inquam, cum illis, eorúmq; ſtudiis, & operibus, ſeu reprobabitur à Deo, & in miſera, pœnoſáq; æternitate peſſundabitur.

Affectus deteſtationis, & conformationis cum judiciis Dei.

APage ſis igitur deteſtandam peccatorum viam, vitámq; cum brevi eorum, inconſtanti, fucatáq; felicitate, quæ non niſi pulvis, fumus, ventiq; ludibrium eſt, & *vanitas vanitatum* coram Dei judicio, ultimo præſertim! Huic te conforma anima mea! & confirma contra vana hominum, mundiq; judicia. O quàm alia Dei, alia hominum judicia ſunt! O quàm ſolidum, quàm limpidum ſolatium eſt, Deum noſſe, Deum probare, viam, vitámq; tuam, eiq; te placere! & divino ductu te in ea dirigi, ut jure dicas: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, Pſ. 22.

ANNOTATIO

SI quis pro ſua erga Chriſtum Salvatorem, & D. N. devotione, ſenſu, ut indicavi in Argumento, myſtico præ cæteris hunc ei Pſalmum accommodare voluerit, facilem ejus modum, & explanationem multiplicíq; ſuaviq; cum affectu inveniet. *Ille* enim per antonomaſiam *Vir ille unicè, ſolúsq; juſtus, & ſanctus eſt, omniſq; ſanctitatis idea, & exemplar* nobis ab æterno Patre propoſitum in monte Thabor. Matth. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* De quo illud Exod. 25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte* (præſertim Golgathæ) *monſtratum eſt.* Quo ſenſu Apoſtolus ad Hebr. 8. hæc accipit. Ille verè *beatus* eſt, utpote Divino cum Verbo ob hypoſtaticam unionem, ejus ſemper viſione perfruens beatificâ. Ille, *nec abiit in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtetit*, &c. ſed factus eſt nobis omnis perfectionis *Conſiliarius*, Iſ. 9. imò *Dux & via*, ut dicit Joh. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita*, ille non modo *in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, ſed ipſis hoſtibus etiam ejus teſtibus *viam Dei in veritate docuit*, Matth. 22. *Ille in lege Dei meditanda* & exequenda ante omnes, & Angelos & homines accuratiſſimus. De quo *in capite libri ſcriptum eſt, ut faceret voluntatem Dei.* Pſ. 39. quam *in medio cordis ſui non ſolum poſuit*, ſed proinde etiam explenda *factus*

eſt

est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. Ille idcirco tanquam *lignum plantatum secus decursus aquarum*, quippe cujus humanitas [illegible] omnium gratiarum conjuncta hypoſtaticè Verbo, inquam Dei, quod, dicitur *fons ſapientiæ in excelſis*, Eccl. 1 protulit fructus pretioſiſſimos, & maturrimos meritorum, quibus redemit, vocavit, juſtificavit, & glorificavit Electos ſuos. Ille denique & *reſurrexit in medio juſtorum* à mortuis, & ſedebit in eo Rex atque Judex vivorum, & mortuorum, coram quo non *ſtabunt in concilio judicii* [illegible] corruent in barathrum. Contra vero justi, quorum [illegible], vitamq; novit, & approbat, omnem ab eo [illegible] præmio [illegible]buntur.

ORATIO.

A*D* [illegible] *tua, clementiſſime Deus, ut beatitudinem* [illegible] *le*[illegible] *tua* [illegible]*tes, in* [illegible] *cellis* [illegible] *gratia tua fluentis* [illegible] *afferamus in hac vita, & in altera* [illegible] *in concilio juſtorum,* [illegible] *in cœleſti paradiſo* [illegible]*, Amen.*

IN PSALMUM II.

Quare fremuerunt Gentes, &c.

MEDITATIO II.

Thronus Chriſti inconcuſſus. Et ad ſectandum Regnum ejus cohortatio.

Argumentum Pſalmi.

Prædicit regno Chriſti fruſtrà ſe oppoſituros ejus hoſtes, (Luciferum, Judæos, Gentiles, &c.) moneto; Chriſto Regi, ut ſe ſubdant, ſi ſalvi eſſe velint.

Punctum I.

CONſidera [illegible] ingratitudinem [illegible] Dei Bonitatem, & Charitatem, qui [illegible]

ingratum *mundum ſic dilexit* Joh. 3. *ut filium ſuum unigenitum ei daret*, etiam reluctanti, & eum reſpuenti, rejicientique. Quod meritò miratur Propheta cauſam interrogando, & inanes hoſtium contra Chriſtum machinationes increpat, inſanóſque ejus perſecutorum conatus irridet. v. 1. 2. 3. 4. 5.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? v. 1. quaſi dicat: quem in finem, quámq; ob cauſam, & quo modo effero contra hunc Regem odio, & invidiâ fremunt, ſive Lucifer cum rebellibus Angelis, hypoſtaticam unionem Chriſto invidentes, ideoque ſubjici Deo detrectantes & refractarii, ut volunt DD. nonnulli: ſive Judæorum populi Chriſtum in Meſſiam acceptare recuſantes, imò contra eum *meditati ſunt inania.* v. 1. mendacibus calumniis accuſatum, traditúmque Pilato crucifigentes: ſive Gentes Ethnicæ poſt reſurrectionem, & aſcenſionē in Cœlum eundem in membris, & Eccleſia ejus perſequentes; ſive Hæretici erroneas doctrinas & dogmata falſa de eo ſpargentes: ſive Chriſtiani perverſi vitâ ſua improba à doctrina ipſius degenerantes. Hi omnes, ac cum iis *Reges terræ* Herodes, & Pilatus facti amici in paſſione, & nece Chriſti, & poſt Imperatores Nero, Diocletianus, Julianus, alíique complures, imò Antichriſtus ipſe, & Lucifer: Principes item Annas, & Caiphas *convenerunt in unum*, & conſilia coëgerunt *adverſus Dominum*, ideòque ſtulti; *quia non eſt Sapientia, non eſt prudentia, non eſt Conſilium contra Dominum*, Prov. 21. *& adverſus filium ejus Chriſtum*, v. 2. quem ipſe unxit in Regem, ut hic verſus Act. 4. 27. explicatur, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum*, nec ſinamus ſanctiſſimâ lege Evangelii nos ligari, ut quæ ſenſibus carnis noſtræ, & prudentiæ mundi hujus contraria eſt, *& projiciamus à nobis jugum ipſorum*, v. 3. *jugum*, inquam, *ſuave & onus leve*, Matt. 11. imperii Chriſti excutiamus, ut indomiti equi *nolumus hunc regnare ſuper nos*, Luc. 19.

Affectus Zeli, compaſſionis & timoris.

SEd heu! non modo ingratos, ſed ſtultos etiam, & infelices omnes Antichriſtos illos, & rebelles hoſtes regni Chriſti, eorúmque ſequaces, qui ſe Chriſto Regi non ſubdunt, ejus vocem, leges, conſilia, inſpirationéſque non audiunt, ut carni, mundo, cupiditatibúſque ſuis tantò liberiùs ſerviant! quid expectare mercedis habebunt aliud, quàm ut non ſolùm is, qui *habitat in Cœlis Rex Regum, & Dominus dominantium* A-

poc.

pec. 16. Deus illorum terræ vermiculorum conatus velut inſanos, & inanes rideat, atque eos ipſosmet in *interitu ſuo*, & cum ingenti eorum confuſione ſubſannandos in die judicii exponat v. 4. verum etiam tanquam contorto in Gigantum ſimiles fulmine maledictionis æternæ eos conturbet v. 5. deturbétque in gehennam. Heu, inquam, inſanos, æternúmque infelices! Cave, anima mea, ex illorum ſis claſſe, quibus ob neglectam vocationem ad Chriſti regnum Deus exprobret illud. Prov. 1. *Vocavi vos, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.*

Punctum II.

CONſidera quis, qualiſve Rex, & quod regnum ejus. Nempe is 1. Chriſtus eſt, [illegible] ſecundùm humanitatem æterno incarnationis decreto, à Deo Patre ad hunc ſummum honorem ordinatus, & legitimâ conſtitutionis authoritate, non intruſus vi tyrannidis aut ambitione, ſive à ſe, ſive ab aliis. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*, v. 6.

2. *Regnum* ejus eſt tum Angelorum, Divorumque in Cœlis triumphans, tum ſanctorum in terris militans Eccleſia, ſignificata per Sion, quæ Hieroſolymæ fuit Mons bijugus, in cujus colle altero erat arx Davidis, in altero templum. Super hunc *Sion montem ſanctum*, poteſtatem regiam accepit, ut Matth. 28. dixit: *Data eſt mihi poteſtas in Cœlo, & in terra*: non ſolùm enim per Sion montem ſanctum Jeruſalem, & Sion cœleſtis intelligitur; ſed etiam Eccleſia in terris, cujus typus, initium, fundamentum, & mater eſt mons Sion. Civitas in monte poſita, Deoq; valde dilecta. *Diligit enim Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob*, Pſ. 86.

3. Finis hujus regii muneris, eſt: ut *prædicet*, notúmque faciat *præceptum* ſeu ſanctiſſimas Dei leges, decreta, admirabiliáque attributa, & judicia ejus hominibus, tùm verbo, tùm exemplo v. 6. *prædicans præceptum ejus*, quo ſenſu Pſ. 21. ait: *narrabo nomen tuum* (divinas perfectiones) *fratribus meis in medio Eccleſiæ laudabo te*, & Joh. 17. *Ego te clarificavi ſuper terram. Manifeſtavi nomen tuum hominibus. Ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

4. Hujus autem poteſtatis regiæ in Chriſto homine fundamen-

tum eſt Unio ejus hypoſtatica cum Filio Dei unigenito naturali, & conſubſtantiali, cujus decretum orbi à ſe ſit prædicandum, ſeu quid de ſe Deus Pater elocutus fuerit. Nam *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te* v. 7. tum generatione æternâ, quæ continuum hodie, ſeu tempus præſens eſt; tum generatione temporali ſecundum carnem hodie (in die Nativitatis ejus ex puriſſima Virgine) tum denique hodie in die Reſurrectionis reſuſcitando à mortuis, & quaſi iterum gignendo, ut S. Paulus exponit Act. 13, 33. tunc enim regiam gloriam ſuam cœpit exterius etiam demonſtrare.

5. Cauſa inſuper meritoria hujus exaltationis in Regem, celebritatisque ſibi naturali jure debitæ ob divinam hypoſtaſim, ipſius Chriſti oratio, & merita paſſionis extiterunt, quibus ante ſibi decretam, & debitam hanc claritatem nominis inſuper poſtulavit ab æterno Patre, & impetravit, atque promeruit. *Poſtula à me*, inquit Pater æternus, *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. v. 8. quibus ſignificatur etiam

6. Regni Chriſti amplitudo, & univerſalitas toto orbe extendendi, nec ullis terminis, uti regnum Salomonis, Davidis, aliorúmque Regum arctandi, ſed omnia mundi regna complexuri, quæ eſt eadem Eccleſia, prædicatione Evangelii per univerſum mundum propagata, per quam, ut prædicitur Pſ. 71. *dominabitur* hic ſummus Rex *à mari orientali uſque ad mare* occidentale, & *à flumine* Euphrate, qui in Oriente eſt, *uſque ad terminos orbis terrarum*, & complectitur non ſolum Judæos antiquam *hæreditatem, ſed gentes* etiam omnes, quantumvis multitudine prope infinitas, & quamvis crudelitate ante efferæ, & barbaræ fuerint, quas *in hæreditatem novam* per fidem, & religionem, ac in poſſeſſionem per charitatem, & devotionem habebit. *Coram illo enim* venerabundi *procident Æthiopes* remotiſſimarum regionum habitatores, & qui ante erant ejus *Inimici*, nunc adorabundi *terram lingent*, & oſculabuntur præ reverentia, ubi ſteterant pedes ejus: *& adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervient ei*, Pſ. 71. Et *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*, v. 9. quibus ſignificatur inſuper

I. Forma regiminis compoſita ex manſuetudine, & juſtitiâ: ſuavis, & fortis: manſueta, & ſuavis erga obedientes; juſta, & fortis erga refractarios. Legunt enim LXX. in verſio ſup. pro *Reges, paſces eos*, ſic-

ut paſtor oves ſuas præcedit & dirigit pedo ſuo, ad paſcua ducit, in lupos pugnat, &c. ita Rex, & *Paſtor bonus*, Joh. 10. Chriſtus obedientes ſibi oves ſuas, in Eccleſia præcedit, virgâ, vel ſceptro, ſcil. Crucis, quæ regni Chriſtiani non ſolo ſignum, ſed etiam inſtrumentum fuit, quo illud obtinuit, jure, & merito, ideoque canit Eccleſia: *Regnavit à ligno Deus*, atque præcedens invitat omnes ad ſe ſequendum, & præcipit illud S. Matth. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Eâdem illas quoque regit, peculiari ſcil. providentiâ, unde *Virga directionis, Virga regni ejus* dicitur, Pſ. 44. ut gratulari ſibi queat merito ovis Chriſti cum Davide Pſ. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*; paſcit eos doctrinâ, & exemplo, ſanctiſſimiſque Sacramentis, illo præſertim corporis, & ſanguinis ſui. Eâdem virgâ ſcil. veluti armis pugnat in hoſtes pro ovibus, animans illas his inſuper Joh. 16. *Confidite ergo, vici mundum.* Imò & Diabolum, ſicut paſtorculus David baculo ſuo *leonem, & urſum* 1. Reg. 17. *interfecit.*

Eâdem verò refractarios virgâ ferreâ, durâ, rigidâ, invictâ, inflexibili ob juſtitiam, & potentiam reges, vel conteres, ut ex Hebræo vertunt, *tanquam vas figuli confringes*. & abſque omni ſpe reparationis perdes in gehennam, velut *in contumeliam facta vaſa iræ apta, in interitum.* Rom. 9. cum Lucifero rebellibuſq. ſpiritibus, cum Juliano aliiſque ſuis, & regno ſuo adverſariis.

Affectus adorationis, fidei, congratulationis, gaudii.

AGnoſco, accepto, veneror, & adoro te, Rex ſupreme Cœlitum, atque hominum univerſorum; tuóque me imperio (quanquam eo undequaque ſim indigniſſimus) demiſſiſſimè ſubjicio. Verè enim *Tu es Rex gloriæ Chriſte, Tu Patris ſempiternus es Filius, Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis uterum. Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris!* gratulor regiam tibi gloriam, Domine & Rex noſter, deinque mihi quoque gaudeo, ut de bono proprio. Eſt enim in te unicuique noſtrum portio, caro & ſanguis (ut Auguſt. in medit. c. 15.) *ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo, ubi caro mea glorificatur, ibi me glorioſum eſſe cognoſco. Ubi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio.* Ecce ſubjectam tibi per omnia oviculam, paſce me, ut paſtorum ſummus rege. Ecce me [illegible] tuis, ſicut

lutum

lutum in manibus figuli, ad omnem nutum tuum formabile, ne me virgâ ferreâ furoris tui, ut merui, confringe, ſed miſericorditer peccata mea *deſtruens* ex vaſe *contumeliæ, & iræ, & interitûs*, forma vas in *honorem* æternámq; felicitatem.

Punctum III.

COnſidera efficacem adhortationem, ad Chriſtum Regem audiendum, conſectandum, eique ſerviendum. *Et nunc Reges*, inquit v. 10. *intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Reges, & Judices præcipuè alloquitur, ut ſe cum hoc Rege comparatos, agnoſcant ejus ſervos eſſe, & terræ vermiculos; & quia ab illis populi dependent, quibus jura dicuntur. Unde Regis ad exemplum, & Judicum, ſeu Legislatorum ad præſcripta, ſe componere ſolent. Duo autem illis præſcribuntur:

Primum, ut audiant, vel intelligant; erudiantúrq; Chriſti Regis legem evangelicam, cœleſtémq; doctrinam amplectendo, per fidem & intelligentiam; judicium enim corruptum generat pravum affectum, qui in mundo, amoréq; proprio inveniuntur. Illo verò per fidem, legémq; Chriſtianam correcto, corrigatur etiam voluntas, & affectus.

Quod eſt ſecundum, quod præſcribit v. 11. *ſervite Domino* omnium, Chriſto Regi, cui ſervire regnare eſt. *In timore* caſto & filiali, vel debitâ cum veneratione, & obedientiâ maximâ ex amore filiali ortis, *& exultate ei cum tremore*, lætâ quidem, hilariq; cum confidentiâ, ſemper tamen cum ſollicitudine mixtâ, nec nimium ſecurâ; ſive timete amando, & amate timendo, inſerendo in ſervitio Dei amorem timori, & timorem amori, ut ſerviatis, & timeatis cum amore, ut exultetis, & ametis cum timore. Timor ne dejiciat, jungatur amori, amor & lætitia ne diſſolvant, jungantur timori, quod nobile documentum eſt.

Et ne in affectu tantùm ſiſtatis, ad opus & executionem ipſam procedite. *Apprehendite diſciplinam*, v. 12. ſubjiciendo vos conſtanter ſanctiſſimis legibus, & doctrinæ ejus piiſſimæ, quam docuit verbo, & confirmavit exemplo, factis ipſis inhærendo firmiter, & magno cum affectu. Unde Hebrææ lectiones conciliantur, *adorate, vel oſculamini filium* ſcil. unigenitum Dei incarnatum, agnoſcendo illum, & ſummâ cum pietate colendo; oſculandis enim Principum manibus, noſtram

[illegible] obſervemus [illegible] reclamet, (unde [illegible] propheticum [illegible] Cantici) vel, *Adorate puri*, venerando, amando, [illegible] in puritate vitæ ſecundum Doctrinam ejus. *Adorate* [illegible] *qui eſt candor lucis æternæ*, [illegible], Sap. 7. Item, *Adorate triticum*, Chriſtum eundem in Euchariſtia [illegible] *frumentum* [illegible], ut exquiſitè [illegible] [illegible] *ne quando iraſcatur Dominus*, *& pereatis de* [illegible] [illegible] contra [illegible] [illegible] quod eſt *justi*[illegible] *& gaudium in Spiritu* [illegible] Rom. 14. & illi pereant [illegible] v. 13. in die [illegible] judicii non multum [illegible], qui *eſt dies iræ*, *calamitatis & miſeriæ dies* [illegible], [illegible] cum [illegible] in [illegible] in [illegible] [illegible] regni ſui, *qui* [illegible] [illegible] per [illegible] [illegible] memores promiſſi ejuſdem Regis [illegible] Luc. 21. [illegible] *reſpicite*, [illegible] pleni, & *levate* [illegible] *quia appropinquat redemptio veſtra.*

Affectus [illegible], *&* [illegible]

QUare ergo, anima mea, hunc Regem [illegible], qui eſt *Deus magnus Dominus*, *& Rex magnus ſuper omnes Deos*, Pſ. 94. ſequimur [illegible] quin ei cum timore [illegible] amore ſerviamus!

[illegible] tibi Domino meo [illegible] & [illegible] corde [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

ORATIO

V*erbum Patris* [illegible], [illegible] *ante Luciferum* [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

noſtrum, agnoſcamus, colamus, ſequamur, tibi caſto, filialiq; timore ſerviamus, divinisq; nutibus tuis perfecte obſequendo, ut nos cum [illegible] a inſanis regni tui hoſtibus, tanquam [illegible] figuli in [illegible], [illegible] ritum factum confringant in ira tua, ſed præſta, ut in die judicii [illegible] tes velut ſubditos regni tui, tuorumq; ſic freti meritorum, [illegible] æternam evadamus, tecumq; regnemus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

NB.

COnſonant huic Pſalmo duo Exercitia S. P. N. Ignatii ex hebdomade ſecunda libelli exercitiorum. *De regno Christi, & incarnatione*, quorum altero inducit SS. Trinitatem quaſi orbem terrarum contemplantem, in quo homines cæcorum, ac brutorum more viventes, nulliq; rei minùs, quàm Deo, ac ſaluti ſuæ intenti, mutuis ſe injuriis, cædibus, bellis conficiant, & in infernum ruant. Contra vero Divinæ tres Perſonæ beneficium incarnationis pro ingratis, & nil tale cogitantibus, imò hoſtibus ſuis decernant. Altero verò Christum Dominum inducit ad ſectandum ſe, pugnandumq; contra hoſtes ſuos, invitantem.

IN PSALMUM III.

Domine quid multiplicati ſunt, &c.

MEDITATIO III.

SACRA ANCHORA

vel

Recurrendum ad Deum cum fiducia in tentatione.

Argumentum Pſalmi.

Opem Dei implorat in perſecutione filii Abſolonis, 2. Reg. 15. (ſenſ. litt.) ut Pſalmi habet inſcriptio, accommodatur Christo reſurgenti (ſenſ. alleg.) cuivis juſto in afflictione (ſenſ. mor.) quem in hac meditatione majoris devotionis cauſa ſequemur.

Punctum I.

COnſidera hoſtium noſtrorum in hac vita nos oppugnantium, tum multitudinem, tum ferociam, quæ exprimuntur vel per hoſtes Da-

[illegible] Abſalone eum perſequentes, de quibus 2. Reg. 15. ſcribitur, [illegible] Iſrael Abſalonem ſequebatur. Vel per Iudæos [illegible] David figura ſunt, præſertim in paſſione clamantes: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*, Joh. 19. Cum quibus perſpecto cum S. Antonio, omnia plena eſſe laqueis, vel perpenſis ſuis inclinationibus, vel conſiderato, quod Apoſtolus Epheſ. 6. monet: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Meritò exclamare anima devota poteſt: *Domine quid multiplicati ſunt, qui tribulant me, multi inſurgunt adverſum me.* v. 1. quorum tanta ferocia eſt, ut apertè vitæ, animæq; perdendæ inſidientur, imò ad deſperationem adigere conentur, dum partim inſultantes in faciem, partim internis ſuggeſtionibus *dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo eius.* v. 2. Sicut Judæi Chriſto in cruce inſultabant, Matth. 27. *Confidit in Deo, liberet eum, ſi vult.* Quaſi à Deo in illum ſperantium nulli ſubſidium ſit, ſed ab eo etiam Deo in quem [illegible] confidebam, *deſertus*, & abjectus ſim, quæ graviſſima deſolatio eſt, quam S. Job affectus à propria uxore audiit: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua, benedic Deo, & morere*, Job 2. & S. Tobias item à ſua: *Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt*, Tob. 2.

Affectus timoris, & diffidentiæ ſui.

O Deus, quomodo non expaveſcam toto corpore, & animo, cum hoſtium meorum, ſive internorum, ſive externorum multitudinem, ferociamq; conſidero! deſperare meritò poſſim, & deſpondere animum, ad quod etiam inſultando me impellunt, ſi vel ad vires, vel ad merita mea oculos reflectam, & non ad te potius, in quem mihi penitus diffidens [illegible] confido, ſequentibus de cauſis.

Punctum II.

COnſidera cauſas, ob quas confidere in Deo meritò debeamus in omni adverſitate.

1. Quia ille non eſt tantum potentiſſimus Dominus:

2. Sed etiam miſericordiſſimus *ſuſceptor, adjutor, defenſor, protector*, [illegible] *ad ſe confugientibus.*

3. Imò qui ex depreſſione noſtra, quam hoſtes noſtri intendunt, gloriam noſtram educit.

4. Cauſaq; eſt exaltationi, & lætitiæ, ut mœſti, dejectóque vultu ante incedentes, ſtati pòſt Dei adjutorio *levemus* lætabundi *caput noſtra. Tu autem Domine, ſuſceptor meus es, gloria, & exaltans caput meum.* v. 3.

5. Hanc in Deum fiduciam experientia ipſa docet, [illegible] exemplo, cum exaudit [illegible]. Quoties enim *Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte ſancto ſuo.* v. 4. de ſublimi throno gloriæ ſuæ dignatus me terra vermiculum benigno vultu reſpicere.

6. [illegible] potentia & miſericordia [illegible] protectio Dei confidentem facit, [illegible] in mediis adverſitatibus, ſolito ſine cura [illegible] ſine ſomni interruptione obdormiſcere, & ſecuro animo evigilare, ac [illegible] exurgere, quòd eâ freti ſciant Dominum curam ſui ſuſcipere, dicantq; illud Pſal. ſeq. *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

7. [illegible] exemplum ad fiduciam eandem excitare poteſt, cui verſum hunc [illegible] poſt [illegible] reſurrectione, & contra hoſtes exaltatione [illegible] loquentem, interpretes accomodant. *Ego dormivi,* [illegible] (in lecto crucis ſponte me componens) *& ſoporatus ſum* (per mortem [illegible] in ſepulchro jacui) *& exurrexi* [illegible], non humano) quoniam [illegible] *& exaudivit me.* Ita Deo confiſum, poſtquam [illegible] ab hoſtibus [illegible], depoſitâ omni ſollicitudine, atque in Deum rejectâ, tranquillo eſt animo, [illegible] ſecuritatem [illegible] ſomnum, [illegible] quieſcat, exurget [illegible], vel [illegible] placide ſomno, vel [illegible], quia Deus eum eripuit, & ſuis ab hoſtibus protexit.

Affectus confidentia.

QUid [illegible], potentiſſime Deus, [illegible] protectionem ſuis [illegible]

[illegible] (multa ſc. vel decem millia ut Hebr.) *populi circum-dantis me* [illegible]. *Si conſiſtant adverſum me caſtra*, integra quamvis mul-[illegible] *non timebit cor meum*, *& ſi exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo*. Pſ. 26. *quia tu mecum es*, meus inquam [illegible], ſub hac ergo providentia [illegible] ſecurus in omni ca-ſu [illegible] in pace conquieſcam. *Exurge* [illegible] *tu, Domine*, [illegible] 7. 6.

Punctum III.

CO[illegible] efficaciſſimum ad Dei promerendam protectionem, re-[illegible] Deo [illegible] attribuere, [illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] *tu percuſſiſti omnes adverſantes mihi ſine cauſa*, [illegible] Hebr. [illegible], id eſt, non ſolum cum dolore, ſed [illegible] pudore, & confuſione eorum qualis eſſe ſolet percuſſio [illegible] *Dentes peccatorum contriviſti*. [illegible] [illegible] percuſſiſti, ut dentes ſimul excuſſeris, & ſubnervaris [illegible] contrive-[illegible] & [illegible] [illegible] non poſſint, latrare tantum & terrere poſſint. [illegible] [illegible] tempus [illegible] [illegible] quia [illegible] diligentibus Deum *omnia cooperantur in bonum*. Rom. 8. [illegible] *ſuper populum tuum benedictio*. [illegible] & gratia ab ipſo [illegible] [illegible] omnis honor & gloria in ſæcula [illegible]

Affectus laudis, & gratiarum actionis.

T[illegible] O Deus, [illegible] ab [illegible] noſtris, tuæ gratiæ [illegible] [illegible] populum [illegible] referenda eſt liberatio. [illegible] [illegible] noſtris.

ORATIO.

P[illegible]

tuum gratiæ tuæ, ut tuâ ſub [illegible] ſicut ab [illegible] protegamur inſi-dur, liberatiq; gratiarum [illegible], & laudes tibi hic & in æternum de-cantemus. Amen.

IN PSALMUM IV.

Cum invocarem, &c.

MEDITATIO IV.

Fiduciæ in Deum motiva, ac media.

Quæ eſt proſecutio meditationis ſuperioris, ſicut ipſe quoque Pſalmus hic continuatio præcedentis eſt. Quod uterque ob rebellionem Abſalonis à Davide in anguſtiis poſito conſcriptus ſit, teſte Marianâ.

Argumentum Pſalmi.

Hortatur hoſtes David (ſenſ. litt.) ut omiſſis vanis conſiliis, Deum colant cum fiducia, poſcens contra eos auxilium. (ſenſ. alleg.) Chriſtus & Eccleſia hortantur peccatores, ut convertantur. Nos ſenſum moralem ſequimur, quem Titulus meditationi præ ſe fert.

Punctum I.

CONſidera ſtimulos, vel motiva, quæ ad fiduciam erga Deum in adverſitatibus concipiendam nos excitare poſſint.

Et ſtimulus primus eſt. Exempla Sanctorum, inter quæ ſuum ponit S. David, inquiens: *Cum invocarem, exaudivit me Deus juſtitiæ meæ,* v. 1. quaſi dicat, quoties in tribulatione conſtitutus invocavi piis precibus Deum juſtitiæ meæ conſcium, et vindicem, vel defenſorem, ac judicem (id enim Hebræum [illegible] ſonat) vel à quo omnis juſtitia mea, quique & author, & cuſtos innocentiæ meæ eſt: *exaudivit me non ſolum ſuo, ſed etiam in tribulatione dilataſti mihi,* [illegible] Deus cor meum fiduciâ, ſive conſtrictum anguſtiis cor [illegible] ita mihi dilatatum eſt, ut quod S. Paulus etiam ſenſit 2. Cor. 7. *Superabundarem gaudio, & glorior in tribulatione.* 1 Rom. 5. quod eſt beneficium maximum ſupra ipſam liberationem ab omni adverſitate. Aliorum SS. exempla ſimilia in antiquo, novoq; Teſtamento paſſim occurrunt, ut

eſt

eſt [illegible]. Dan. 13. quæ Deo [illegible] accuſata à ſenibus [illegible], [illegible] *[illegible] quæ ſolummodo [illegible]*, [illegible] ſuiſq; ſuo & ſuorum, cæterorumq; [illegible]. Ita Joſeph à fratribus venditus, ob falſum adulterii crimen ab hera impoſitum, carcere mancipatus à Divina providentia, cui ſe permittebat, [illegible], exaltatus eſt *in Dominum [illegible] Ægypti. [illegible]*, inquit Gen. 45. fratribus ſuis, *ſed Dei voluntate [illegible], qui fecit me Principem in omni terra Ægypti. Præ[illegible] in Dominum [illegible] Ægyptum.* Ita Job ab [illegible] Deum [illegible], qui dicebat cap. 13. *Etiamſi occiderit me, [illegible]*, [illegible] ſolum in omnibus adverſis eſt à Deo, ſed etiam [illegible] omnibus, quæ ſi duplicia accepit, univerſa *[illegible] Dominus [illegible] magis quam principio ejus*. cap. 42. Ita Tobias in [illegible] ſua conſtanter Deo adhærens non tantum lumine [illegible], [illegible], ſed bona alia etiam omnia [illegible] eſt. Idem innumera alia exempla in Novo Teſtamento confirmant, quæ mitto. [illegible], quæ in ſe quiſq; experitur [illegible] cum Deo [illegible] Eccl. 2. *[illegible]*, *[illegible] in Domino, & confuſus eſt.* [illegible] ad[illegible] David, [illegible], ut Deus [illegible] circa ſe conſtituit, & *[illegible], quod in ſe ſperaret*. [illegible] orationem [illegible] periculis, [illegible], que [illegible] *[illegible]*, [illegible] inquiens, [illegible] quiſ dicat, [illegible] nunc oro, ut ita miſereatur mei ſemper, [illegible].

[illegible] creaturarum. In quibus [illegible] homines [illegible] ſolent, ut [illegible] to ſibi [illegible] quam, *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Jer. 17. converſo per apoſtrophen ad e[illegible], *Fili hominum*, inquit (Hebræum [illegible], hominum, [illegible] *filii mei gloriæ [illegible] uſquequo [illegible]*, [illegible], [illegible] ut Hebr[illegible] *[illegible] gloriam meam in [illegible]* ſc. vertetis, [illegible] velut que *gloriam [illegible]*, [illegible]

pon[illegible]

ponendo eam rebus creatis? vel *uſquequò glorioſi vos ad mei ignominiam diligitis?* &c. quæ omnes verſiones hebrææ in eundem ſenſum ferè recidunt.) *Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* v. 3. cum res creatæ vanæ, & fallaces ſint, ſpémq; veſtram eludant, & vobis mentiantur q.d. filii hominum, qui ad imaginem Dei, finémque ſupernaturalem, ut Deo ſoli adhæreatis, ſerviatis, eoque fruamini, conditi eſtis, ideoque prænobiles eſtis, & glorioſi, cur ab indole veſtra ita degeneratis, ut pecudum modo, corde, vultuque in terram defixis, quæ ſurſum levare veſtra vos ſtatura docet, ſic degravati & depreſſi terrenis concupiſcentiis, & curis hujus mundi, tranſitoriis inhietis tantùm, in iiſque ſpem omnem collocetis, quæ tamen ſolidè ſpem firmare veſtram non poſſunt, ſed imposturæ tantùm ſunt fucatæ felicitatis, & mendaciis vos eludunt, nec explere animum poſſunt, utpote Deo ſoli factum, ab eo ſolo tantùm explendum?

Tertius ſtimulus Chriſti meritum & bonitas. *Scitote, quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum,* v. 4. quia, ut benè Bellarminus, hæc eſt potiſſima ratio, cur debeant homines non ampliùs ſpe inhærere temporalibus, ſed eam omnem in Deo figere, quia ſanctum ſuum Deus, id eſt, Filium Dei, de quo Dæmon in Evangelio clamabit Marc. 1. *Scio qui ſis, ſanctus Dei:* quod tamen Sanctus juxta Hebræum iis tantùm tribuitur, qui animo benefico, & liberali, & ad juvandum omnes benè propenſo ſunt, hunc, inquam, Sanctum, & Chriſtum, vel *unctum ſuum, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes.* Act. 10. *mirificavit Deus Pater, dando ei omnem poteſtatem in cœlo, & in terra.* Matth. 28. Ecce ſuſcitatum ab inferis poſt paſſionem, & mortem pro nobis obitam conſtituit in cœlo ad dexteram ſuam, ut *ſit ſemper vivens & mediator,* 1. Timoth. 2. *ad interpellandum pro nobis.* Hebr. 7. Rom. 8. Nunc ſcitote, certò confidite, & benè animum advertite, tantæ eſſe bonitatis, tantæ potentiæ, & tantorum meritorum, ut mox Dominus exauditurus ſit [illegible], [illegible] ſicut promiſit Joh. 14. *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.*

Affectus fiduciæ in Deum, & contemptus rerum creatarum.

R*eſpicite filii hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, &* *confu-*

confuſus eſt. Eccl. 2. *O! ergò omnes, qui timetis Deum, ſperate in eum.* ibid. O! quoties expertus id meis in tribulationibus quoque ipſe ſum, in quibus fiduciâ & ſolatio dilatatus fuit animus meus, & mox exauditus ac liberatus ſum. Et quidni igitur totâ confidentiâ in eum feremur, & ſperabimus? *quia advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.* 1. Joh. 2. Abſit igitur, ut degeneres ab inclyta origine filiorum Dei, immemores finis generiſque noſtri, ad ignominiam Patris noſtri cœleſtis in re alia creata ſpem noſtram ponamus, & corde degravato tranſitoriis inhæreamus, in quibus mera vanitas, mera impoſtura, & falſitas atque afflictio ſpiritus eſt. *Feciſti enim cor noſtrum ad te Deus, & inquietum eſt, donec requieſcat in te.* S. Aug.

Punctum II.

CONſidera hujus confidentiæ in Deum *media.* Inter quæ *præcipuum & unicum quaſi fundamentum eſt vitæ inculpatæ integritas*, juxta Joh. illud 1. cap. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus.* Hoc idcircò monet, docetque Pſaltes v. 5. per partes juſtitiæ his gradibus:

1. *Iraſcimini, & nolite peccare*, nimirum, ut ſanctâ quâdam iracundia exardeſcamus contra peccatum, & reſiſtamus pravis deſideriis, atque eo modo peccatum vitemus, generosâq; animi reſolutione ſalutare contra nos odium concipiamus, mortificando nos, & concupiſcentias noſtras juxtra illud Chriſti, *qui non odit Patrem, &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Luc. 14. Hebræa vox ſignificat etiam *contremiſcite*, vel *pavete*, mox ſcilicet ad primam ſuggeſtionem, vel tentationem, tanquam ad caput ſerpentis è latibulo ſuo prorepentis conſpectum horrore quaſi naturali cohorreſcite, uti idem Pſaltes de ſe profitetur Pſ. 39. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* Subdit, *& nolite peccare*, id eſt, ut non peccetis, vel ſic non peccabitis: quod eſt excellentiſſimum medium ad animi puritatem ab omni peccato, vitæq; innocentiam acquirendam. Eodem ferè recidit explicatio aliorum, per quam hypotheticus Hebræorum loquendi modus per Imperativum efferri ſolet, quaſi dicatur: *ſi iraſcimini, nolite peccare.* Si vos iraſci contra me, aliúmve contingat, aliáve tentatione appeti, nolite facere quæ ira, vel paſſio iſta quæcunque tentatione ſuggerit, cavere in ea hæreatis, aut ex ea in opus externum prorumpatis.

Alter gradus, ſeu medium primæ partis juſtitiæ eſt, ſeu declinandi à malo, *quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* v. eod. Ut nimirum, ſi fortè vehementior appetitus, & tentatio nos apprehenderit, eíque quâcunq; tandem ratione per fragilitatem humanam ſuccubuerimus, continuò compungamur animo, doleamus, reſurgamus, compungamur inquam, *in cubilibus noſtris*, tempore nocturno, dum ſumus ab alia curâ liberi, & nobiscum ſoli. *Quod in die*, inquit S. Hieron. *cogitando peccatis, noćte expiate per lachrymas*, more ipſius Davidis Pſ. 6. *Lavabo per ſingulas noćtes lećtum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vel antequam cubitum concedamus ſoli & quieti, ut per otium ſine interturbatione nosmet diſcutere nobis liceat; cogitata, dicta, factáq; noſtra examinemus in intimo cubili conſcientiæ noſtræ. Verùm quia non eſt ſatis *declinare à malo*, omníque ejus occaſione, ſed neceſſe quoq; eſt *facere bonum* pro hac altera parte juſtitiæ.

Tertium medium, & gradum præſcribit v. 6. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.* Exercete vos, inquam, in operibus bonis, quæ vera ſunt ſacrificia juſtitiæ, quibus exhibemus nos *hoſtiam viventem*, *ſanctam*, *Deo placentem.* Rom. 12. quibúsq; honoratur, & quaſi odore ſuaviſſimo paſcitur, idem Deus. Et *ſic ſperate*, vel ſperabitis *in Domino*, ſine præſumptione, & non vanè. Niſi his verbis

Quartum gradum, vel quartum medium contineri velimus. Ut per veram reſignationem, & fiduciam filialem Deo nos committamus, uniamúsq; ita, ut de ſerviendo ipſi tantùm, placendóq; ſolliciti ſimus, cætera omnem ſollicitudinem noſtram in eum projiciamus, ſcientes, *quoniam ipſi eſt cura de nobis*, ut monet S. Petrus 1. cap. 5. quod eſt pulcherrimum illud, ſanctiſſimúmq; pactum, quod ſponſa vel devota anima cum cœleſti ſponſo pepigit. Cantic. 2. *dilectus meus mihi* (intendit) *& ego illi.*

Deniq; quintò etiam, ne his omnibus, quæ dixi, à nobis factis innitamur, quaſi propriis meritis, operibúsq; noſtris, & ſuperbè cum Phariſæo Evangelico de iis præſumamus, ſed diffiſi penitùs nobis divinæ gratiæ omnia adſcribamus.

Subjungitur objectio, vel impiorum, vel ignorantium eod. verſ. ſecundùm græca & latina, ſecundùm hebræa enim novus verſus eſt. *Multi dicunt, quis oſtendet nobis bona?* ſcil. opera hæc, quæ nobis commen-

mendas, aut quæ iſta juſtitia eſt, cujus ſacrificium ſacrificare debemus? quis illius viam nobis oſtendet? ad quam reſpondet Pſaltes: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* v. 7. quod eſt

Quintum quaſi medium, tum ad fiduciam, tum ad ſupra dicta alia pertingendi: attendere nimirum, & adhibere in conſilium lumen, quod divinitùs nobis datum eſt. Ut primò eſt *Lumen* rationis *naturale*, quod à Divino vultu quaſi derivatum, animæ noſtræ ad Dei imaginem creatæ indelebiliter inditum eſt, quo à beſtiis diſcriminamur, & bonum à malo ſecernimus; quæ etiam legis æternæ Dei derivatio quædam in animam noſtram eſt, eidem intimè impreſſa, & ab ea indiſtincta, hoc lumen demonſtrat nobis viam juſtitiæ ſive in generalibus principiis. v. 9. quod tibi vis, vel non vis fieri, alteri feceris, vel non feceris, ſive in particulari hic, & nunc in materia hujus, vel illius virtutis; cum quo, accedente divinâ gratiâ, exequi poſſumus juſtitiæ opera.

Cui accedit lumen fidei ſupernaturale: quo Chriſtiani multò accuratiùs pervident, quæ ex virtute nobis agenda ſunt.

Addi poteſt *Lumen S. Spiritus* in particularibus inſpirationibus, & inſtinctibus privatis, quibus ad omnem perfectionem promovemur. His tandem adjungitur *ſynderesis, vel teſtimonium* conſcientiæ propriæ, quod vel approbat ſingulari gaudio, & pace, opera bona, quæ ſubſequitur, de quo eod. v. *dediſti lætitiam in corde meo*, vel improbat mala per triſtitiam, ac remorſum conſcientiæ, quæ malè factorum comes, & pœna eſt. Ut Gen. 4. Deus dicebat Cain, *nonne ſi benè egeris, recipies? ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit* in remorſu, & verme conſcientiæ, quaſi in vindicta: ſed quia hæc ultima demonſtratio apud omnes non ſemper reperitur. *Impius enim, cum in profundum venerit, contemnit.* Prov. 8. benè reſtrinxit illam vel lætitiam, vel remorſum conſcientiæ ad ſe & juſtos *(dediſti lætitiam in corde meo.)*

Affectus compunctionis, & excitationis ſui ad confidentiam in DEO.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas te in adverſitate tua? Pſ. 42. Ecce quot ſtimuli, qui ad confidendum Deo nos excitant, quot media, quæ ad idem adjuvant? *ſpera ergò in Deo, & ſacrifica ei ſacrificium juſtitiæ!* Ignoſce puſillanimitati meæ Deus & iner-

tiæ, poſt tot lumina, quæ *ſignaſti ſuper me* tum naturalia, tum ſupernaturalia, & gratiam largire, ut tibi ſoli intentus, tuóq; ſervitio, in te omnem ſollicitudinem rejiciam, tibíq; me unicè committam.

Punctum III.

CONſidera eximium, ſuaviſſimúmq; fructum confidentiæ in Deum, qui eſt jucundiſſima pax animi, & ſecuriſſima in Deo quies, quâ juſtus, & amicus Dei, rejectâ in eum de ſe curâ omni per confidentiam, tanquam tutiſſimâ in domo habitat, & in ſtrato velut molliſſimo ſpei divinæ ſoli placidiſſimè quaſi indormit, quæ animi tranquillitas omnibus omnium divitiarum theſauris anteponenda eſt, qui poſſeſſores ſuos curis diſtrahunt, inquietudine turbant, & affligunt. Nam v. 8. inquit *à fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati* quidem *ſunt* ſæculi hujus amatores, ſcil. qui in divitiis ſpem omnem repoſitam habent, ſed quantumvis bonis omnibus affluant (quæ per ſynecdochen tribus recenſitis ſignificantur) eadémq; illis continuò accreſcant, & multiplicentur, non inveniunt tamen in iis quietem (de qua v. ſeq.) ſed

quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ,

hydropis in morem. Cum cor humanum non niſi ſolo Deo expleri, ſatiaríq; poſſit. At verò vir juſtus in Deo confiſus exemplo David: *In pace in idipſum, dormiam & requieſcam*, inquit v. 9. id eſt, in hac ſpe etiam ſolâ conſtitutus, (quod eſt in idipſum) vel in Deo, ut explicat S. Auguſtinus, qui ſemper idipſum, ſeu idem ipſe eſt, ut alibi David ait: *Tu autem idem ipſe es.* Pſ. 101. Ac immutabilis, cum terrena hæc omnibus ſubjaceant viciſſitudinibus, & in ſe confidentes deſerant, in te ſummo bono, tuíſq; promiſſis, quamvis inviſibilibus ac futuris, ſummâ cum pace animi, velut molliſſimo ſtrato incubans, placidisſimè dormiam, & ſuaviſſimè requieſcam, & in vita hac, & in futura, quàm juſti jam tum ſpe præcipiunt, id quòd nequaquam conceditur iis, qui deſideriis, curíſq; terrenarum divitiarum implicantur, qui licèt lecto, plumíſq; molliſſimis ad dormiendum, quieſcendúmq; omni ſtudio ſe componant, non ſinuntur tamen quieſcere, & dormire, quia ſpinis, ut Chriſtus divitias vocat, incubant. Subdit cauſam v. 10. *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* q. d. ſingulari quâdam ratione tranquillitatis animi, quam qui non ſentit, vix credit, multò minus animo concipit, aut verbis exprimit in hac ſpe conſtitutus, & ſtabilitus,

non ſolùm placidiſſimè quieſco; verùm etiam tanquam in fortalitio inexpugnabili, firmiſſimáq; munitione ſecuriſſimè ſubſiſto.

Praxis hujus conſiderationis ab Apoſtolo ad Philip. 4. hæc traditur: *Gaudete in Domino, &c. nihil ſolliciti ſitis*, nec in adverſis conturbemini, *ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtra innoteſcant apud Deum*, magnâ confidentiâ curam illi de vobis relinquendo, & ſic fiet (quod & curandum vobis quam maximè eſt) ut *pax Dei*, quæ non ſolùm divitias, ſed etiam *exuperat omnem ſenſum*, ejúſq; delectationem, *cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Affectus quietis in Deo ſuper omnia.

HAbeant ſibi ſanè filii ſæculi hujus ſuas divitias, quas accumularunt; habeant ſuos patronos, in quibus ne quicquam confidunt, habeant delectationes, in quibus tamen omnibus, non quietem & verum gaudium inveniunt, ſed inquietudinem potiùs & afflictionem ſpiritus. Tu verò cum Thoma Chriſtum imitare l. 3. c. 21. *ſuper omnia, & in omnibus requieſce anima mea in Domino ſemper, quia ipſe Sanctorum æterna requies. Da mihi dulciſſime, & amabiliſſime Jeſu in te ſuper omnem creaturam quieſcere, &c. quia tu Domine Deus meus ſuper omnia optimus es, tu ſolus ſufficientiſſimus, &c. in quo cuncta bona ſimul & perfectè ſunt, &c.* Vide loc. cit. latè & devotè deductum hunc affectum.

ORATIO.

DEUS juſtitiæ amator, & vindex, dilata in tribulationibus noſtris per fiduciam cor noſtrum, ut rerum terrenarum ſolatio perfugióq; repudiato, & vultûs tui lumine ſuper nos ſignato, per vias rectas juſtitiæ ducti, in te ſummo bono, tuâq; providentia, per merita & interpellationem Sancti Sanctorum Chriſti filii tui hìc, æternúmq; ſecuri conquieſcamus. Amen.

IN PSALMUM V.

Verba mea auribus percipe, &c.

MEDITATIO V.

FUNICULUS TRIPLEX

ſeu

De unione triplici cum Deo, per orationem, per gratiam, & per gloriam.

Argumentum Pſalmi.

Si ſenſum literalem ſpectemus, rogat Deum exul David, ut hæreditatem ſuam recuperet. Nos ſenſu juxta titulum meditationis myſtico, animæ accommodabimus aſpirantis ad unionem cum Deo velut hæreditatem ſuam.

Hæc enim unio cum Deo & hæreditas illa, pro qua conſequenda inſcribitur Pſalmus hoc titulo: *pro ea, quæ hæreditatem conſequitur*, id eſt, vel Eccleſia, vel anima juſti, cujus votum & gemitus, vel turturis ad hanc unionem cum Deo, in hac, alteráq; vita aſpirantis hoc Pſalmo exprimitur. Unio autem hæc triplex ſtatuitur ſcil. per orationem, & per gratiam in hac vita, & per gloriam in ſempiterna altera, de quibus in punctis ſequentibus.

Punctum I.

Conſidera 1. Bonæ orationis, quâ Deo unimur in hac vita, qualitates: quarum

1. Eſt *attentio*, quæ exprimitur per bonam audientiam, quæ à Deo poſcitur

1. Ut Deus ſonum & verba orationis noſtræ audiat. *Verba mea auribus percipe Domine.* v. 1.

2. Ut nos intelligat. *Intellige clamorem meum.* ibid.

3. Nobis attendat. *Intende voci orationis meæ,* cauſam addit, quia es *Rex meus, & Deus meus.* v. 2. ad quem meritò, & unicè mihi ſubdito, & Creaturæ tuæ per orationem recurrendum eſt. Non quod defe-

ctus

ctus illi bonæ audientiæ, ſcil. non percipere vocis ſonum, vel perceptum non intelligere, vel aliis intentum eſſe, & illi non attendere in Deum cadere poſſint; ſed quod hi noſtræ orationis defectus ſint, ob quos illa meritò à Deo contemnitur, dum ſcil. vel ipſi nos non audimus propter diſtractiones, & teporem, ſeu defectum fervoris, qui per clamorem ſignificatur; vel non intelligimus, & neſcimus ipſi quid petamus, petendo nobis noxia; vel ob debitæ humilitatis, reverentiæ, fiduciæ, alióſq; defectus, indignos nos reddimus, quibus Deus attendat; „ Ut hic benè Bellarmin. Quomodo enim merebitur, ut eum audiat „ Deus, qui non audit ſeipſum? aut petitionem ejus intelligat, qui, quod „ petit, ipſe neſcit? aut propter offenſam tanti Domini, quam ſuâ ir- „ reverentiâ committit, dum ab eo, vultum, aures, & animum avertit; „ ut ad ſe illa Deus convertat? Medium ergò primum, optimúmque „ eſt bonæ orationis in exordio ejus, gratiam benè orandi à Deo petere „ cum Eccleſia, quæ à S. Spiritu inſtructa, præmittit initio orationum „ ſuarum illa *Domine labia mea aperies*, vel, *Deus in adjutorium meum* „ *intende*, &c.

2. Et humiliatio ſui: *quoniam ad te orabo Domine*. v. 3. Dicendo cum Abraham, *loquar ad Dominum meum cum ſim pulvis & cinis*. Gen. 18. quo etiam referri poteſt illud verſus præcedentis: *Rex meus, & Deus meus*.

3. Eſt, ut oratio inſtituatur tempore apto & opportuno, quale eſt matutinum, quo etiam tempore Eccleſia hunc pſalmum præſcribit, in horis Canonicis, nempe feria ſecunda in laudibus, quæ olim ſeparatæ à matutinis dicebantur manè ſub auroram, antequam ſcil. turba negotiorum, & cogitationum aliarum nos obruat, *Manè exaudies vocem meam*. v. 3. *Manè adſtabo tibi*. v. 4. Et in ſilentio illo matutino tuam mihi præſentiam objiciam? vel juxta Hebr. *manè diſponam, & ordinabo tibi*, vel *coram te omnia, quæ* toto die acturus, locuturus, paſſurus ſum: atq; videbo, & contemplabor thema ſequens, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*. Quæ eſt

4. Qualitas, nempe immunitas à peccatis, nam: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Matt. 5. Unde *Juſtus prior*, & in initio orationis ſuæ *accuſatior eſt* ſui. Prov. 18. Per contritionem nimirum, de peccatis, & defectibus, quam ſapienter præmittit orationi ſuæ, juxta Conſilium Aſcetarum.

Affectus

Affectus deſiderii uniendi ſe Deo per Orationem.

O Bone Jeſu! *Rex meus*, cujus eſt audientiam ſubditis ſuis præſtare, & *Deus meus*, cujus creatura ſum, quæ ſine gratiæ tuæ auxilio, neç Sanctiſſimum quidem nomen tuum invocare poteſt, *doce nos orare*, ſicut Luc. 11. docuiſti diſcipulos tuos. *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, Ergo *Sanctisſimus Spiritus tuus, in quo clamamus Abba pater, poſtulet pro nobis gemitibus in enarrabilibus.* Rom. 8. Munda etiam cor meum, ab omni inordinato affectu, ab omnibus importunis cogitationibus, & peccatis, ut cum reverentia, humilitate, fiducia, coram divino conſpectu tuo appaream, & à te exaudiri merear.

Punctum II.

EXpende alteram cum Deo in hac vita unionem per gratiam, quæ fuit ex parte materia meditationis matutinæ S. David, & objectum, dum ait: *manè aſtabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Cum ſis ipſa bonitas, abominaris omnem malitiam, nec peccata approbas, ut Dii gentium, qui ſcelerum fœdiſſimorum Magiſtri ſunt. Unde peccatis obnoxios in tuam familiaritatem non admittis. *Neque habitat juxta te malignus*, ullo amicitiæ fœdere tibi conjunctus, *neque permanebunt injuſti ante oculos tuos*, nec enim eos gratioſo oculo, & amico vultu dignaberis, ſed potiùs eos projicies à facie tua. Pſ. 50. Nam *oculi Domini*, (paterni & benevoli) *ſuper juſtos tantùm, vultus autem* (iracundi & ſeveri judicis) *ſuper facientes mala, ut perdas de terra memoriam eorum.* Pſ. 37. & *odiſti omnes*, non tantùm, *qui operantur iniquitatem*, ſive peccata ipſo opere perpetrata, ſed etiam *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, ſive peccata oris per falſas criminationes, pernicioſáſq; locutiones detractionum, ſimiliúmq; verborum, imò etiam quæ internis deſideriis, & dolis iniquis in animo committuntur, nam *virum ſanguinum, & doloſum*, ſeu crudelem, ſanguiniſq; ſitientem, & machinantem ſolo etiam corde dolos, *abominabitur Dominus.* v. 7. Quocirca ego, ut inter domeſticos tuos, & familiares habitare, fruíq; dulci conſpectu tuo tibi conjunctus poſſim, contraria ſtudia ſectatus *in multitudine miſericordiæ* tuæ (non juſtitiæ, & viribus meis confidens) *introibo in domum tuam*, vel conjunctionem tecum amicitiæ,

ue, tanquam familiarem & domeſticum tuum colam per gratiam, & *ado-rabo ad templum ſanctum tuum*, per orationem inſuper me tibi uniam, [illegible] *in timore tuo.* v. 8. Cultu & filiali, reverenter & ſolliciè Majeſtatem tuam colendo. *Domine*, qui pœnitentes & ad te confu-gientes recipis, cum ob imbecillitatem meam, hoc deſiderium meum à te inſpiratum proſequi, ex me quidem ipſe non poſſim, *deduc me tu porrò in juſtitia tua*, ut per ſemitas hasce juſtitiæ perfectæ, odiendo malum, reſectando bonum, progrediar in unione tecum per gratiam, & perveniam ad finem meum, qui eſt, ut tecum uniar etiam per glo-riam. Atq; id præcipuè, *propter tu inimicos meos*, & inſidiatores, ſive internos, ſive externos, ut Dæmonem, mundum, & carnem, qui me vel ad peccatum trahere, vel à juſtitia retrahere conantur. Ob quos propter magno efficaci gratiæ tuæ auxilio, ſive dirigente ſive prote-gente, ſive præveniente, ſive concomitante, ſive ſubſequente indigeo, quibus [illegible], *[illegible]* v. 9. ut etiam perſe-ctionem [illegible] per ſingulas offenſas mihi, & [illegible] Deo meo [illegible]. *Quoniam non eſt in ore eorum ve-ritas, cor eorum vanum eſt.* v. 10. quibus inſidiatorum [illegible] [illegible], & [illegible], ut nulli illis fides haben-da ſit, [illegible], ipſisq; affectis quæ [illegible] manifeſtiſſimè apparet, [illegible] eſt verus à priori, quia *cor eorum vanum eſt*: omnes enim [illegible], quæ à corde procedunt, & omnia ſua ad [illegible], & [illegible]. [illegible] formulam, illæ ta-men ad [illegible] ſunt, id quod ſequentia verba [illegible] re-[illegible], *ſepulchrum patens eſt guttur eorum, lin-guis ſuis dolosè agebant.* Ex [illegible] ſepulchro, [illegible] abominationes, & [illegible] per guttur, [illegible] exhalantur omnis generis doli, [illegible], in linguam, [illegible] [illegible] proferuntur, [illegible].

[illegible] peccatorum, & [illegible] ad unionem cum DEO per [illegible].

I*N*[illegible], quæ à Deo unione, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & ſolitare, [illegible] Deo [illegible], & adſtare, [illegible] in [illegible] conſpectu ipſius.

O *dirige in conſpectu tuo*, Deus, *viam meam*, ut duce gratiâ tuâ per viam mandatorum inter tot pericula hoſtium fraudulentiſſimorum, in perniciem meam conjuratorum ad cœleſtem hæreditatem pertingam!

Punctum III.

COnſidera *tertiam* cum Deo *unionem* per gloriam in altera vita, quam nullo modo injuſti, ſed ſoli juſti conſequentur. Injuſtos enim velut à ſe, ſuâque gratiâ depulſos, & in hac vita hoſtes Deus variis pœnis afflictos, in altera vita à ſe repellet. Quarum ſynopſin continent v. 11. & 12.

Prima eſt, quòd in die judicii univerſalis præſertim hypocriſis eorum, & politicæ fraudes, quibus ſub larva honeſtatis tecti mundo imponunt, patefaciendæ omnibus ſint. *Judica illos Deus*, id eſt, *judicabis* (imperativo præſenti poſito pro futuro, prophetico ſpiritu.)

Secunda. *Decidant à cogitationibus ſuis*, id eſt, non ſolùm ſpe, conſiliiſq; ſuis fruſtrabuntur, ne aſſequantur hanc hæreditatem gloriæ, vel quod exoptabant, ſed exulabuntur etiam à pravis ſuis ſolatiis mundana deſideriis.

Tertia. *Secundùm multitudinem impietatum expelle eos*, id eſt, ab hæreditate æterna divini conſpectus ſui, & conſortio Sanctorum in perpetuas tenebras inferni expellentur, ibiq; pro multiplicitate ſcelerum ſuorum æternùm torquebuntur.

Quarta. *Quoniam irritaverunt te Domine*, id eſt, non ſolùm, quia in te rebelles extiterunt, ſed etiam ſervos & amicos tuos, aut vexaverunt, aut deſeruerunt, quod ita punies, ac ſi tibi illam injuriam irrogaſſent, memor illius: *Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, & *quod non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*. Matth. 25. Contra verò juſti hæreditatem illam, pro qua ſcriptus eſt Pſalmus, conſequentur, quæ v. 13. 14 15. laudatur

1. Ab omni jucunditate, quâ *lætentur omnes, qui ſperant in te*. Prolætabuntur, qui ſperaverunt, ut ſupra, & *in æternum exultabunt*, non brevi, & tranſitorio gaudio, ſed ſempiterno, cujus ſpe momentanea mundi gaudia contempſerunt.

2. A gaudii hujus cauſâ, *& habitabis in eis*, intimè illis unitus per beatam unionem, tu qui es ſumma jucunditas, omnes eorum po-

tentias,

[illegible], & ſenſus explendo omnibus deliciis, & omnigenâ volu-
ptate [illegible] *[illegible] & glorificabit.*

3. Alterum planè, *gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*, (nomen enim pro re, & perſona et ſcriptura ſæpè ponitur.)

4. Aliquod [illegible] & benedictionis, quo à Deo perfunduntur, [illegible] *[illegible]*, liberaliſſimè & abundantiſſimè.

5. Atque [illegible], [illegible] bonitate & charitate. Quæ cauſa [illegible], primæ [illegible] ſemper ex benevolentia, & miſericordia, qua ante mundi conſtitutionem eos elegit, poſt vocavit, & juſtificavit, denique glorificavit, atque his beneficiis quaſi *coronavit in miſericordia, & miſerationibus* Pſ. 102. Scutoq; inexpugnabili [illegible] undique cinxit, protexit, & complexus eſt. in quem Sententiam propterea hoc quaſi Epiphonemate pſalmum Concludit v. 15. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.*

Affectus admirationis, & imitationis.

PRorſus in diverſis [illegible], quam diverſũ hæ[illegible] Cœleſtis [illegible] reſpondet, à quibus illi [illegible] judicium [illegible] ſempiternum [illegible] gloriam, in ſempi[illegible]. Ut ergo illorum ſtudia [illegible]; Horum vero conſideremur, ut [illegible] utrobiq; [illegible].

ORATIO.

E[illegible] *permittas.*

IN PSALMUM VI.

Domine ne in furore, &c.

MEDITATIO VI.

DIGNI FRUCTUS, EFFECTUSQUE POENITENTIÆ.

Argumentum Pſalmi.

Lapſus in morbum David ob peccatum, de quo 2 Reg. 12. pro ſanitate corporis, & animæ Deum orat. [illegible] & cum hic inter Pſalmos ſeptem Pænitentiales contra ſeptem peccata capitalia à S. Gregorio, vel Eccleſia ordinatos primus (in ſenſ. moral.) rectè ſtatuitur.

Deprecatio reatus pænæ à peccatore reſipiſcente, atque ad perfectam reconciliationem aſpiratio.

Punctum I.

COnſidera pænitentiæ medium, & [illegible] primum eſſe: Naturam, & conditionem peccati lethalis cognoſcere, quæ [illegible] conſiſtit: Alter eſt culpæ, ſeu offenſæ infinitæ Dei, alter pœnæ tum æternæ in inferno, tum temporalis, ſive in hac vita, ſive in purgatorio luendæ. Utrúmq; agnoſcit & deprecatur S. David pænitens.

Primum per illa v. 1 *Domine ne in furore tuo arguas me*, teſte S. Greg. in hunc Pſal. ex S. Auguſt. timens judicia Dei, & de remiſſo eorum peccato adhuc, ſollicitus.

Secundum per [illegible] intelligit v. eod. *Neque in ira tua corripias me.* [illegible] *non ſolum furorem timet, ſed etiam iram* [illegible], ait S. Auguſt. ibid.

Affectus deprecantis.

AGnoſco, peccatis [illegible] pœnas, [illegible] ne quæſo in furore vel ira, ſed in paterno affectu, & amore [illegible] corripe, & ut [illegible] ad ſanitatem [illegible], juſte & miſericors Deus, [illegible] parcas, [illegible]

Punctum II.

COnſidera alterum pœnitentiæ medium eſſe Deprecationem [illegible] implorare, quod facit David [illegible] ad Deum [illegible] argumentis.

Primum ab infirmitate ducitur, & [illegible] in malum, [illegible] peccavit. *Miſerere mei Domine*, inquit, *quoniam infirmus ſum*: [illegible] levis illa infirmitas mea eſt, ſed quæ [illegible] *ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt*

oſſa

[illegible] Ita ut conſiſtere vix poſſim: id eſt, mutavit robur meum, [illegible] quæ per oſſa intelliguntur, & in quibus animæ [illegible]. Teſte S. Gregor. *Et anima mea turbata eſt valde.* [illegible]

[illegible] eſt à cognitione ſcil. peccati proprii, cujus [illegible] anima conturbetur. Larvata enim blandè peccata ſunt [illegible] committuntur, ſed ubi à commiſſis larvæ removentur, [illegible] apparent, & terrefaciunt: atq; hoc correptus horrore [illegible] per apoſiopeſin *ſed tu Domine uſquequò?* [illegible] quaſi imperfe-ctâ [illegible]. v. 8. Uſquequò ſinis me ſub hoc mon-ſtro [illegible] miſerum me linquis.

[illegible] *Converte Domine*, inquit, [illegible] *propter miſericordiam tuam.* [illegible] benignumq; vultum tuum, & [illegible] *Jeſus*, qui mox id-[illegible] ſtatus, *flevit a-*[illegible]. Talem [illegible] convertentem ex me-[illegible] animam meam à peccati malo, [illegible]

[illegible] *Dei*, [illegible] ſunt, [illegible] ita nec ea mihi dam-[illegible], ſed [illegible] potius. [illegible] *qui confitebitur tibi?* ſive [illegible]

[illegible] fructus dignos pœniten-[illegible]

[illegible] Nam implorare miſeri-cordiam [illegible] operari [illegible] id eſt, [illegible] & fremitu [illegible] & virium [illegible] *meum*. 2. Ita continuò, [illegible] 3. [illegible] Nec [illegible]

 quod

illud faciam. Hinc *turbatus eſt à furore oculus meus*, corroſus nimirum à fletu caligaverit propter [illegible]. Seu indignationem, quâ contra me fœditatemq; peccatorum meorum exarſi; & quia *inveteravi inter omnes inimicos meos*, tanto tempore in peccatis hærendo, nec perfectè vitiis reſiſtendo, & conſenuerim propè inter hoſtes, ſive dæmones, ſive homines, ſive paſſiones, vel affectus, habitusq; malos, qui me ad peccandum impulerunt.

Affectus imitationis.

O! Qui ſecutus es Davidem peccatorem, ſequere & pœnitentem; vide *humilitatem & laborem ejus*, lacrymisq; ſimilibus pro delictis profuſis ea elue, ut *dimittat tibi univerſa delicta tua*, Deus tuus. Pſ. [illegible]

Punctum III.

COnſidera præclaros pœnitentiæ Davidicæ effectus.

Primus eſt, quod non ſolùm ex parte Dei peccata ei remiſſa ſunt, precésq; illius exauditæ; verùm etiam quòd ex parte ſua, divinâ gratiâ confortatus, generoſè ſtatuerit deinceps omnibus tum delictis, tum occaſionibus, ſociis, tentationibus, & quidquid inducere ad ea quoquo modo poſſet, & operantibus ſecum iniquitatem, nuntium remittere, eosque longiſſimè à ſe amandare.

Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, ([illegible]) *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*.

Quod beneficium exauditæ orationis, v. 9. bis repetit. *Exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam ſuſcepit*: idq; vel ad augendum, magnificandumq; beneficium, vel ad certitudinem ejus, ſuamq; fiduciam ſignificandam. q.d. Abigite hinc hoſtes animæ meæ, inter quos inveteravi, ita ut [illegible] nullum vitium perfectè vicerim, nullumq; ex vobis hoſtibus debellaverim. Dixi, nunc cœpi, confiſus gratiâ, quâ me confortatum ſentio, quia Deus vocem fletus mei exaudivit.

Secundus effectus eſt liberatio à tyrannide, & vehementia tentationum, & hoſtium Tentatorum, dum animus [illegible] virtute deinceps omnia [illegible]: vel non audent tentationibus eum ſuis aggredi, vel mox repulſi fugam ineunt, cum confuſione & pudore; vel [illegible] prævalere [illegible] non poſſunt, ac tentationi-

bus

[illegible] Unde cum Ægyptii quaſi clamant, Exod. 14. *Fugia-mus* [illegible] *pro eis contra nos*, & hoc eſt, quod ait [illegible] *erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei,* [illegible] *convertantur & erubeſcant valdè ve-lociter*: id eſt [illegible] cum confuſione retrò convertantur, & veloci-ter [illegible], non tamen poſt hæc ideo tentandum iterum accedere.

Atque hic geminus ille pœnitentiæ effectus eſt. Quem S. Maria Magdalene [illegible] à Chriſto audivit. Luc. 7. *Dixit tam-* [illegible] *Vade in pace, fides tua te ſalvam fecit.*

Affectus admirationis, & gratitudinis.

O Magnam Dei in peccatores miſericordiam, & clementiam! ô mutationem dexteræ excelſi! Vix doluit ſincerè peccator, vix ſe-[illegible] dixit, nunc cœpi, Deumq; in adjutorium invocavit; cùm [illegible] peccata ei à Deo remittuntur, ſed [illegible] eſt cax con-[illegible], à quo hoſtes, & tentationes devincuntur, ut cum confuſione ab eo [illegible], nec revertiſæpe ad pugnam præſumant.

ORATIO.

D[illegible] *pœnitentiæ placere,* [illegible] *propter miſericordiam* [illegible] *labores, &* [illegible] *tribue benignus & pacem, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.*

IN PSALMUM VII.

Domine Deus meus, in te ſperavi.

MEDITATIO VII.

Remedia contra calumnias tum perferendas, tum inferendas.

Argumentum Pſalmi.

Eſt hic Pſalmus oratio Davidis, vel in perſona ſua [illegible] ſive à Saule, ſive à Semei perſecutiones, & calumnias perferentis 1 Reg. 22. & 2 Reg. 16. Vel in perſona Chriſti

[illegible]

(ſenſ. alleg.) à Juda & Judæis: Vel cujuscunq; juſti (ſenſ. moral.) ab obtrectatoribus calumnias, injurias, &c. ſuſtinentis, & deprecantis. Et quia ſimul apta remedia ſuggerit contra obtrectationes ejusmodi, ea in hanc meditationem ſic diſpergere, viſum eſt.

Punctum I.

COntra calumnias paſſivas primum, præcipuumq; remedium eſſe: ad Deum magnâ cum fiduciâ per orationem recurrere, exemplo David. v. 1.

Domine Deus meus in te ſperavi, (ſolo, ut defenſionem mei ſuſcipias) *ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.* Exaggerat periculum ſuum, tum à ferocia hoſtium, tum à ſua infirmitate, tum à defectu ſuccurſus alterius. v. 2. *Ne quando rapiat, ut leo* (hoſtis) *animam* (ſeu vitam) *meam, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat.* præter te.

Secundum medium poſt ſpem in Deo, quæ ad impetrandum quidvis efficaciſſima eſt, *Innocentia*, vel immunitas à peccato illo, quod objicitur, rectè ponitur. Hoc enim tum magno ſolatio eſt in obtrectationibus *nil conſcire ſibi*, ſeu innocentem ſe ſcire à calumnia. Tum fiduciam auget, tum juſtitiam Dei provocat in auxilium noſtrum.

V. 3. *Domine Deus meus ſi feci iſtud*, quod objicitur vel à Saul, vel à Semei, vel quocunq;, quod per ingratitudinem, & infidelitatem regnum ambiverim: *Si eſt iniquitas in manibus meis* & qua traducor.

V. 4. *Si reddidi retribuentibus mihi mala*; vel mala pro bonis, per ingratitudinem, vel mala etiam reddendo pro malis per vindictam; ad illa enim revocantur delicta cætera: *Decidam meritò ab inimicis meis inanis*, ſeu inaniter abiens, ut inglorius, & contemptus, etiam coram mundo, hoſtibus meis ſuccumbam. Juſtiſſimo enim judicio tunc fiet, *ut perſequatur inimicus animam meam.* Nec ſolum vitam & animam à pedibus protinus extrudat, ſed *& gloriam meam* è ſolio ac ſublimi loco *in pulverem deducat* ad infimorum hominum conditionem cum ſumma infamia mea.

Poteſt ex his elici quoque *Tertium medium*; Ut licet ſibi objecti criminis quis conſcius non ſit, ob alia tamen ab ſe admiſſa, ſe dignum judicet, qui peſſimis modis tractetur, & in omni bonorum genere plectatur,

tur, ideoque hanc contumeliam peccatis ſuis velut debitam à Deo ſuſci-
piat, patienterq; ferat. Verùm prior ſenſus ad mentem Davidis magis
eſt. Unde alteriùs exclamat v. 6. & 7. *Exurge Domine in ira
tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.* q.d. Quod ſi igi-
tur innocentia mea tibi cognita eſt, cur velut ſomno ſopitus eam non
vindicas, aut opprimi me pateris? quin irâ quaſi correptus, & irritatus
mox exurgis? quin excelſus, & terribilis appares hoſtibus meis, eos com-
peſcendo? age igitur. *Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod
mandaſti,* id eſt, legem quam tuliſti de vindicandis innocentibus, ne ſi-
nant eos judices injuſtè opprimi, ipſemet obſerva.

Et ſynagoga populorum circumdabit te, id eſt, ab eccleſia, vel con-
gregatione illa populi agnoſcente, laudanteq; juſtitiam tuam, & pro-
videntiam æquiſſimam, ad te tanquam certum perfugium accurretur,
atque clamabitur: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Pſ. 137.
Et propter hanc (congregationem) *in altum regredere,* & exaltatus in
ſolio appare, ut agnoſcatur & dicatur ab omnibus.

Dominus judicat populos. v. 8. Deus juſtiſſimâ providentiâ ſuâ o-
mnia æquiſſimè diſcernit, & diſponit.

Quartum Remedium eſt contra obtrectationes, & maligna judicia.
Solo ſe judicio divino, contemptis vanis mundi, & hoſtium judiciis.
Judica me (inquit v. 9.) *Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecun-
dùm innocentiam meam ſuper me.* q.d. Tu, juſtiſſime Judex, ſenten-
tiam tuam profer, ac decerne de me ſecundùm merita mea: illa mihi ſi
faveat, & innocentem me pronunciet, ſalva res eſt. Impiorum judicia
aſpernabor. Nam *conſumetur,* (vel ut alii legunt) *conſummetur nequi-
tia peccatorum, & diriges juſtum,* id eſt, quamvis nequitia adverſario-
rum meorum ad ſummum pervenerit gradum, deficiet tandem, & in
nihilum recidet, te interim ita dirigente me innocentem paterna, ſa-
pientiſſimaq; providentiâ tuâ, ut omnia in bonum meum cedant, tu
enim ſolus, ſcis diſponere univerſa; qui *ſcrutaris etiam corda & renes
o Deus* v. 10. His ego fretus merito unicum, & *juſtum adjutorium
meum à Domino* expecto; (ſiquidem) cui proprium, &
ſolenne eſt, *ut ſalvos faciat rectos corde,*
v. 11

Affectus diffidentiæ de ſe, & confidentiæ in Deo, in illatis injuriis, & oppugnationibus hoſtium.

O quot, quantique, Domine Deus meus, velut ſævitia rugientes Leones, inſidiantur animæ meæ hoſtes! O niſi in te ſpes mea omnis conſtituatur, quis aut poſſit, aut velit ab his me ſervare! Verùm, tu qui *ſcrutaris corda & renes*, noſti innocentiam meam, ut vindicandum me à te confidam, ad patefaciendam univerſo Orbi æquitatem, juſtiſſimumq; judicium tuum, quo ego fretus judicia, obtrectationésq; malignas hoſtium meorum contemno, non ignarus conatus eorum, quamvis vehementes, quanquam vel mille mortibus hoc caput condemnari mereatur, omniq; ab hoſtibus contumelia affici, ſi ſceleris me conſcientia conſtringat, te dirigente profuturos mihi potiùs, quàm obfuturos.

Punctum II.

Conſidera remedia contra activas injurias, & calumnias, obtrectationes, & judicia, ne aliis inferantur.

Primum eſt. Per ea involari, & violari jurisdictionem Dei. Nam illi conveniunt per eſſentiam conditiones ſummi Judicis, quamvis ille aliis etiam ſibi ſubſtitutis jurisdictionem judicialem communicet, *cum non ſit poteſtas, niſi à Deo.* 1. Rom. 13. Hinc *Deus*, inquit v. 12. *Judex juſtus, fortis, & patiens*, qui maximè interna dijudicat per ſe, externa verò etiam per alios, ſed à ſe ordinatos, & ſubſtitutos ſibi judices diſcernit, illius eſt vindicare peccata, *mihi vindicta*, inquit, *& ego retribuam*, Rom. 12. In hujus officium ſe temerè ingerunt, qui per calumnias, obtrectationes, &c. alios violant, nec juſti, nec fortes, (utpotè à paſſionibus, affectibúsq; inordinatis victi) nec miſericordes judices: ſed iniqui, ſed imbelles, ſed immiſericordes.

Secundum eſt. Incurri ab ejusmodi grave judicium Dei, juxta illud Luc. 6. *nolite judicare, & non judicabimini.* Et tametſi illud non ſtatim experiantur, patiens enim & longanimis judex eſt Deus. v. 12. *numquid enim iraſcitur per ſingulos dies?* id eſt, licèt iſtorum malevolorum injuriis Deus ad juſtam de iis vindictam ſumendam irritetur, non facilè tamen, nec paſſim è veſtigio iram ſuper eos ſuam effundit: non contemnendus tamen idcircò, quod enim differt, non auffert. Nam *niſi converſi fueritis* (per hypotipoſin Deum inducens, Vates

divinus

divinus inquit) *gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* v. 13. reipſa inquam, accingetur ad vindictam, & exitium calumniatorum, in quos gladium ſuum vibrabit cedendo dextrorſum, & ſiniſtrorſum, & arcum jam tenſum, paratúmq; habet. *Et in eo paravit vaſa mortis* (tela ſcilicet mortifera, quæ vaſa, vel inſtrumenta mortis ideò dicuntur) *ſagittas ſuas ardentibus effecit.* v. 14. ſeu ex ardenti materia vel ignita ſibi comparavit, quæ ſummâ vi, velociſſiméque, fulminis inſtar, omnia penetrent: ſive etiam contra ardentes odio, ira, invidia, &c.

Tertium remedium eſt Cogitare, quod mirâ Dei providentiâ plerumq; accidat, ut calumniæ, & machinationes ejusmodi iniquæ in proprium auctoris caput recidant, ſtructisque fraudibus ſuis, ſtructores ipſi illaqueentur, & pereant juſtiſſimo Dei judicio. *Ecce* enim *parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* v. 15. *Lacum aperuit, & effodit eum, incidit in foveam quam fecit.* Id quod duplici ſimilitudine pulchrè declarat: primâ ſcilicet: velut viperæ venter à proprio fœtu pertunditur cum dolore, & interitu ejus: ita qui conceptis calumniis, fictionibus, quas aliis ſtruxerunt, fraudibus prægnantes fuerunt, eásq; per executionem non ſine dolore invidiæ, & odii parturierunt, ab ipſa iniquitate, quam pepererunt, pereunt tum ſecundùm animam; tum quoad famam externam. Et ſicut, qui lacum clàm aperuit alteri capiendo per fraudem, mirâ Dei diſpoſitione, juſtitiáq; in foveam ipſe incidit, quam alteri fecerat. *Ita convertetur dolor ejus* (calumniatoris) *in caput ejus proprium.* Ut ſuis dolis, & artibus capiatur ipſe: *Et in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.* v. 16. & fiat, quod dicitur, malum conſilium conſultori peſſimum, omnisq; afflictio, violentia, injuria ſubruendo alteri præparata ſuum in auctorem incumbat.

Affectus timoris.

O Quàm metuenda judicia tua ſunt, juſtiſſime Judex Deus, dum per ea, per quæ peccamus, nos juſtè punis! Horreſce omnes calumnias, & ſubdolas machinationes, anima mea, ne in caput tuum incidant, quæ in alios iniquè procudiſti.

Punctum III.

ERit; agnoſcere, & laudare in Deo, quoad utrumq; ſuperius punctum ſummam juſtitiam cum David. Idcircò: *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus*, laudando, & palàm celebrando ejus juſtiſſimam providentiam, quâ juſtos liberat à calumniis, injuſtos verò calumniatores plectit, & *pſallam nomini Domini altiſſimi.* v. ult. Et hymnum canam altiſſimo in cœli ſolio ſedenti, ſupremo Judici propter hoc nomen, ſeu attributum ſuum juſtitiæ.

Affectus laudis.

BEnedictus ſis igitur, juſtiſſime Deus, lauderiſq; ab omnibus, qui tuam experti ſunt in calumniis ſuis protectionem, & celebretur ab omnibus juſtitia tua, quâ inſontes vindicas, & ſontes obtrectatores juſtiſſimè punis.

ORATIO.

DEUS in te ſperantium refugium, & ſalus, libera nos ab hoſtium noſtrorum calumniis, & contra obtrectandi crimen gratia tui, timoréq; juſtorum judiciorum corrobora, ut juſtitiam, & æquiſſima providentiæ tuæ judicia agnoſcamus, & æternùm cum Sanctis omnibus decantemus. Amen.

IN PSALMUM VIII.

Domine Dominus noſter, &c.

MEDITATIO VIII.

EXTASIS OB

Hominis ad finem ſupernaturalem procreati dignitatem, eámq; ob rem.

Argumentum Pſalmi.

Admiratio, & laudatio potentiæ, ſapientiæ, & benignitatis Dei in creatione mundi, & præſertim hominis elevatione, & excellentiâ, cui omnia ſubjecerit Dei.

Pſalmus ecſtaticus reſpondens

Exercitio S. Ignatii, quod vocat Fundamentum, vel de fine hominis.

Punctum I.

COnſidera de fine hominis, quanta ſit divinæ Majeſtatis dignatio, quod cum totus mundus ejus gloriam, & laudem deprædicet, voluerit inſuper homunciones nos, illum in finem creare, ut eum laudemus, veneremurq; in hac, & in altera vita. Ut meritò in extaſi quaſi poſitus David exclamet admirabundus. v. 1. *Domine Dominus noſter* (juxta Hebr. *Deus primus fons, & origo omnium*, eóq; titulo creationis quidem, magis tamen ob aſſumptam naturam noſtram titulo redemptionis *Dominus noſter* peculiariter) *quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* Sive quàm glorioſa eſt nominis, virtutis, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, cæterorumq; attributorum tuorum, hæc enim ſub dictione (*nomen*) comprehenduntur, celebritas per univerſum orbem diffuſa, quæ ipſos adeo cœlos tranſcendit, ubi Seraphini cum Beatis Cœleſtibus cæteris triſagio continuo idcircò tibi decantant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth! plena eſt omnis terra gloriâ tuâ.* Iſai 6. & Apoc. 4. *quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.* v. 2. q. d. quamvis magnificentia gloriæ tuæ, quæ propriè eſt virtus Principum, in magnificis palatiis, urbibus, aulicis donativis, &c. conſiſtens tantò cogitatione, & laude noſtrâ ſit major, quanto cœlum terrâ excelſius eſt.

Nihilominus tamen *ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem tibi*, id eſt, ad eandem laudem & gloriam tuam, tanquam ad finem ultimum creaſti nos homunculos, qui inſtar balbutientium puerulorum, imò lactentium infantium ſumus reſpectu cœleſtium Spirituum, ut ſic perficiatur, (Hebr.) *confirmetur, ſtabiliatur*, gloria nominis tui à nemine ſubvertenda. Idq; feciſti *propter inimicos tuos*, ad confuſionem ſuperborum Angelorum, Luciferi & complicum ejus, qui nolendo ſe ſubjicere ſanctiſſimo tuo nutui, laudem tibi debitam ſacrilegè negarunt. *Ut deſtruas inimicum*, Luciferum, *& ultorem*, qui ex invidia ab hoc fine conatur homines ſeducere, & ita ſe de te ulciſci.

Affectus

NUllus alius poni aptior poteſt, quàm *illa profundiſſimæ admirationis, reverentiæ, modeſtiſſimæq; laudis.* Ex S. Davide hic, vel Iſaia propheta, & Apoc. locis citt. præſertim ut ex ultimo loco dicamus cum Senioribus 24. *qui ante ſedentem in throno procidebant, & adorabant viventem in ſæcula, & mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes: dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem, & virtutem; quia tu creaſti omnia,* (& homines nos præcipue ad tam ſublimem excelſumq; finem) *& propter voluntatem tuam* (quia ſic placitum fuit divinæ bonitati tuæ) *erant, & creata ſunt*, Apoc. 4.

Punctum II.

COnſidera media ad hunc finem conſequendum duplicis generis, quæ hîc S. Propheta recenſet: Alia Cœleſtia, & ſupernaturalia; alia terreſtria, & naturalia. De primi generis ait, v. 4. *quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Quaſi diceret: Contemplabor inprimis Cœlos laudis tuæ media, & argumenta. *Nam Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manum ejus annunciat firmamentum.* Pſ. 18. In quibus non tantùm cœleſtia corpora illa ſeu ſphæræ conſiderari queant, itémq; lucidiſſima aſtra in iis poſita, ſol, luna, ſtellæ &c. quæ opera digitorum Dei dicuntur, vel quia per quam ſubtilia, & pretioſa ſunt, artificioſáq; vel quia ſummâ facilitate à Deo, id eſt, verbo creata ſunt. Nam *verbo Domini cœli firmati ſunt*. Pſ. 32. Quæ & laudis divinæ materiam præbent, & ad conſervandum, fovendum, recreandúmq; hominem deſerviunt; ſed ipſi etiam Angeli ad eundem finem nos promovent, *ſunt enim adminiſtratorii Spiritus, miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Heb. 1. Nec Angeli modo, ſed Deus ipſemet quodammodo huc ſe ordinavit, quando aſſumptâ humanâ naturâ noſtrâ, *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus.* Barruc. 3. ut ad finem ſuum eos deduceret exemplo, & doctrina, eſſétq; illis *via, veritas & vita.* Jo. 14. Ob quæ admiratione iterum attonitus exclamat. v. 5. *Quid eſt homo.* Scil. primus prævaricator Adam, *quod memor es ejus*, reſtaurando ipſum, poſtquam gratia excidit, Hebræus habet: quid eſt *Enoch*, id eſt, *obliviosus*, non agnoſcens, non penſans, vel gratâ recordatione recolens tantum beneficium, ideóq; indignus, ut

memor

memor ſis ejus, *aut filius hominis quoniam viſitas eum*, per Incarnationem ſcilicet: quam propheticè prædicit, quâ in propria perſona poſteros, ſeu filios primi hominis Adami viſitare & redimere, dignatus eſt *Emmanuel nobiſcum Deus*, de quo Zacharias Deum benedicens ait: *quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Luc. 1. Et quamvis *minuiſti eum paulò minus ab angelis*, quoad naturalem, animalem, & paſſibilem, mortalisq; vitæ conditionem, tamen *gloria & honore coronaſti eum*, cum cumulis beneficiis his commemoratis, veluti fulgenti quadam, & auro gemmisq; radiante coronâ eum decoraſti præ Angelis: *nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ* hypoſtaticè ſe illi uniendo. Hebr. 2. Ubi hunc locum Davidis de Chriſto intelligit Apoſtolus. Inſuper *conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* v. 6. Quaſi Regem univerſi eum conſtituiſti. Gen. 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli*, & univerſis animalibus &c. in quo iterum Angelis præeminet, teſte Apoſtolo loc. cit, Hebr. 2. *Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ futurum.* Atq; hinc deſcendit ad alterum genus mediorum terreſtrium, & naturalium. v. 6. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*; quod [illegible], & enumeratione animalium oſtendit, ſive quæ in terra ſunt, ſive quæ in aere, ſive quæ in aquis, quæ dominii hominis præcipua pars eſt, ſcilicet: *Oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi*, id eſt, præter beſtias domeſticas, & cicures, etiam quæ in campis, & ſylvis vagantur, feras ejus dominio ſubdidiſti. Item *volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*, in fundo ejus reptando, vel qui in fluviis degunt, qui quaſi ſemitæ ſunt ad mare tendentes, ut iterum fluant. Orbem inquam, univerſum ſervire homini feciſti, ut homo ſerviat tibi, ſuumq; finem conſequatur, ad quem creatus eſt.

Punctum III.

EX his cum S. Vate affectus admirationis, laudis & gratiarum actionis eliciendus eſt, qui in hoc pſalmo ferè unicus eſt: *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* v. 9. vel practicè ſtatuendum ex mediis ſupra recenſitis, utendum illis eſſe in tantum, in quantum ad finem noſtrum, vel laudem & gloriam Dei conferunt: refugiendo ea, quæ illum impediunt, atq; ita indifferenter ſe habendo in [illegible], ut quæ non propter ſe, ſed propter finem, cujus ſunt media, & adminicula, amanda ſint, vel fugienda.

[illegible] Affectus

Affectus ex ſoliloq. S. Aug. c. 7. & 27.

„ DIlexiſti me unice amor meus, antequam diligerem te, & ad ima-
„ ginem tuam creaſti me, omnibus creaturis præpoſuiſti me. Ecce
„ enim ſum, quia tu creaſti me, & quod me creares, ab æterno præordi-
„ naſti: non eram, & creaſti me, nihil fueram, & de nihilo me aliquid fe-
„ ciſti. Quale autem aliquid? non ſtillam aquæ, non ignem, non a-
„ vem, vel piſcem, non ſerpentem, &c. Sed paulò minùs parem me
„ creaſti angelis &c. Domine Deus noſter quàm admirabile, & quàm
„ laudabile eſt nomen tuum? Et quid eſt homo, quod memor es ejus?
„ dederas enim, quidquid cœli ambitu continetur, & quaſi parva hæc,
„ quæ ſub cœlo ſunt, niſi adderes etiam quæ ſunt ſupra cœlos. Laudent
„ te Domine de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia
„ opera tua, & ipſi ſancti tui benedicant!

ORATIO.

D*Omine Dominus noſter, qui nos homines ad formam & imaginem tuam creare, & deformatos, ſanguine tuo reparare, ac renovare dignatus es, in hunc finem, ut* ex ore infantium & lactentium *noſtro, tibi* laudem perficias, deſtruàſque inimicum, & ultorem; *gratias tibi pro dignatione tanta agimus,* Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. *Matt. 11. Humiliterq; precamur, ut per media, quæ ad hunc finem conſequendum liberaliſſime nobis providiſti, indifferenter ſic tranſeamus, ut fine noſtro tam ſublimi nunquam excidamus. Amen.*

IN PSALMUM IX.

Confitebor tibi Domine, &c.

MEDITATIO IX.

SOTERICO-EUCHARISTICUM

ſeu

Gratiæ pro beneficio Redemptionis.

Argumentum Pſalmi.

Ad literam Pſalmus hic laus Dei eſt ob victorias à Davide reportatas. Myſtice vero gratiarum actio eſt Eccleſiæ pro

ſuperato

ſuperato Dæmone in redemptione noſtra. Hinc inſcribitur *pro occultis filii* ſc. Dei Jeſu Chriſti in carne noſtra occultati, quod Apoſtolus vocat *Myſterium abſconditum.* ad Col. 2. Vel *pro morte filii* ejusdem, quâ nos à tyrannide inferni liberavit in cruce.

Punctum I.

COnſidera quantum, quámque omni gratiarum actione dignum ſit Redemptionis noſtræ beneficium, ob admirabiles affectus, quos in ſe continet. Unde S. David: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.* v. 1. Quæ mirabilia, ſeu myſteria in hoc beneficio maxima continentur, utpote quia per illud *inſtaurantur omnia in Chriſto quæ in cælis, & quæ in terra ſunt.* ad Epheſ. 1. Et quaſi in ſummam, & ſynopſin rediguntur: Quo circa cum prægustu lætitiæ ad illa narranda aggreditur: *Lætabor* geſtiens, *& exultabo* quaſi ſubſiliens *in te*, ſeu propter opem, quam præſtitiſti nobis: *pſallam*, modulis, & inſtrumentis muſicis, *nomini tuo altisſime*, decantabo gloriam, & virtutes tuas adminiſtrabiles in hoc beneficio contentas:

Quarum fundamentum eſt victoria Chriſti, contra inferni poteſtates, quâ nos vindicavit à tyrannide Dæmonis: *In convertendo inimicum meum retrorſum*, eum profligando, & infugam conjiciendo, retrocedere coactum cum omni exercitu ſuo Tartareo, qui vel à primo conſpectu Chriſti Ducis, & Liberatoris noſtri, mox terga verterunt, ab eóq; conculcati, trucidatiq; fuerunt, *infirmabuntur*, inquit, & *peribunt à facie tua.* v. 3. Ita ut duce hoſtium debellato, mox etiam exercitus ejus debilitatus, & diſſolutus, & internecione deletus ſit, de qua victoria ante paſſionem ſuam gloriabatur Chriſtus. Joh. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Affectus gratitudinis.

B*Enedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.* Pſ. 102. *Qui redemit de interitu*, & hoſtis infernalis poteſtate, *animam* tuam, lætare & exulta in Deo Jeſu ſalutari tuo.

Punctum II.

COnſidera particulatim præclaros effectus hujus victoriæ & beneficii Redemptionis, quos ſeqq. verſibus enumerat.

Primus eſt, quod litem, quæ erat inter naturam humanam dæmonémq; deciderit, & jus mancipatus eliſerit, quo per peccatum eidem dæmoni in ſervos, & mancipia ſubjecti eramus, cauſamq; noſtram evicerit in libertatem nos vindicando filiorum Dei, ex tyrannica captivitate, qua jure quodam ſibi arrogato nos dæmon attinebat. *Quoniam feciſti judicium meum. & cauſam meam, ſediſti ſuper thronum, qui judicas juſtitiam.* v. 4. Hoc inquam, cauſæ noſtræ patrocinium ſuſcepit, eam nobis adjudicando, quando per mortem ſuam in throno crucis, quaſi pro tribunali juſtitiam juſtè judicans, ſed judicium juſtum exercens, *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci,* (perſolutâ pro peccatis noſtris ſatisfactione meritorum ſuorum æterno patri,) *& explicans principatus, & poteſtates; traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo,* ut profundè Apoſtolus ad Coloſ. 2.

Secundus effectus. v. 5. Deſcribitur: *Increpaſti gentes, & periit impius.* Quod ſcil. debellato, & triumphato in cruce Diabolo mundum converterit per Apoſtolos à Chriſto miſſos, eorúmq; prædicationem, deſtructâ idololatriâ & impietate, atq; ita per eosdem gentes increpaverit Spiritus S. (ut prædixit ante paſſionem ſuam Chriſtus Joh. 16.) *arguens mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio.*

Tertius effectus. Quod impius, ſeu impietas idololatriæ, vel Diabolus qui in idolis habitabat, & impiè colebatur, ita perierit, ut nomen ejus deletum pene oblivione æterna ſit. *Et periit impius, & nomen eorum deleſti in æternùm, & in ſæculum ſæculi.* v. 5. Ut tum plurimis in regnis, & provinciis videre eſt, tum ipſis in Judæis, qui licet antea ad idola colenda proniſſimi eſſent, jam tamen ab illorum cultu penitus averſi ſunt.

Quartus effectus. Quod paſſione & morte Chriſti poteſtas Diabolo, quam ante exercebat tyrannicè in homines ſublata, & ſic ipſe quaſi exarmatus ſit, ut tentationes ejus, & ſuggeſtiones, quæ frameæ, & gladii ipſius ſunt, & ab Apoſtolo Epheſ. 5. *tela ignea* dicuntur, quaſi imbellia, & hebetata, ac virtute deſtituta armatis fide, & gratia Chriſti fidelibus nocere non poſſint. Ut S. Antonius hunc locum apud S. Athanaſ. in vita ejus, experientiâ propriâ comprobat, & SS. PP. ſimilem cani alligato Diabolum nunc faciant, qui latrare quidem poſſit, mordere non poſ-

ſit,

ſit, niſi volentem. Hoc eſt, quod verſu 6. canit: *inimici defecerunt*, vel hebetatæ ſunt *frameæ* tentationum *in finem*, deinceps à Chriſti Victoria, & morte non nocituræ unquam amplius, & *Civitates eorum* inſuper ſeu munitiones *deſtruxiſti:* Quæ munitiones ipſi Gentiles fuerunt, in quibus pro libitu ſuo dominabatur, & quaſi ſecurus ſuo in fortalitio latitabat, & tanquam *fortis armatus cuſtodiens atrium ſuum in pace id poſſidebat*. Luc. 11. (Nam homo infidelis ſemper in manu quaſi Diaboli eſt, etſi moraliter bene vivere videatur, inquit Bellarminus hic) at poſtquam *fortior eo ſuperveniens* (Chriſtus) *vicit eum*, (in cruce) ejecitq; ex animis infidelium per fidem, & gratiam, *univerſa arma ejus abſtulit, in quibus confidebat.*

Sextus effectus eſt. *Periit memoria eorum cum ſonitu*, v. 7. quod tametſi magno cum tumultu miniſtri Dæmonis & Imperatores Gentiles reluctarentur, & laborarent omni vi & potentia Ethniciſmum, & Dæmonis Regnum, vel tueri, ut Maximinianus & Diocletianus, aliique; vel iterum erigere, ac ſtabilire, ut Julianus Apoſtata, ita tamen per ſimplices Piſcatores Apoſtolos, & inermes Matyres, lanienæ datos patiendo tantum, ceu novo pugnandi, vincendiq; ſtratagemate, eliſi eorum conatus, inſultúsq; fuerunt, ut omnis eorum machinatio, velut moles ſubitâ ruinâ cum fragore procubuerit, atq; vix nunc memoria ſuperſit. At vero *Dominus* Chriſtus *in æternùm permanet*, cum regno ſuo & Eccleſia, quam morte ſibi acquiſivit.

Septimus. *Paravit in judicio thronum ſuum, & ipſe judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in juſtitia.* v. 8. Nimirum *poteſtas omnis in cœlo, & in terra Chriſto data eſt*, per thronum ſignificata, (de qua poſt reſurrectionem ſuam, Matt. ult. Chriſtus ipſe) & præſertim judiciaria, ut Judex vivorum, & mortuorum, in æquitate & juſtitia, æquè & juſtè populos, & orbem terrarum judicaturus ſit.

Octavus eſt. Ut non tantùm Judex ſit Chriſtus, ſed etiam Advocatus noſter apud Patrem. 1. Joh. 2. *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Et Rom. 8. *quis accuſabit adverſus electos Dei, Deus, qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Jeſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dextram DEI, qui etiam interpellat pro nobis.* Nec Chriſtus modò, ſed Spiritus S. inſuper Rom. 8. *ſimiliter autem & Spiritus*

adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hoc eſt, quod v. 9. prædicat: *Et factus eſt Dominus refugium pauperi*, qui ſine perſonarum acceptione pauperes non minus, imo magis recipit, ac divites ad ſe confugientes, *adjutor in opportunitatibus*, qui attenuatis, deſtitutisq; ope humanâ ſciat ſuccurrere, quando opportuniſſimum eſt, nempe *in tribulatione*; tunc enim deficientibus aliis creaturis, ipſe opportuniſſimè adeſt.

Nonus. *Et ſperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.* v. 10. Ex hoc, inquam, Redemptionis beneficio tenera ſpes, & filialis confidentia naſcitur in animis Chriſtianorum, qui Deum verè agnoſcunt per fidem, & juxta eand. illum ſincerè quærunt: dum ſecum duplicem S. Pauli ratiocinationem ad Rom. 5. animis volvunt. Alteram v. 8. & 9. *Si cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Alteram ibid. v. 10. *Si enim, cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* Nec ſpem iſtam tantùm in negotio ſalutis ſuæ præcipuo, ſed cæteris etiam minoribus in rebus experiuntur, & multò magis, dum cogitant, ſi Deus *proprio filio ſuo non peperit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, Rom. 8. aut ſi *ſic dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, Johan. 3. & Mediatorem, & Advocatum, *quomodo non* pariter *etiam cum illo cætera omnia nobis donavit*, donabitve petentibus. Rom. 8. accedente præſertim ſive fide, ſive experientia, vel propria in ſe, vel aliena in aliis, quod S. Vates eod. v. 10. memorat, *quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine*.

Affectus admirationis.

O Ingens, & admirabile Redemptionis noſtræ beneficium, in quo tot, tantáq; alia, & tàm admirabilia beneficia continentur! quis non ſtupore attonitus hæreat in tantis divinæ erga nos bonitatis, miſericordiæ, ſapientiæ, potentiæ, cæteriſque myſteriis enarrandis, & expendendis?

Pun-

Punctum III.

Conſidera, quibus grati animi affectibus beneficium hoc proſequendum ſit. Recenſet illos S. Vates ſeqq. verſibus:

Et Primò hortatur ad laudandum tàm benignum Dominum, apoſtrophe ad homines converſa: *Pſallite Domino* (gratias agendo) *qui habitat in Sion.* Eccleſia ſancta ejus militante, & triumphante, quæ utraq; Sion rectè dicitur; hæc per viſionem claram, beatificam, illa per fidem. *Annunciate inter gentes ſtudia ejus.* v. 11. tanta verò, inquit, laus ſit, quæ ad ipſas gentes derivetur, per prædicationem Evangelii in omnem terram, & per orbem univerſum propagetur, *& in omnem terram* exeat ſonus ejus, *& in omnes fines terræ.* Pſ. 18. ut omnes hæc admirabilia Dei ſtudia cognoſcant: præſertim, *quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt.* Ut cognoſcant, inquam, hoc Redemptionis beneficium, quo Deus, qui quaſi per tot, tantáq; annorum ſæcula oblitus videri poterat captivitatis humani generis, tyrannidíſque, quâ opprimebatur à Dæmone, nunc tandem, *quando venit plenitudo temporis* ad Gal. 4. afflictorum recordatus iterum fuit, eorúmq mortem & ſanguinem, profuſo ſanguine, & vitâ ſuâ vindicavit, *& non eſt oblitus clamorem pauperum.* v. 12. ſeu gemitus, & ſuſpiria Patrum, quibus in limbo ad Chriſti adventum tot millibus annorum ſuſpirarunt. Hoc, inquam, beneficium agnoſcant, ejúsq; collatorem colant, & diligant Jeſum Chriſtum, qui eſt *vita, ſalus, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati & liberati ſumus.* S. Xav.

Secundò. Laudi ſubjungit deprecationem, ſeu petitionem miſericordiæ, ex conſideratione infirmitatis ſuæ inter tot hoſtes, tàm præſertim potentes & efferos, quales perſecutores Eccleſiæ fuerunt, qui fideles, Chriſtíq; novellum gregem perſequebantur, quales item cujusvis animæ hoſtes, ſeu externi, ſeu interni ſunt, qui eam oppugnant. Decet enim ita oculos ad Deum attollere, ejúsq; miſericordiam laudare, ut ſubindè eos ad noſtram miſeriam etiam, informitatémque reflectamus, & cum laude miſericordiæ ejusdem mox implorationem conjungamus. *Miſerere mei Domine*, inquit v. 13. *vide humilitatem meam,* & depreſſionem ab vel *de inimicis meis* profectam. Cauſam & titulum hujus petitionis ſuæ ſubnectit v. 4. *qui exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Ideò enim à por-

 tis.

tis inferni, mortiſq; æternæ me vindicaſti paſſione, & morte tuâ, non ut ab inimicis, & tentationibus ad eas iterum deprimar, *quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* dixerat. Pſ. 6. v. 5. Sed *ut in portu* ſeu congregatione Eccleſiæ (ad portas enim confluebat multitudo populi frequentiſſima apud Judæos, quod ad eas tribunalia, prætoria, fora, mercatúsq; eſſent) *adverſus quam portæ inferi non prævalebunt.* Matt. 16. Gratiam liberatoris deprædicem coram fidelibus cœlitibus, & Angelis, qui ſunt *portæ filiæ Sion*, & cœleſtis Jeruſalem, Eccleſiæ, inquiam, militantis, & triumphantis.

Tertius gratitudinis affectus eſt, ſingulari cum gaudio tam internò quàm externo, hæc Dei beneficia recolere cum animo ſuo, & idcircò *jubilare Deo, & ſervire Domino in lætitia, atq; introire in conſpectu ejus in exultatione.* Ut hortatur Pſ. 99. quem ad laudes canit Eccleſia. Ideò inquit, v. 15. *Exultabo in ſalutari tuo*, propter hanc ſalutem ex inimicis meis à te datam lætabor, quaſi gaudio geſtiens, & exultans, & identidem recogitabo, quomodo adverſarii in eas, quas paraverunt, inſidias, inciderint. *Infixæ ſunt gentes*, ſeu tyranni & hoſtes fidelium tuorum, *in interitu quem fecerunt*, quod & repetit, v. 16 ſeq. *in laqueo illo, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum*, & v. 17. *in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.*

Quartus eſt. Altiùs ex his penetrare in Dei providentiam, & profundiſſima judicia laudare. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens* ex his operibus ſuis, cum admiratione & timore.

Quintus. Deteſtari, & abominari, quidquid Deo contrarium eſt, peccatum ſcil. & peccatores, & juſtitiam divinam approbare in illis puniendis, quod nimirum Dei ſui, tam boni, benigni, & in ſe liberalis obliti, ad juſtam eum vindictam provocaverint, hæc enim oblivio, peccatorum radix eſt. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviſcuntur Deum.* v. 18. Quæ etiam propheticæ denunciationis inſtar phraſi Hebræa, *convertantur*, pro *convertentur* accipi poſſunt.

Sextus. Dei providentiam, non ſine tenera in eam confidentiâ agnoſcere, & deprædicare, quod ſuos, tametſi interdum permittat premi, non ſinat tamen opprimi, & licet ad tempus eorum memoriam depoſuiſſe, videri poſſit, non tamen *obliviſcatur in finem*, ſive ſemper uſq; & uſq;, nec patientia eorum ſua ſemper expectatione fruſtretur, ſed lætum exitum ſæpe, dum minimè cogitant, ſortiatur. Quoniam, inquit, v. 19.

v. 19. *non in finem oblivio erit pauperis; patientia pauperum non peribit in finem.*

Septimus eſt. Ex Zelo honoris Dei, & ſalutis animarum, Deum excitare ad converſionem gentium, ut Chriſto in eas perfectum, meritiſſimumq; imperium acquiratur, eidémq; ipſæ omnem obedientiam præſtent, & ſubjectionem. *Exurge Domine*, qui infidelibus te non agnoſcentibus, eorum in nocte errorem quaſi dormis, exere potentiæ tuæ radios, & virtutem; *non confortetur homo*, quicúnq; tibi non ſubjectus, aut verſarius non prævaleat ultrà, quaſi contra te pugnans; *judicent urgentes in conſpectu tuo.* v. 20. Submittant ſe divino tribunali tuo, téq; judicem vivorum, & mortuorum agnoſcant, & hoc judicium tuum à facie tua prodeat, exerceatúrq; palam, & de facto in eas.

Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos, Chriſtum legis novæ authorem, cujus legi Evangelicæ ſe ſubmittant, *ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* v. 21. Infirmi ſcilicet, qui contra Deum, & Chriſtum prævalere nequeant, vel Hebraicè *Enoſch*, agnoſcant ſe homines eſſe miſeros, imbelles, malis doloribúsq; obnoxios, & afflictos, qui gratiæ tuæ auxiliis plurimùm egeant, ideóq; ad te recurrant, tibiq; ſalvatori ſuo ſe penitus ſubjiciant. *Atq; hi ſeptem affectus ſunt*, qui gratitudinis ergo pro redemptionis beneficio, ejúsq; effectibus ſupra poſitis exerceri poſſunt, ut nullum alium opus ſit ſubjungere, præter S. Auguſtini forte hunc „ compendioſum. c. 17. medit. O quantum ſumus tibi debitores Do„ mine Deus noſter, tanto redempti pretio, tanto ſalvati dono, & tam „ glorioſo adjuti beneficio! O quantum à nobis miſeris es timendus, a„ mandus, benedicendus, laudandus, honorandus, glorificandus, qui nos „ ſic amâſti, ſic ſalvâſti, ſic ſanctificâſti, ſic ſublimâſti.

ORATIO.

Glorioſe mortis, & inferni Triumphator Chriſte Deus, qui profligato per paſſionem, mortémque tuam infernali hoſte, cum exercitu ſuo, de portis æternæ mortis, & inferni nos redemiſti, ut annunciemus laudationes tuas in portis filiæ Sion, Eccleſiæ tuæ; da nobis, ut tanti ſemper memores beneficii, dignis illud gratitudinis affectibus proſequamur, in te liberatorem noſtrum fide vivâ credamus, tibi ſpe firmâ adhæreamus, charitate perpetuâ copulemur, te filiali corde timeamus, ac opere deniq; ipſo glorificemus. Cui cum æterno Patre & Spiritu S. eſt honor & gloria in ſæcula. Amen.

IN

IN EJUSD. PSALMI PARTEM ALTERAM.

Ut quid receſſiſti longè, &c.

MEDITATIO X.

Mundi fuga, & odium.

Argumentum Pſalmi.

Hæc altera pars Pſalmi eſt ſecundum vulgatam LXX. partitionem quidem. Ab Hebræis tamen novus Pſalmus X. hic incipit propter diverſum à ſuperiore argumentum, lætum illius, hujus verò triſte & querulum, in eo (ſenſ. lit.) rogat Deum, ut inimicos, de quorum victoriâ obtentâ exultans gratias egit, pergat Deus compeſcere. Eccleſia verò (ſenſ. alleg.) pari modo in ſuperiore parte Pſalmi exultans, ob victoriam Chriſti liberatoris ſui; in hac ob perſecutiones ſuas ab infidelibus, & ab aliis hoſtibus ingemiſcens, ab iis eripi flagitat; quare de Anti-Chriſto Pſalmi hanc partem intelligi vult S. Hieron. quem nos (ſenſu mor.) mundo, ejúsq; aſſeclis applicabimus, qui ſuo modo Anti-Chriſti dici poſſunt, juxta S. Joannis cap. 2. ep. 1. illud: *nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt.*

Punctum I.

Conſidera quid ſit mundus, quem Chriſtus & Apoſtoli nolunt à nobis diligi. 1. Joan. 2. *Nolite diligere mundum, ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo,* nimirum non admirabilis illa univerſi hujus machina à Deo fabricata, ſed impiorum hominum cætus, & congregatio Babylonica, in qua omne genus flagitii dominatur, & de quo S. Joh. ait, 1. Joh. 5. *mundus totus in maligno poſitus eſt*, in quo queritur non immeritò S. David tantam licentiam graſſari, & quaſi immunitatem vitiorum, velut ſi non eſſet vindex in eo Deus, aut ea neſciret, vel ad ea conniueret.

Ut quid, inquit, *Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus in tribulatione.* v. 22. Dum enim potentes mundi iniq; dominantur juſtis, videtur quaſi Deus receſſiſſe, & deſeruiſſe ſuos coram mundo contemptos, & deſpicere illos in tribulatione conſtitutos, in quibus tam oppor-

opportunè illos defendere, simulque in eos oſtendere providentiam poſſe.

Affectus odii erga mundum.

NOli, O anima mea, mundum tam immundum, *totúmq; in maligno poſitum* diligere; an neſcis, *quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo, & quod inimicus Deo conſtituatur*, quicúnq; voluerit amicus eſſe *ſeculi hujus?* Jacob. 4.

Punctum II.

COnſidera magis particulatim abominationes mundi cum S. David, qui porrò referens mundi, vel mundanorum hominum perverſa ſtudia, ac flagitia, illa diſtribuit in triplicem claſſem pervulgatam: ſcil. *in peccata cordis*, ſeu interna, *peccata oris*, vel linguæ, *& peccata operis*, ſeu quæ facto ipſo conſummantur.

Primi generis, primum quaſi fundamentum, & radix aliorum eſt ſuperbia, quam S. Joannes 1. Jo. 2. Mundo tribuit, & invidia, *dum ſuperbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in Conſiliis, quibus cogitant*, (per quæ cogitant per græciſmum) v. 23. q. d. qui in mundo impii ſunt divites, dum proſperè illis omnia procedunt, elevantur ſuperbiâ, magnificè ſe jactando, & oſtentando. Contra verò pauperes invidiâ incenduntur, & utriq; illaqueantur ſuis cognitionibus, quibus peccant, tum ſuperbiendo, tum invidendo. Hæc ſuperbia, & invidia inde incrementum ſumit, & augetur, quod hujuſmodi impii oſtentatores, & ſe magnifaciunt, ſuis meritis felicitatem adſcribendo; & à mundo magnificant, ſuſpiciuntur, laudentur, quod ſecundum deſideria, & vota ipſorum omnia illis ſuccedant: *quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*. v. 34. Quibus verbis etiam corruptum, & fallax mundi judicium taxatur.

Atque hinc accidit, ut in malitia ſua obdurentur, neq; Deus illis reconcilietur, ſed potiùs exacerbetur. *Exacerbavit*, inquit, *Dominum peccator ſecundùm multitudinem iræ ſuæ, non quæret*. v. 35. Hebr. *Secundum faſtum iræ ſuæ*, id eſt, præ faſtu, & tumidâ irâ ſuâ nimiâ, neuter; ſive dives ſuperbus, ſive pauper invidus Deum requirent; ſuperbia enim atque ira mentem penitus excæcant, & recurſum ad Deum intercludunt, atq; hinc oritur, [illegible]

Secundum. *Mundi ſectatorum* flagitium, quod eſt, *oblivio Dei* ſeu nulla de Deo, & ad Deum, ſalutemq; ſpectantibus rebus cura, & cogitatio. *Non eſt Deus in conſpectu ejus.* Unde *inquinatæ ſunt viæ illius omni tempore.* v. 36. omnia, inquam, ſtudia, conatus, intentiones ejus non diriguntur ad Deum, ſed variis inquinantur ſordibus vitiorum, & carnalium deſideriorum ſemper. *Auferuntur judicia tua à facie ejus*, ut neque de ſanctiſſimis legibus tuis, neque de terribilibus judiciis, & pœnis peccatorum cogitet, ſed potiùs *omnium inimicorum dominabitur.* v. 37. volens deſiderio, & conatu tyrannicè quidquid ſibi adverſatur, ſub jugum ſuum redigere, opprimere, &, ut hebræa ſonant, exſufflare.

Tertium. *Cordis peccatum* capitale mundanum eſt: *Orientiamimia in proſperis* mundi rebus, ita ut dulci illa fortunâ quaſi ebrii, ſibi perſuadeant, nunquam ſe ab ea proſperitate dimovendos, ſed ſine omni malo ſemper futuros eſſe. *Dixit enim in corde ſuo, non movebor à generatione in generationem*, in perpetuum, *ſine malo.* v. 38. vel malo omni immunis ero. Ex qua præfidentia perpetrandi quævis licentia enaſcitur.

A peccatis internis cordis progreditur ad *externa.* Et *primùm oris: cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo, ſub lingua ejus labor & dolor.* v. 39. His, inquam, peccata oris deſcribuntur, quæ in mundo vigent, nimirum maledictiones, & blaſphemiæ in Deum, contumeliæ in homines, detrectationum, ſuſurrationum, murmurationum, odii, contentionum: Item amarulentiæ, doli ſeu mendacia, fraudes, perjuria, & ſimulationes, ut ſicut vipera ſub lingua ſua lethale virus continet, ita mundus omnigenum dolorem, & moleſtiam, quibus alios affligit, ſub lingua ſua peſtifera foveat. Et quis igitur ei fidem habeat? Quis cum eo impunè converſetur & eget?

Denique opera ejuſdem perſtringens, ait v. 40. *ſedet in inſidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Iſtis enim crudelitatis, & omnis injuſtitiæ plenæ machinationes mundi, & oppreſſiones pauperum depinguntur, quibus innocentes, & pauperes, quaſi ex occultis inſidiis aggreſſos, in perniciem vitæ, honoris, fortunarum pertrahit extorquet, ſociorum complicum adjutus verſutiâ, & ope.

Quod eleganti metaphora graphicè exprimit. Primò Leonis, qui ex ſpelunca ſua, in qua latitat, fixo oculo obſervat prædam, mox contra-

hens,

hens, & incurvans ſe, ut tantò valentiori impetu in eam irruat, inſilit, & incumbit ſuper eam. *Oculi ejus*, inquit, *in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito, quaſi Leo in ſpelunca ſua*. v. 41.

Addit alterâ ſimilitudine Venatori occulto laqueo, vel reti conſtrictam feram attrahentis, & toto corpore ei incumbentis, ubi illâ potitus fuerit. *Inſidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem* (ut rapiat, inquam, pauperem, infinitivo pro conjunctivo poſito) *dum attrahit eum*. v. 42. *in laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.*

Quorum omnium cauſam repetit eſſe Dei oblivionem, & ſemi-atheiſmum, providentiam Dei quaſi negando: *Dixit enim in corde ſuo* (peccator) *oblitus eſt Deus* (vel factorum noſtrorum, vel pauperum, ac innocentum) *avertit faciem ſuam* (ab illis, ut non ſit ipſi cura, & providentia de illis) *ne videat in finem*, vel in perpetuum. v. 43.

Affectus deteſtationis, & abominationis.

O Abominationem deſolationis, & ſtudiorum mundi! quis Babylonicam hanc congregationem non toto animo deteſtetur? quis non fugiat malignantium hunc cœtum! ubi inundat omne ſcelus, & conculcatur, quod pium, ſanctumq; eſt?

Punctum III.

COnſidera media, quibus contra hæc perverſiſſima mundi ſtudia animus erigatur, & armetur.

Quorum primum eſt inevitabilis divinæ juſtitiæ vindicta: quæ tametſi interdum ob profundiſſima Dei judicia, ſapientiſſimáſq; rationes differatur, ita ut quaſi dormire, vel connivere Deus videatur, tandem tamen docet, *hoc graviore manu, quo graviore pede*: lanei enim pedes, & ferreæ manus Deo rectè affinguntur.

Hanc idcircò quaſi dormientem excitat pro ſuo Zelo S. David. *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua* (ad percutiendum, quæ quaſi ſopita jacere, languere videri poſſit, oſtendendo potentiam, fortitudinem, & vindictum in impios) *ne obliviſcaris pauperum*. v. 44. ex perverſo judicio impiorum, vel infirmorum in fide, inde ſcandalum patientium.

 Alte-

Alterum eſt refutatio blaſphemorum principiorum, quæ mundi animo infixa hærrent, & quibus Deum ad vindictam meritò magis provocat: Nimirum providentiam Dei negando: *propter quid irritavit impius Deum*, (q. d. imò hoc ipſum eſt, quod ad accelerandam vindictam Deum excitat,) *dixit enim* (idem impius) *in corde ſuo; non requiret.* v. 45. Vel non habet curam rerum humanarum:

Vides; quoniam tu laborem, & dolorem conſideras. Q. d. contra prorſus eſt: tu enim omnia vides, & contemplaris, quo labore, & dolore affligantur juſti ab impiis. *Ut tradas eos in manus tuas.* v. 46. Ut ultrices, inquam, manus tuas ſceleratis oppreſſoribus injicias. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* v. 41. *Quod tertium medium ſtatui poteſt*; nempe quaſi *major Deo cura ſit de pauperibus*, & afflictis, quàm de cæteris, idcirco quod Dei tutelæ, fidei, & providentiæ ſingulariter commiſſi ſint, cum alium non habeant protectorem.

Contere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius, & non invenietur. v. 42.

Quartum medium eſt, quod vel prophetico Spiritu prædicit, vel ſpe certa confidit, & prævidet, potentiam, vires, & violentiam iniquorum, brevi eliſdendam à Deo, ita ut mox quaſi non fuerint, cum peccato oppreſſionis diſparituri ſint; vix relicto poſt ſe veſtigio, vel hærede; unde cognoſci, & quæri de eis poſſit. Juxta illud Pſ. 36. *vidi impium ſuper exaltatum, & elevatum ſicut Cedros Libani: Et tranſivi, & ecce non erat; & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus.* Quo etiam modo in paſſione ſua Chriſtus Judæis dicebat: *hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Luc. 22. Hora, inquam, brevi tranſitura.

Contra verò (quod eſt quintum medium) eveniet illis, qui perſecutiones mundi propter juſtitiam patienter ſuſtinuerunt, *illorum enim eſt regnum cælorum*, ipſis à Chriſto promiſſum. Mat. 5. In quo cum eodem Rege ſuo Chriſto (cujus *regnum non eſt de hoc mundo*,) Johan. 18. ſempiternùm regnabunt. Nam *Dominus regnabit in æternùm, & in ſæculum ſæculi, peribitis gentes de terra illius.* v. 43. Exulabitis ab hoc regno in tenebras exteriores conjiciendi, ibiq; æternùm perituri, in pœnis ſine interitu veſtro, horarii mundi reges, & mundanæ felicitatis anſectatores, pauperum, proborumq; oppreſſores:

Sextum denique medium eſt: Recurſus in perſecutionibus his mundi ad Deum, qui tam pius, & clemens eſt erga hujuſmodi afflictos; ut non expectet illorum orationem, ſed vel ad deſiderium eorum mox præſto ſit, quin & *præparationem*, primumq; motum *cordis* ad orationem fundendam, & expectatâ oratione ipsâ, adſpiciat ad ſuccurrendum illis: *Deſiderium*, inquit, *pauperum*, vel vota, gemitus, pióſque animi motus *exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris ſua*. v. 44.

Judicare pupillo & humili (ut judicet, per græciſmum) patrocinetur humilitatis & afflictis. pro iis ſententiam ferendo, & conatus adverſariorum deſtruendo: *Ut non apponat ultrà ſe magnificare homo ſuper terram*. v. 45. Ita nempe exemplariter hæc agendo, ut deinceps tum ipſi, tum alii diſcant, faſtum faſtui non adjicere, ſed meminerint homines terræq; vermiculos contra cæli Deum, nihil moliri in ſervis ſuis, velut Ethnicus olim cecinit:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Affectus Compaſſionis, & Zeli.

Heu miſerandi aſſeclæ mundi! usquequò inaniſſimis ſtudiis veſtris inhærebitis! quàm citò gloria, & dominatus veſter deficiet, *& riſus veſter in luctum convertetur & gaudium in mærorem?* Jac. 4. Vos vero imitatores Chriſti patienter ſufferte arrogantem mundi dominationem, *& humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos*. Jac. 4. Ut cum illo regnetis ſempiternum, huic deſideriis adhærete, ad hunc confugite orationibus, certiſſimè confiſi nunquam ejus vobis præſidium, auxiliumq; defuturum.

ORATIO.

Da quæſumus Domine fidelibus ſervis tuis Diabolica Mundi vitare contagia, & te ſolum Deum purâ mente ſectari.

IN PSALMUM X.

In Domino confido, &c.

MEDITATIO XI.

Scutum contra timores vanos, & inconſtantiam:

Fiducia in Divina providentia.

Argumentum Pſalmi.

Perſtringit eos, qui in perſecutione, & inſidiis Saulis 1. Reg. 27. fugam, aut ſpem in Deum exprobrabant (ſenſ. lit.) perſecutores, & obtrectatores ſuos Chriſtus (ſenſ. alleg.) & juſti ſuos (ſenſ. moral.)

Punctum I.

COnſidera, quàm rectè dici poſſit, de hoc S. Davidis axiomate, vel veritate, *In Domino confido*, ſcutum eſſe contra timores, puſillanimitatis, & inconſtantiæ, juxta quod illum ait Pſ. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus, & non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die*, ut Deo confiſus cum divino Vate hæc ſuis meritò exprobrare queat ſuaſoribus: *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem ſicut paſſer.* v. 1. q. d. fruſtrà conamini mihi perſuadere, O cogitationes meæ, internæque inſtigationes, vel tentationes, ſive à proprio ſpiritu, carnéque, ſive à mundo, ſociiſq; perverſis, ſive à Dæmone, ſuaſoribus furfuris ejuſdem proficiſcantur, ut locum, vocationémque, vel ad fidem, vel ad religionem, vel propoſitum piè vivendi quodcunq; aliud metu tentationis deſeram, vel inconſtans, & vagabundus paſſer aucupem metuens; & ut inacceſſa montium cacumina evolem, quaſi mutatione loci tentationum moleſtiam evaſurus, quæ ſtulta imaginatio de loci mutatione multos fefellit, cum ubiq; Dæmon hoſtis, & ubique etiam Dei adjutorium, & quisquis ad quemvis locum ſe ſecum portet, qui hoſtis internus infeſtiſſimus cuicunq; eſt: ne quicquam hæc, inquam, ſuadetis mihi, qui ſpem omnem in Deo ſitam habeo, nec ab humanis rationibus, ſed altioribus, & divinis pendeo, illâ S. Spiritûs præſertim Eccl. 10. *Si Spiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris.*

 Affectus

Affectus ad Deum recurrentis.

QUo fugiam in tribulationibus, calumniis, perſecutionibus, & tentationibus conſtitutus, niſi ad te Deus, qui ubiq; es? nempe hîc *paſſer invenit domum*, & latebras, *altaria tua Domine virtutum.* Pſ. 83. & ſanctiſſima vulnera tua, hæc requies mea, hoc aſylum, hoc ſcutum, hæc urbs refugii, tua, inquam, paterna providentia.

Punctum II.

COnſidera umbratiles rationes, quibus mutationem loci, fugámq; mali conſiliarii iſti ſuadent.

Prima: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* v. 2. Ob timorem tentationum ſcilicet, quia nimirum in exitium tuum conſpirarunt hoſtes tui, aptaverunt ſagittas tentationum, & calumniarum, non tantum in pharetra affatim iis inſtructa, ſed etiam in arcu, nervóq; jam tenſo, ut ex inſidiis, & obſcura, illumque nocte innocentem transfigant. Ad evitandas ergò tentationes, & in eas cadendi periculum, hunc ſtatum, religionem, modúmque vivendi commuta cum ſecuriori, magiſq; immuni, ab hoc diſcrimine, ubi latites, vel liber ab his moleſtiis degas.

Accedit & altera ratio: *Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt, juſtus autem quid fecit?* v. 3. quod etiam rectè à te facta in caſſum ceciderunt, & quæ fundamenta poſuiſti (juxta hebræa) vel ſanctitatis propriæ, vel perfectionis alienæ occultis calumniis, velut actis cuniculis ſubverterunt, ut nulla fructus faciendi ſpes magnoperè reſtet. Atq; hæc egerunt nullo merito tuo, & contra innocentem, *juſtus enim quid fecit?* ut tale quid moliantur adverſus illum?

Quæ ſanè duplex ratio timoris, tum mali incurrendi, tum boni negligendi, ſeu non perficiendi, potens videri poſſit ad deſerendum inſtitutum priſtinum, ſecurioremq; aut his malis minùs expoſitam vivendi rationem auſpicandi.

Verùm

Affe-

Affectus reprobationis.

O *Vani, & mendaces filii hominum in ſtateris! ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Pſ. 61. fraudulenti, inquam, in trutinandis rationibus, ac conſiliis, atq; ex dolis compoſiti ad circumveniendum, & decipiendum fallaciter alios, & in eandem vanitatem inducendam.

Punctum III.

COnſidera rationem fundamentalem veritatis ſuprà poſitæ *In Domino confido.* Contra fucatas, & frivolas ratiunculas arte factas, ſcilicet: Divinam providentiam, quæ ſit 1. omniſcia. 2. ſine perſonarum reſpectu, & acceptatione. 3. juſtis amica, inimica perverſis. 4. omnipotens, & formidanda. 5. æquiſſima demùm, & juſtiſſima.

1. *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes ejus.* v. 4. q. d. Illæ me ratiunculæ veſtræ neutiquam exterrent ſcientem, & conſiderantem divinam providentiam: Deus enim ſanctiſſimo illo cœlorum templo, altiſſimoq; habitaculo ſuo, cui nihil abſcondi poteſt, tanquam Dominus univerſorum, & ſimul velut judex in throno ſuo conſidet, & providentiâ ſuâ inſcrutabili contemplatur, gubernátque hunc mundum, ac ſine reſpectu curam habet univerſorum, pauperum præſertim, & afflictorum, erga quos benignitatem ſuam maximè oſtendit.

2. *Oculi ejus* benevoli *in pauperem reſpiciunt*, ut nihil ipſi illo non ſciente, diſponente, vel permittente accidere poſſit, quod præcipuo illi ſolatio eſſe debet, ſi præſertim juſtitiam ſectetur: quare ipsâ palpebrarum conniventia exactiſſimè hominum cauſas examinat, probat, diſcernitque bonos à malis. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* v. 5.

3. *Dominus interrogat juſtum, & impium*, quaſi ſigillatim omnia opera explorando, ut ſuo tempore ea remuneretur, aut plectat: quoeirca ſicut bonitatem erga bonos oſtendit, juxta illud Pſ. 17. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, ſic ut diligentibus DEUM*, vel juſtis *omnia coöperentur in bonum.* Rom. 8. in hac, & in altera vita: Ita potentiam, & ſeveritatem erga perverſos exercet (*cum perverſo perverteris* ibid.) vindicando illorum peccata pœnis in vita altera præſertim graviſſimis.

4. Ideò, *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* v. 6. quicquid ſibi videatur eam amare, dum ejus deſideriis peccando ſatisfacit. Quæ

ſenten-

ſententia elegantiſſima cum illa Chriſti. Luc. 14. Conſentit: *qui amat animam ſuam, perdet eam*, ſive, qui malè ſe amat, verè ſe odit. Nam Deus vindex *pluet ſuper peccatores laqueos*, ut in hac vita *conſtringantur funibus peccatorum ſuorum*, v. 5. Permittendo (ut in Hebræo expreſſiùs legitur pluere faciet) illos illaqueari, & involui pluribus, & majoribus peccatis, velut ſtillis pluviæ condenſatis, & ut inquit Bellarm. percutiendo eos cæcitate, & tradendo eos in reprobum ſenſum, quæ eſt pœna horrenda, & graviſſima. Deinde in alia vita, *ignis & ſulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum*. v. 7. Portio hæreditatis, pro qua calix ſumitur frequenter in ſcripturis, ductâ à Modimperatoribus metaphorâ, qui ſuum cuiq; in ſympoſiis calicem proponebant. Vel etiam pro retributione, hæc, inquit, erit igneus imber, & turbo ſulphureus, qualis Sodomam, & Gomorrham peſſumdedit, à proceloſo vento in horribilem tempeſtatem exuſcitatus. Nam ſulphur igni admodum ventis afflantibus, in flammas vehementes mox exardeſcit.

5. *Quoniam juſtus Dominus, & juſtitiam dilexit, æquitatem videt vultus ejus*. v. 8. Quia nempe Dei providentia non tantùm in ſe juſtiſſima eſt, ſed etiam rectitudine, & juſtitia hominum delectatur, eóq; ſcientia vel viſione approbationis contemplatur, ad remunerandum quandoque.

Affectus fiduciæ.

QUidni in Domino confidas anima mea? ablegato procul humano timore, & reſpectu à quocunq;, & quarumcùnque tentationum? *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo*. Pſ. 117.

ORATIO.

Protector in te ſperantium Deus, dilata, & corrobora cor noſtrum fiducia tuæ ſubſidiis, ut omni humano, immoderatóque timore procul habito, in tuo ſervitio, ſanctiſque propoſitis ſtabiles à te nunquam recedamus.

IN PSALMUM XI.

Salvum me fac Domine, &c.

MEDITATIO XII.

Antitheſis fallaciæ mundi, & fidelitatis Dei:

Illum fugere, huic adhærere ſuadet.

Argumentum Pſalmi.

Contra fallaces & proditores ſuos 1. Reg. 23. queritur, & ad Deum confugit David, (ſenſ. lit.) juſtus ſimiliter (ſenſ. mor.)

Punctum I.

Conſidera fraudulentiam fallacis mundi, mundanorúmq; hominum: quam cùm S. David inſpexiſſet, cum timore recurrit ad Deum clamans: *Salvum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* v. 1. q. d. Ad te meritò recurro, Deus, & à te ſalutem peto, & expecto, quia ab hominibus ſperare nullam poſſum, defecit enim pietas, & miſericordia in terra, imò etiam veritas & fides; ut vix invenſatur in mundo verè pius & miſericors, (id enim Hebræa vox ſonat, pro qua noſter poſuit, defecit ſanctus) vel certè valde imminuto ſunt numero, etiam veraces fidelésque.

Nam vana locuti ſunt, unusquiſq; ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. v. 2. Quo probat, quod dixerat, duplicem attendendo falſitatem cordis & oris; ſeu conſiliorum, verborúmq; duplici enim ficto, & ſimulato corde omnes inter ſe agunt, aliud animo ſentientes, aliud ore proferentes; ſic ut cor duplex habere videantur, aliud in lingua, quod ſe plandum & amicum oſtentet, ceu melle plenum; aliud in pectore latens, perverſum, inimicum, & felle invidiæ ſuffuſum, duplicium etiam labiorum, ſeu bilinques ſint; coràm adulando, in præſentia, in abſentia verò detrahendo. In Hebræo enim eſt labium diviſionum, ſeu diviſum; aliud ſonans, aliud ſignificans, ex corde diviſo, ſeu duplici ortum: quæ eadem vox in ſcripturis labium blanditiarum, & adulationum ſignificat, *diſperdat*, (pro *diſperdet*

det prænunciando, non exoptando, & imprecando,) *Deus univerſa labia doloſa:* quæ meritò averſatur, & execratur, & juſto judicio ſuo id eis faciet evenire, ut qui ſic decipiunt, decipiantur; & dum putant ſe multum ſuis fraudibus lucrari, perdant omnia, pereántq; ſimul ipſi in æternúm. Et ſic exſcindet *linguam magniloquam.* v. 3. Superbam, iniquam, & oſtentatricem, ſive gloriando de ſuis fraudibus, ſive efferendo ſe inſolenter de ſuis meritis, ſive magna promittendo, nec quicquam præſtando; ſive tum res ſuas, tum aliorum peccata nimium augendo.

Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? v. 4. hæ voces eorum, & verba plena inſolentiſſimæ jactationis ſunt: roborabimus nos, ut Hebræus habet per linguam noſtram, eam proferendo, & transfundendo latè per alios populos, vel verbis blandis, & deceptoriis obtinendo quæ vis, aliis dominabimur, labia ſermonésq; noſtri, in noſtra poteſtate ſunt, & libertate, ut pro libitu in omnes laxemus linguas noſtras, quis impedire, & ſubnervare poterit, in loquendo libertatem? quis nobis imperare poſſit ſilentium, aut contra nos hiſcere?

Affectus aſpirantis, & recurrentis ad fideliſſima Dei eloquia à mundi fallaciis.

QUis me liberabit à viperinis deceptoris, & ſeductoris mundi hujus, in quo virtus, fides, veritas omnis exultat, ſermonibus & linguis, mendaciſſimorúmque dogmatum circumventionibus, quibus paſſim omnibus imponens gloriatur, atque triumphat? Ad quem alium, niſi ad te veraciſſime fideliſſiméque Deus, tuáque eloquia ſinceriſſima confugiam?

Punctum II.

COnſidera Dei erga ſuos fidelitatem ſinceriſſimáq; promiſſa. Ille enim ultrò à mundo oppreſſis, ad ſe ſuſpirantibus ſuccurrit. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, illicò nunc exurgam dicit Dominus.* v. 5. Ille loco tuto ſecuróq; in hac vita per gratiam vocationis, aliáq; efficacia auxilia eos collocat, tam ſtabiliter, ut commoveri fraudulentorum mundi aſſeclarum principiis, aſtibúsq; non poſſint; & in ſalute æterna, poſt hanc vitam tandem conſtituit: *ponam in ſalutari*, atque id cum tali guſtu, & ſolatio, ut in Deo ſalutari, vel

Jeſu ſuo poſiti exultent: *Fiducialiter agam in eo.* v. 6. Liberè, & confidenter loquar cum eis, familiariter me ipſis communicans, ut Genebr: ſeu tantâ confidentiâ, & ſecuritate, quam in animo ſuo etiam ipſi perſentiſcent, nemine contra quicquam audente hæc agam, ut rideant doloſas adverſus ſe mundi machinationes, ſummâ fiduciâ in me confiſi.

Hæc porrò, aliáq; Dei promiſſa non ſunt, ſicut artificioſæ mundi fucíſq; aulicis illitæ ſimulatorum verborum formulæ, quæ complimenta vocant, velut menſi contraria, aut ementita: ſed ſunt ſinceriſſima, candidiſſimáq;, & ab omni fraudis labe puriſſima, unde argento purgatiſſimo comparantur. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum*, exploratiſſimum, repertúmq; veriſſimum, in ſono, pondere, & candore, quale eſt argentum igne excoctum, ac repurgatum ab omni ſcrobe, inſuper *probatum terræ*, id eſt, in camino terreo, vel fornace argillacea, vel ut græcus habet δόκιμον τῇ γῇ probatum lapidi lydio, qui eſt è terra, & purgatum ſeptuplum, ſeu ſæpiſſimè ac penitus, ita ut nihil admixtum illi minus genuinum hæreat: Caſta, inquit, S. Auguſt. in „ enarrat. Pſalmi hujus, eloquia Domini ſine corruptionis ſimulatio- „ ne, & ſicut argentum probatum ſeptuplum, per Timorem Domini, „ per pietatem, per ſcientiam, per fortitudinem, per conſilium, per in- „ tellectum, per ſapientiam.

Affectus laudis & amoris.

O Sanè *fidelia omnia mandata*, & promiſſa tua Deus! *Confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate.* Pſ. 110. *Hæc me conſolata ſunt in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.* Pſ. 118. Ideò mundi fallacias, odio habui, & abominatus ſum, tua verò caſta, ſinceráq; eloquia, & promiſſa toto corde dilexi.

Punctum III.

COnſidera diſparem ſequacium, utrorúmq; conditionem, id eſt Deo, diviníſq; promiſſis adhærentium felicitatem; contra verò infelicitatem mundi, & aſſeclarum ipſius. Primi enim certiſſimâ ſpe freti, nullatenus dubitant, ſe juxta promiſſa illa ſervandos, cuſtodiendóſq; à Deo, etiam in medio, & circuitu hoſtium, & tentationum, & in hac ſpe velut ſecuri, ſuaviſſimè conquieſcunt: dicentes cum vate regio. v. 8.

Tu

Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos, vel juxta Hebræum *ſervabis ea*, nempe eloquia tua, *& cuſtodies nos*, hic per gratiam tuam, à generatione hac perverſa mundanorum, & illic in æternùm in gloria tua, etſi undiq; nos cingant, & in circuitu noſtro impii ambulent, ad perdendum nos, & ubiq; pravis hominibus plena ſint omnia, in quibus nos velut oves in medio luporum vivere neceſſe eſt.

E contrario autem ſecundi, ſeu impii in circuitu ambulant, & hâc ſpe deſtitui, nullam quietam ſtationem rebus ſuis inveniunt, ſemper ambientes bona mundi hujus, & nunquam ad finem deſideriorum ſuorum pervenientes: Bellarm.

Quæ licet ita ſe habeant, adhærent tamen plures adhuc fallacibus mundi, quàm Dei fideliſſimis promiſſis, quâ in re profundiſſima Dei judicia meritò admiratur David. v. 9. *Secundum altitudinem tuam, ſeu* judiciorum ſapientiæq; tuæ abyſſum, *multiplicâſti filios hominum*, id eſt, impios, qui humana tantùm ſapiunt non divina, plures numero eſſe pateris. Nam ſtultorum infinitus eſt numerus, teſte Eccleſ. 1.

Affectus admirationis.

Fieri ne poteſt, ut deſerto fideliſſimo bonorum omnium largitore Deo, fallacibus mundi pollicitationibus homines adhæreſcant, & *derelicto fonte vivo fodiant ſibi ciſternas non valentes continere aquas.* Jer. 1. *O filii hominum,* (non Dei) *uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pſ. 4.

ORATIO.

Concede nobis fideliſſime Deus, in fœdifrago hoc mundo, ubi diminuta ſunt virtutes tam vitæ, quam doctrina eloquiis tuis caſtis fiducialiter inhærere, ut repudiatis doloſi ſermonis fallaciis mundanorum, in tuis ſinceriſſimis promiſſis ſalvi, ſecuríque hic æternúmque conquieſcamus.

IN PSALMUM XII.

Uſquequò Domine, &c.

MEDITATIO XIII.

Remedium Tentationum, varius ad Deum recurſus.

Argumentum Pſalmi.

Rogat Deum, ut à diuturna perſecutione Saulis ſe tandem liberet (ſens. lit.) Juſtus (moral.) ut in tentationibus ſibi ſuccurrat.

Punctum I.

COnſidera primum remedium tentationum eſſe recurſum ad Deum per diffidentiam ſui, ortam ex timore caſto, ne à Deo ſeparemur. Oritur autem hic timor, & diffidentia ex duplici tentationis effectu, quorum alter eſt voluntatem, per terrena deſideria inclinare in peccatum, alter intellectum obtenebrare; propter primum clamandum eſt cum David. v. 1. *Uſquequò Domine oblivíſceris me in finem*, id eſt, ut penitus ſuccumbam, in ſurgentibus ferociter contra me pravis deſideriis? Quando enim deſideria illa vehementer urgent, & extimulant, tum videtur Deus oblivíſci, & deſerere animam. Propter ſecundum addit: *Uſquequò avertis faciem tuam à me?* quando namque tenebræ obſcurant intellectum, videtur Deus avertere faciem ſuam ab anima: ipſe enim lux eſt, & ideo illuminat, cum convertit faciem, & in tenebris relinquit, cum avertit. Ita Bellarm.

Hinc meritò quæritur contra duplicem effectum duplicis cauſæ hujus ordine inverſo. 1. Fruſtrà ſe conſultare de mediis, ſine lumine hoc gratiæ cœleſtis. v. 2. *Quam diu ponam conſilia in anima mea?* volvendo anxiè, & indagando varios evadendi modos. 2. Dolore ſollicitudine, triſtitiáque voluntatem excruciari, ne fortè deſideriis inclinatus Deum offendat, *dolore in corde meo*, ſcilicet aſſummam, idque per totum diem, vel, ut græcus habet, *per diem & noctem.*

Eandem diffidentiam auget ferocia, & potentia hoſtium, qui fortiſſimè oppugnant, & propè inſultant: *Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me.* v. 3. Opprimendo me tot repetitis malorum, deſideriorum, & tentationum inſultibus, ut iis reſiſtendo ultra non ſim. Horum timore concuſſa anima meritò ad Deum recurrit, per hos ſimilesvé.

Actus diffidentiæ.

Ex Apoſtolo Rom. 7. Heu quàm diverſam *ſentire cogor legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, infelix homo, quis me liberabit* à tyrannide tam ferocium, támque potentium inimicorum. Quos mea cum infirmitate, ſi conferam, an non timere, & diffidere mihi jure poſſim?

Punctum II.

CONſidera ſecundum medium eſſe, recurſum ad Deum per implorationem divinæ gratiæ, magna cum confidentia. *Reſpice & exaudi me Domine Deus meus.* v. 3. Inquit, reſpiciendo enim convertes faciem tuam ad me, velut converſus ad Petrum reſpexit Chriſtus. Luc. 22. Fugabiſq; ex intellectu nebulas dubitationum, méq; exaudiendo mei te recordari, memorémq; eſſe oſtendes, & ſic anxiam voluntatem dulci pace gaudio perfundes.

Illumina ergo oculos meos cordis, ut S. Hieron. luce gratiæ tuæ, (eandem petitionem repetit,) & exhilara animum, ne præ triſtitia tabeſcam. Triſtitiâ enim obſcurantur oculi, illuſtrantur lætitiâ; tuo, inquam, benevolo, ſinceróque vultu me reſpice, ne à te derelictus, & diffidentia oppreſſus, mortis victima cadam. Vel juxta Chaldæum; *illumina oculos meos in lege tua, gratia* tua excitante efficace me, prævertens & præſervans, ne lethargo, vel mortifero, ſopore peccati obdormiens, conſentiam in peccatum mortale. *Ne quando dicat inimicus meus,* (Dæmon mundus caro,) *prævalui adverſus eum.* v. 4. Et gloriabundus obtentâ de me victoriâ triumphet.

Nam *qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero.* v. 5. Non ſolum à ſtatu juſti in ſtatum peccatoris, ſed etiam ſi vel nutavero tantiſper. Sicut enim *gaudium eſt in cælo, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente,*

quàm ſupra nonaginta juſtis, qui non indigent pœnitentiâ. Luc. 15. Sic etiam magis Dæmones exultant, ſi virum aliquem perfectum ad inchoandum peccatum induxerint, quàm ſi multos peccatores in peccatis maximis volutari fecerint. Ita Bellarm. Poſt imploratum tandem gratiæ divinæ auxilium.

Remedium tertium eſt. Recurſus per fiduciam magnam in Deo, ejúſque adjutorio, quo fretus certam ſibi quaſi victoriam pollicetur. *Ego autem in miſericordia tua ſperavi.* v. 5. non viribus meis, quæ victorem de hoſtibus certò me faciet, ut de ſalute parta exultaturus ſim. *Exultabit cor meum in ſalutari tuo.* v. 6.

Affectus fiduciæ.

L*Eva oculos tuos in montes*, anima mea, cœleſtis ſubſidii, *unde certum tibi auxilium à Domino.* Pſ. 120. adeò, ut ſi *conſurgat adverſus te prælium, in hoc ſperare poſſis. Si conſiſtant adverſus te caſtra*, inferni, *non timeat cor tuum. Dominus enim illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Pſ. 26.

Punctum III.

COnſidera quartum remedium, ſeu recurſum ad Deum eſſe, poſt obtentam victoriam, nihil ſibi inde decerpere vel arrogare; ſed totam Deo adſcribere, eúmq; idcircò laudare, & pro illa ei gratias agere. *Cantabo Domino, quia bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.* v. 6. Corde, inquit, ore, & opere ſalvatus tuâ gratiâ ab hoſtibus, beneficium illud celebrabo. Cor exultabit in ſalutari tuo, geſtiens præ lætitia ob ſalutem à te mihi oblatam: os tantam gratiam, & miſericordiam decantando prædicabit: Manus pſalterium, vel cytharam pulſando, cæterisq; inſtrumentis muſicis pſallendo tuam gloriam reſonabit. Omnia denique, quæ in me ſunt, exaltabunt nomen ſanctum tuum.

Affectus laudis.

B*Enedic ergò anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus, qui redimit nos ab interitu.* Pſ. 102.

ORATIO.

N*E avertas faciem tuam à ſervis tuis, benigniſſime DEUS noſter, nec obliviſcaris noſtri in tribulationibus, ac tentationibus noſtris,*

ſtris, ſed illumina oculos mentis noſtræ, ne unquam obdormiamus in morte peccati, ut gratia tua auxiliis ab hoſtibus noſtris ſalvati, exultemus in te Deo Jeſu, & ſalutari noſtro. Amen.

IN PSALMUM XIII.

Dixit inſipiens, &c.

MEDITATIO XIV.

Adventus Salvatoris Chriſti, ad reparandam naturam humanam per peccatum corruptam.

Vide meditationem S. IGNATII primam, hebdomadæ ſecundæ libelli exercitiorum de Incarnatione.

Argumentum Pſalmi.

Sæculi ſui deplorat depravatos impiorum mores, cum ſpe melioris ſtatûs ſub Meſſia, cujus adventum exoptat.

Punctum I.

CONſidera quàm miſero in ſtatu ante incarnationem, & Adventum Chriſti orbis terrarum, & homines in eo infideles vixerint, ob naturam corruptam per peccatum originale. Quod ut agnoſcas clarius; contemplare ex S. P. Ignatii ſuprà citato exercitio cum Sanctiſſimæ Trinitatis perſonis Divinis, *omnia hominum genera in ſuperficie terræ [illegible] more viventium, paſſimq; morientium, & deſcendentium ad infernum.* Ex quibus Athei aliqui, de quibus David v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, q. d. humana natura per peccatum corrupta in priſtino lumine eò cæcitatis prolapſa eſt, ut inventi ſint adeo inſipientes, & errantes etiam circa ultimum finem ſuum, qui negârint Deum eſſe in univerſo, vel providentia ſuâ omnia regentem, vel judicantem, punientémq; malefacta. Nam hebræum Elohim Deum Judicem ſonat. Et hoc vel factis ſuis, vel in corde ſuo minimè profitentes, tam impiam ſententiam non auſi ore proloqui; quanquam eò veſaniæ, & impietatis aliqui proruperint ut id etiam verbis docuerint, quales Diagoras Mileſius teſte Leſſ. de prov. Num. lib. 1. c. 1. & Protagoras Abderites Democriti diſcipuli, & Theodorus ille paſſim atheus dictus, Sophiſta impuriſſimus pariter, & impudentiſſimus: & Bion Boryſthe-

nites, Theodori diſcipulus. His jungi poteſt Lucianus omnium Numinum irriſor, & acerrimus Chriſtianorum hoſtis. Providentiam verò Dei negârunt Democritus, Heraclius, Epicurus, & Lucretius. Alii falſa Numina per idololatriam coluerunt; pauci Deum verum vel cognoverunt, *vel cum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt*, ut S. Paul. ad Rom. 1.

Hinc *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis:* Ex illo enim impiiſſimo principio, in abominabilia prolapſi ſunt ſtudia, deſideria, flagitiáque. Unde ex iis, qui illa Dei ignorantia, vel Atheiſmo laborârunt, vix fuit qui recta ſincerè operaretur. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.* v. 2. ne unus quidem, quod de operibus abſolutè bonis, & meritoriis præmii ſupernaturalis veriſſimum eſt, talia enim ex naturæ corruptæ viribus ſine gratia ſupernaturali fieri non poſſunt.

Atque ut magis enucleatè, ac patheticè miſerrimum ſtatum humanæ naturæ Propheta ob oculos nobis ponat, inducit Deum ad captum noſtrum, & more humano de cœlo contemplantem, & occultè quaſi arbitrantem, ut græcum διέκυψεν ſonat, velut porrecto aliquantulùm capite è cœli ſpecula tanquam videre, & non videri volens. Ut ex S. Ignatio dixi. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum*, humanis deſideriis honorum, carnis item, & ſanguinis, nec non terrenis divitiarum cupiditatibus totos immerſos, hominum, inquit, non Dei filios, qui cœleſtia ſapiunt. *Ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* v. 3. ſive incorruptus, tam quoad intellectum, quàm quoad voluntatem, qui, inquam, Deum ſincerè credat, & voluntatem illius inquirat, ut mandatis ejus obſequatur.

Verùm *omnes declinaverunt* à ſemitis ſcil. ſapientiæ, & juſtitiæ, *ſimul inutiles facti ſunt*, tum gloriæ, obſequióque Dei quærendis, tum comparandæ ſaluti propriæ, quem in finem à Deo licet conditi ſint; ad illud tamen divini honoris, ſuæque ſalutis tributum Deo, ſibique reddendum, ineptos, & inutiles ſe reddiderunt, adeò ut ex tanto hominum numero, quem mundus in ſe continet, continuitque univerſus, vix unus reperiri ſit, qui opus perfectè bonum operetur, *non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.*

Parti-

Particularius autem ſequentibus tribus verſibus peccata ſpecificat, quæ ſuperiorioribus in genere, & univerſaliùs propoſuerat ſcilicet peccata oris, & operis perſtringendo; præcipuè quæ peccatorum cordis certiſſima ſigna ſunt. Exhalant enim inde, velut ex ſepulchro patenti, per guttur tanquam per ſpiraculum, tum execrandæ ſpurcitiarum fœditates; tum reconditæ fraudulentiarum aſtutiæ; tum linguæ peſtilentiſſimæ, & plus quàm viperinæ alios inficientia, & corrumpentia colloquia. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* v. 5. quibus verborum obſcœnitates, fraudes, & aliorum ſeductiones in omnem perverſitatem ſignificantur.

Super hæc addit v. 6. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt*, quibus comprehenduntur blaſphemiæ, maledictiones, execrationes, juramenta falſa: Item ex amaritudine, & odio profectæ criminationes, detractiones, contumeliæ, injuriæ, contentiones, ſimiliáque oris peccata charitati proximi adverſantia.

A peccatis verborum, & oris ad facta procedit, ea maximè, quæ [illegible] repugnant, circa vitam, & everſionem bonorum aliorum. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, promptiſſimi, inquam, ſunt ad omnem crudelitatem, & in profundendo humano ſanguine per ſummam immanitatem, & truculentiam excurrunt, velociſſimique, ut non niſi bella, cædes, & ſanguinem ſpirare, avidiſſiméque anhelare videantur. *Contritio, & infelicitas in viis eorum.* v. 7. quocunque progrediuntur, vaſtitatem aliorum bonis, perniciem familiis, everſionem ſtatus, honores, famæque excidium ſecum afferunt, & poſt ſe trahunt, & *viam pacis non cognoverunt.* Tantum ſcilicet abeſt, ut pacis ſtudium ament, ac ſectentur, ut potius omnia ſtudia eorum ad evertendum, vaſtandum, & omnem calamitatem afferendum ſpectent.

Horum omnium cauſa principalis eſt: quia *non eſt Timor Dei ante oculos eorum.* Quia timorem Dei cum notitia ejus abjecerunt, dicentes in corde ſuo: *non eſt Deus.* Eundem ſtatum ante Meſſiæ adventum deplorat Propheta Evangelicus Iſaias cap. 64, *facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ*

juſtitiæ noſtræ, non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te, abſcondiſti faciem tuam à nobis, & colliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.

Obſervandum eſt autem ex Bellarmino, & aliis hos tres verſiculos nec in græco, nec in hebræo, nec à LXX. legi, ſed immigrâſſe videntur ex Epiſtola ad Rom. c. 3. v. 10. & ſeqq. ubi Apoſtolus eos ex variis Scripturæ locis, nempe Pſalmis, Proverbiis, & Iſaia coagmentavit, & ſuperioribus ſubſtituit, unde per errorem putati ſunt huc tranſlati eſſe, iterumq; huc reſtituendi.

Affectus commiſerationis.

HEu corruptam per peccatum miſeram naturam noſtram humanam! heu maſſam perditionis! ex qua ſcelerum inundationes omnium profluxerunt. Heu pronas ad omnia flagitia mentes hominum! & ab omni bono, quod verè Deo dignum eſt, refugas, & averſas! Ecquid colluvies illa ſcelerum aliud, niſi diluvium novum à Vindice Deo expoſcit? ſed his omnibus infinities major Dei eſt miſericordia, de qua pun. ſeq.

Punctum II.

COnſidera Dei infinitam miſericordiam, & clementiam, quâ remedium huic miſerrimo, ac profligatiſſimo humanæ naturæ ſtatui per Incarnationem Filii Dei, & mundi redemptionem præparavit. *Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis.* v. 8. Nunquid tandem incipient cognoſcere, & oculos aperire in adventu ſcilicet Meſſiæ, juxta quod Iſaias Propheta prædixit cap. 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Hâc luce illuſtrati, qui in omni iniquitate ſe exercebant, & inſatiabiliter juſtos perſequendo devorabant quaſi panem eâ cum delectatione, quâ panis, etſi quotidiè comedatur, ſemper tamen ſapit, & eſurientibus nunquam faſtidium procreat; iſti, inquam, hâc luce perfuſi, omnem ſuam injuſtitiam abjicient: *quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine, erit in combuſtionem, & cibus ignis.* Iſ. 9. & erunt ipſi cum ſuis ſceleribus in cibum ignis divini amoris hæc omnia abſumentis.

Cauſam Propheta addit eod. cap. v. 6. *parvulus enim natus eſt*

nobis,

nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: hic naturam humanam corruptam & oppreſſam à Sathana vindicabit. *Jugum enim oneris ejus & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperâſti ſicut in die Madian.* v. 4. eod. cap. Et hanc infinitam bonitatem, & miſericordiam ſuam Deus exhibuit gratis ingratiſſimo mundo, & nihil ſimile promerito, qui nec pro ea Deum prece exoravit. *Deum* (addit Pſaltes v. 9.) *non invocaverunt*, nec timuerunt, nec ſpem ſuam in eo collocaverunt, ſed in terrenis, temporalibusq; confiſi, *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* v. eod. ſcil. ob metum temporalium perdendorum, cum de æternis eos magis timere oportuiſſet.

Addit Pſaltes alteram hujus miſericordiæ, bonitatiſq; divinæ cauſam v. 10. *quoniam Dominus in generatione juſta eſt.* Juſtorum, & electorum congregationi ſuâ providentiâ, & fidelitate nunquam deeſt, quamquam contraria omnia evenire videantur, quibus hoc etiam remedium olim promiſit poſt lapſum primorum parentum idem Deus, in quo proinde ſperaverunt antiqui Patres Iſraëlitæ, etſi mundus improbus ſpem eorum velut inanem & ſtultam irrideret, eóſq; confunderet ob hoc conſilium, quaſi derelictos, & inopes, ſpe tamen iſtâ divites. *Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes ejus eſt.*

Affectus ſpei, & gratitudinis.

VEre *abyſſus abyſſum* meritò *invocat*. Pſalm. 41. & te clementiſſime Deus excitat ad ſuccurrendum humano generi! abyſſus, inquam, miſeriarum corruptæ naturæ humanæ, orbiſq; totius depravati, & in omni ſcelere volutati, abyſſum miſerationum, & bonitatis tuæ ad ſubveniendum illi jam deſperato, & deplorato: Benedicta ſit illa miſericordiæ tuæ abyſſus, quâ ſine meritis noſtris, quin etiam cum indigniſſimorum demeritis graviſſimis, & ab illis nec exoratus, nec invocatus, ſed gratis prorſus ob nimiam charitatem tuam voluiſti humano generi ſuccurrere, & illi liberando Redemptorem mundi decernere! Benedicta ſit fidelitas, veracitáſque tuorum promiſſorum, quâ promiſſum eundem Salvatorem filium Dei in temporis à te definiti plenitudine incarnari, & naſci feciſti!

Punctum III.

EX ſuperiorum punctorum conſideratione excitandum eſt partim ardentiſſimum Servatoris deſiderium, partim gaudium de adventu ipſius jam facto cum Pſalte. v. 11. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael?* O igitur veniat tandem deſideratus ille gentibus univerſis ex Sion cœleſti, vel è Judæis naſcendus Salvator mundi, qui ab illa captivitate vitiorum, quâ miſerrimè detinetur mancipata humana natura, eam liberet, corruptámq; reſtauret, tum gratia & ſacramentis, tum legum doctrinâ, tum exemplo ſanctiſſimæ vitæ ſuæ: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum! aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Iſa. 45. *O Emmanuel Rex, & legifer noſter, expectatio gentium, & Salvator earum, veni ad ſalvandum nos! O ſplendor lucis æternæ, & Sol juſtitiæ, veni, & illumina ſedentes in tenebris, & umbrâ mortis!* Suſpirat idcircò Eccleſia in veterum Patrum perſona! Nobis verò gaudendum præcipuè eſt, qui ad tempora illa reſervati ſumus, quibus bonis ineffabilibus adventus ejus perfrui conceditur. *Cum averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael.* q.d. Uti Chriſtus Salvator in terras advenerit, & gentem humanam vitiorum, & Dæmonis dirâ ſervitute preſſam veræ libertati reſtituerit, *ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi.* Luc. 1. Veri Iſraëlitæ non tam carne, quàm Spiritu, qui eſt populus Dei, & qui dicitur ſpiritualiter Jacob aut Iſrael (unius enim hominis utrumque eſt nomen) ad quem promiſſiones illas pertinere, & non ad ſolos carnales Iſraëlitas præclarè oſtendit S. Paulus in Epiſtola ad Rom. cap. 9. hic, inquam, Dei populus perfectè gaudebit, & exultabit, quod gaudium Angelus paſtoribus annunciavit nocte natali Salvatoris. Luc. 2. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus vobis hodie Salvator.* Ad quod gaudium Evangelicus Propheta Iſaias cap. 66. exhortatur *Lætamini cum Jeruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam, &c. quia ecce Dominus in igne veniet, &c.* & cap. 42. *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ, Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit Zelum, &c.*

Affectus deſiderii, gratitudinis, & laudis jam poſiti.

ORA-

ORATIO.

Reſpice Domine de throno Maieſtatis tuæ inquinatiſſima depravati animi ſtudia, naturæq; noſtræ corruptæ afflictiſſimum ſtatum, & manu nobis miſericordiæ ſuccurre per Salvatorem mundi unigenitum Filium tuum, ut à crudeli tyrannide hoſtium noſtrorum per eum vindicati tibi Aſſertorique & Salvatori noſtro gratiarum actiones, & laudes hic, & æternum læti decantemus. Amen.

IN PSALMUM XIV.

Domine quis habitabit, &c.

MEDITATIO XV.

Scientia ſalutis, ſeu prædeſtinationis, nec non compendioſa ad Cœlum ſemita.

Argumentum Pſalmi.

Adminiſterium tabernaculi, quibus virtutibus oporteat inſtructum eſſe docet (ſenſ. lit.) Pſalmus, morali verò quibus fideles ad cœlum pertingant.

Punctum I.

Conſidera, quàm homine præſertim Chriſtiano, nedum Deo per religionem ſacrato (pro quibus velut tabernaculi miniſtris, & inhabitatoribus Pſalmus hic inſcribitur) dignum ſit identidem percontari ſecum, & à Deo cum S. Vate: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Quis, non tam in tabernaculo terreſtri, quod in monte Sion eſt, quàm in illo ſacratiore cœleſtis Jeruſalem ſtabili, perennique manſione conquieſcet? Nam hic in terra neque ſtabilis manſio, neque vera quies eſt. hæc, inquam, digna homine Chriſtiano quæſtio eſt, quam Chriſto etiam proponebat Legiſperitus Luc. 10. *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo?*

Nam

„ Nam multa, ſi non pleraq; ſunt, quæ ſcire parùm vel nihil animæ pro- „ ſunt, & valdè inſipiens eſt, qui aliis intendit, quàm iis, quæ ſaluti ſuæ „ deſerviunt, rectè ait imitator Chriſti libellus Thomæ Kempenſis l. 1. cap. 2. & tamen quàm rari ſunt, qui vel de fine ſuo, ad quem conditi ſunt, inquirunt; vel de via, & mediis, quibus convenienter ad eum tenditur? *nemo interrogat*, ut Chriſtus Joh. 16. queritur: *quo vadis?* ſeu quo vado? vel quis finis meus? hinc ab illo longiſſimè aberrant plurimi, qui in mundo degunt, quibus acclamat idcirco S. Bern.

Quisquis amas mundum, tibi proſpice, quò ſit eundum.
Hinc via, quâ vadis, via peſſima plenaq́ cladis.

Affectus petitionis.

O *Ergo via, veritas, & vita.* Johan. 14. Chriſte dux meus legem pone mihi viam juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper Pſ. 118.

Punctum II.

COnſidera Reſponſum ad quæſtionem hanc breve, ac nervoſum: *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam.* v. 2. ſeu qui declinat à malo, & facit bonum, quod eſt ſummarium, & univerſale axioma Legisperito item datum ſupra Luc. 10. *in lege quid ſcriptum eſt*, quod ſequentibus verſibus particulariùs explicat: ſcilicet, qui nec corde, nec ore, nec opere in hæc delinquit.

Et primò quidem *corde, qui loquitur veritatem in corde ſuo.* v. 3. id eſt, qui cœleſtes veritates, & axiomata divina. v. 9. æterna temporalibus, ſempérq; duratura perituris præferenda eſſe, quæ ſunt veritates primo veræ judicio practico, quod ad verba, factaq; ejus ſe extendat, eorumq; primus quaſi fons eſt, profitetur, neq; id animo ſolum, & linguâ, ſed etiam vitâ, moribusq; præ ſe fert.

Secundò. *Ore, qui non egit dolum in lingua ſua*, quo ſe alium ve decipiat, aut lædat. Hebr. *qui neminem falſo accuſavit linguâ ſuâ.* Chald. *qui non detraxit.* Hieron. *qui non eſt facilis in lingua ſuâ, per qua detractiones, calumniæ, adulationes*, & vitia linguæ perſtringuntur univerſa.

Tertiò de opere agit verſ. ſequenti 4. *Nec fecit proximo ſuo malum*, non ſolùm nullam proximo injuriam ipſe intulit, ſed neq;

Quartò peccato ſe aliẽno obſtrinxit, *nec opprobrium accepit adverſus proximos ſuos*, admittendo ad aures detractiones, ſuſurrationes, calumnias, vel quoſcunq; ſiniſtros ſermones, quibus dedecus, & opprobrium proximo conflare poſſet.

Quinto. Inſuper *ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus*, quantumvis potens, & in honore apud alios, ob divitias, & mundi dignitates, nihili tamen apud ipſum fit, & contemptui habetur, quia flagitiis inquinatus, & deditus eſt.

Contrà vero Sexto. *Timentes autem Dominum glorificat*. v. 5. Eos ſcilicet, qui timore Dei, & virtute ſunt prædit, magnâ tantùm illi æſtimatione habet, quantumvis cæteroqui coram mundo deſpicabiles videantur, hos obſervat, cólit, laudat, & ſummo in pretio honoreq; habet. Quæ magna ſanè virtus eſt, & virtutis perfectæ argumentum in animo reconditæ.

Et quia Philargyria, ſeu avaritia cæterorum peccatorum quaſi fomes eſt, teſte Apoſtolo ad Timoth. 6. *Radix omnium malorum eſt cupiditas*, ea præcipuè carere debet, qui hæredem ſe regni cœleſtis eſſe deſiderat. Committitur autem illa vel per injuſtitiam, in contractibus licitis, defraudando; vel in illicitis ex genere ſuo; vel in muneribus acceptandis, quæ excæcant, in juſtitiæ periculo ſe exponendo. Ideo v. 6. addit: *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit* 2. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*; quod juri tum poſitivo, tum divino, tum naturali repugnat. 3. *Et munera ſuper innocentem non accepit*.

Affectus amoris erga vitam immaculatam, & deteſtationis vitæ iniquæ.

O Ergò, *beati immaculati in via, vitæ* hujus, quæ ad cœleſtem vitam ducitur, *qui ambulant in lege Domini! & in toto corde exquirunt eam!* O inſipientes verò, & infelices iniquos! *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*. Pſ. 118. Sed longiſſimè à via cœli aberrant, ſero tandem deploraturi errorem ſuum cum illis. Sap. 5. *Ergò erravimus à via veritatis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini*, quæ ad cœleſte regnum ducit, *ignoravimus?*

Punctum III.

COnſidera repetitam compendio reſponſionem ad quæſt. verſus primi. *Qui facit hæc, non commovebitur in æternum.* v. 7. q. d. Qui talis eſt, veram ſcientiam ſalutis, prædeſtinationiſq; ſuæ cognitionem conſecutus eſt, conſecuturus porrò illud abſq; omni excidendi periculo ſecurum, & firmiſſimâ manſione quietum, & finiendum nunquam, ſed in omnem æternitatem duraturum, cœli regnum in tabernaculo Dei auguſtiſſimo, & monte ſancto Sion cœleſti, poſſeſſione omnium feliciſſima.

Affectus deſiderii cœleſtis patriæ.

O *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit anima mea in atria Domini.* Pſ. 83. Et montem ſanctum tuum „ Deus; ubi ſumma & certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquil- „ la jucunditas, & jucunda felicitas, & fœlix æternitas, & æterna bea- „ titudo, & beata Trinitas, & Trinitatis unitas, & unitatis Deitas, & „ Deitatis beata Viſio, quæ eſt gaudium Domini &c. Orat. S. Aug. ſo- „ liloq. cap. 15.

ORATIO.

PRæſta nobis miſericors Deus, ſine peccatorum macula per viam vitæ hujus, ad gratiam cœleſtem ingredi, ut eo feliciter appulſi, in jucundiſſimis tabernaculis montis tui ſui Sion ſecuri habitemus, & ſempiternum conquieſcamus.

IN PSALMUM XV.

Conſerva me Domine, &c.

MEDITATIO XVI.

Conſtans omnibus exemplo Chriſti benefaciendi voluntas; ejúſq; modus, ac media.

Argumentum Pſalmi.

Orat Propheta conſervari ab inimicis ſperans reſurrectionem, & æternam beatitudinem (ſenſ. liter.) Chriſtus (ſenſ. alleg. ſed à Spiritu S. præcipuè intentó) Juſtus item (ſenſ. mor.) ad benefaciendum omnibus.

Punctum I.

COnſidera voluntatem benefaciendi omnibus propter Deum, ſingulare Dei munus eſſe, ideóque abs eo eandem, & conſervationem illam tempore adverſitatis eſſe petendam. Ex motivo maximè ſummæ noſtræ dependentiæ à Deo, qui tot nos beneficiis in horas accumulat, Deíque è contra à nobis independentiæ omnimodæ, quâ nullius rei noſtræ indiget, unde rectè infertur aliis retribuendum loco Dei, quod Deo ipſi non licet. Id agnoſcens, & de ſe confeſſus David Deum, idcircò hæc præcatur. *Conſerva me Domine*, ea in voluntate, quam à te accepi, & protege imminentis præſertim tempore adverſitatis; *quoniam ſperavi in te:* tunc enim vel maximè ſpem omnem in te meam collocatam fixámque habeo. Dixi Domino, *Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* v. 1. Verè enim agnoſco, & palam orbe toto confiteor, Te Dominum, & Deum meum ſummum, ac unicum eſſe, cui ſoli innitor, & à quo dependeo in omnibus, cum tu è contra in nullo dependeas à me, nec bonorum operum meorum, ſacrificiorum! munerum, reive cujuſcúnque alterius ullatenus indigeas. Itaque cum rependere tibi nil poſſim. *Sanctis ejus qui ſunt in terris*, adhuc ſtudebo benefacere, ad quod *mirificavit omnes voluntates meas in eis.* v. 2. Sc. Deus, ſeu miris modis ad hoc excitavit me, ac ſtudia mea fovit, perfecitque; cum nihil in his terris ita divinum habeamus, quódque nos ita ſimiles Deo reddat, quam alios benefacere; cúmque Deus quod uni ex minimis ejus impenderimus, ſibi factum reputet, ac remuneretur.

Affectus gratitudinis.

QUid retribuam tibi Domine pro omnibus*, & tam multiplicibus beneficiis, *quæ retribuiſti mihi*, aliud, quam ut nomine tuo, gratiamq; imploratâ. *Calicem ſalutis gratâ mente accipiam.* Pſ. 115. Et in proximum electósq; tuos transfundam, ut ſic in tuis tibi benefaciam ſervis, ac fratribus, cum in te ipſo non poſſim, ut qui rei meæ nullius indigeas.

Punctum II.

COnſidera rei hujus faciendæ tum media, tum modum, quæ ſequentibus verſibus præſcribuntur. *Medium quidem primum*, Exemplum Chriſti (in cujus perſona hunc Pſalmum à Davide ſcriptum eſſe communis, interpretum ſenſus eſt,) à quibus vocatur: *Oratio Chriſti ad patrem*, applicatúrq; illi etiam à SS. Petro & Paulo. Act. 2. & 13. Qui patri æterno repræſentat, admirabilem erga homines, & Electos ſuos præſertim, qui in terris agunt, benevolentiam ſuam, ſéq; ipſis intimè communicandi ardentiſſimum ſtudium, tum per doctrinæ Evangelicæ traditionem, quâ nos inſtruxit; tum per miracula, quibus *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes*. Act. 10. Tum per gratiam, quâ nos ſanctificavit, & æterno patri ſuo reconciliavit; tum per ſanctiſſimæ vitæ, virtutúmq; ſuarum exempla, quibus nos ad omnem perfectionem ac ſanctitatem informavit; tum per crucem, & mortem ſuam, quam noſtri causâ paſſus eſt, ſanguinémq; diviniſſimum, quo nos redemit; tum deniq; vel maximè per intimam, cum electis ſuis unionem in ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento, quæ ſanè mirificæ prorſus voluntates, & nunquam ante auditæ, animóve ſat compræhenſæ amoris, & beneficentiæ inventiones ſunt; non ſolum erga dilectum populum Iſraeliticum, amicósq; ſingulariter acceptos demonſtratæ, ſed erga gentes etiam, inimicosq; peccatores, quos hac bonitatis beneficentiæq; dulcedine ad ſe attraxit.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, (inquit v. 3.) *poſtea acceleraverunt*. Q. d. quas bonitatis meæ voluntates uſq; adeo, & vel maximè experti ſunt, qui multiplici morborum ſpiritualium infirmitate, vulneribúsq; confecti jacuerunt in idololatria, (ita enim S. Hieron. pro *Infirmitates*, vertit *idola*.) inſtar Jerichuntini illius, qui in latrones incidit, viatoris. Luc. 10. Qui ſemivivus inventus à Samaritano perſanatus eſt; ita ipſi quoque divinâ meâ perſanati gratiâ, exultaverunt animo

maſcu-

maſculo, & ut Gigantes majores ſe facti, *acceleraverunt* ad currendam viam mandatorum, conſiliorumq; divinorum, eâ promptitudine, perfectione, & vitæ priſtinæ immutatione, ut ſanguinarios Conventus ad mactandas idoli victimas, cæteráſq; peccandi tum conſuetudines, tum occaſiones penitiſſime exoſi, ne nominari inter ſe ultra ſuſtinuerint, ſicut decet Sanctos. *Non congregabo*, inquit. v. 4. *Conventicula eorum de ſanguinibus*, ſeu ſanguinaria idolorum ſacrificia ultra non ſinam; ſed vitæ ſacrorumq; divinorum puritatem eos docebo. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea* obliteratâ penitus memoriâ idolorum, & ſacrificulorum ea colentium, ut ne verbulo de iis mentio fiat.

Ex quibus etiam *modus & methodus* benefaciendo addiſci poteſt, ut nimirum vir juſtus bonitatis Chriſti imitator, & benefaciendi, exemplo [illegible], ſtudioſius in ſe ſentiat, non ſolum erga Sanctiſſimos & Electos Dei, aut ſibi amicos admirabilem benefaciendi voluntatem, quam Dei numine conſecutus ſit, ſed etiam erga peccatores variis animi infirmitatibus, vitiisq; ſubjectos, atq; inimicos ſuos, qui ſuâ operâ ad Deum converſi iter virtutis & perfectionis ita accelerent, ut peccatorum, vitæq; priſtinæ conſuetudinem deteſtati, nec memoriam eorum, nec nomina proferri ultra ſuſtineant, eo quod ſciant, ea Deo abominationi eſſe, juxta monitum illud Apoſtoli Eph. 5. *fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos.* Hic verus Zelus & benefaciendi omnibus perfectiſſima voluntas eſt, quam ſibi à Deo [illegible], vir juſtus & agnoſcere debet, & in ſe conſervari à Deo efflagitare.

Affectus deſiderii.

O ſi exemplo Chriſti Dei mei benefacere, meq; ipſum communicare omnibus poſſim; Utinam ad Deum omnes reducere, qui ab eo receſſerunt, atq; vel in peccatis infirmi jacent, vel propriis concupiſcentiis debilitantur; ut ex iis excitati, & extracti per viam mandatorum, & conſiliorum curſum ita accelerent. ad perfectam ejuſdem tum agnitionem, tum amorem, ut quæ *retro ſunt obliviſcentes, ad ea vero quæ ſunt priora*, ſe cum Apoſtolo extendant.

Ad Philip. 3.

Punctum III.

EXpende aliud Medium hujus in omnes benevolentiæ eſſe: Deum aſpicere liberaliſſimum, omnis bonæ voluntatis remuneratorem. *Dominus pars hæreditatis, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* v. 5. q. d. Retributor meus, & merces hujus magna nimis, ipſe Deus erit. Deus meus, inquam, & omnia, in quo eſt omne deſiderabile, ſive ſit bonum utile, ut fortunæ, quæ per hæreditatem intelligi poſſunt; ſive bonum jucundum, ut deliciæ, quæ per calicem deſignentur; (etſi hæreditas, & calix pro eodem in ſcriptura ordinariè accipiantur) Hanc ergo mercedem in qua omnia conſtitui, certus ſum, quia *potens eſt, velut depoſitum meum ſervare in illum diem.* 2. Tim. 1. velut *coronam juſtitiæ repoſitam,* 2. Tim. 4. & *hæreditatem incorruptibilem conſervatam in cœlis,* 1. Pet. 1. reddere.

Hanc hæreditatem meritò omnibus præfero, & ob illam Deum benedico. Menſorii enim *Funes ceciderunt mihi in præclaris,* ſeu pinguibus fructuosíſque locis. *Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi*: nam in illa diſtributione hæreditatis (funibus enim admetiebantur palæſtini hæreditaria bona) optima portio mihi accidit, ſortitione feliciſſima, qui eſt Deus meus, & omnia ſorte prædeſtinationis in hac vita per gratiam, de qua Epheſ. 1. *ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, & in altera per gloriam poſſidendus,* Col. 1. *dignos nos fecit, in partem ſortis ſanctorum in lumine.* Quæ prædeſtinatio reſpectu noſtri, ſors quædam eſt optatiſſima, reſpectu Dei deſtinata voluntas ſecretiſſimæ ſcientiæ.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, Deum, inquam, laudabo auctorem electionis hujus, tum illuminando intellectum meum, ut eum eligerem, tum inflammando affectum, & deſiderium cum vehementia, & inquietudine quaſi, ut eum amarem identidem:

Hoc enim eſt, quod addit: *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* v. 7. Per renes enim affectus, & amor intelligitur, ſicut per cor cognitio, unde *ſcrutans corda & renes Deus,* Pſ. 7. dicitur, intentionem & affectum; hic ergo affectus & amor, quaſi exhortatoriè increpando, me excitarunt identidem, non ſolum de die, ſeu

proſperitatis & conſolationis tempore, ſed etiam de nocte adverſitatis & tribulationis.

Ad hæc *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear*. v. 8. Quod eſt tertium medium; nempe præſentem Deum ſibi ob oculos proponere, & aſpicere in illis, quibus benefacimus memores veritatis illius, ab æterna veritate prolatæ. Matt. 25. *Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quæ cogitatio & veritas ſcuti inſtar, circumdabit me, ne movear ab intentione alia minùs ſincera, quàm ſit illa Deo placendi, tam in dextero rerum ſucceſſu, in quo præſertim vanæ complacentiæ, & gloriæ inanis majus diſcrimen eſt, quàm in ſiniſtris caſibus, quanquam & in illis præſidio, remedioq; præcipuo ſit.

Affectus gratitudinis.

O Felix commutatio! O queſtus & lucrum immenſum! pro benefaciendi ſtudio, aut exili opere Deum ipſum lucrari, in omnem æternitatem poſſidendum! Huc oculo invariato collima, anima mea, hunc ſemper ſcopum reſpice, & in omnibus Deum aſpice, & propter illum benefacere omnibus ſtude.

Punctum IV.

COnſidera horum effectus, qui etiam ad excitandam conſervandumq; benefaciendi voluntatem, pro mediis ſervire poſſunt.

Primus. v. 9. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea*, ſcil. lætitia ingens ſpiritualis, quæ non tantùm interius ſe in corde contineat, ſed erumpat etiam in externa ſigna, exultantis linguæ Deum laudando, imò in corpus ipſum redundet, quod ſuaviſſima quiete, & ſolatio perfundatur incredibili. *Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.*

Niſi illa intelligere malimus, de placida ſecuráq; juſtorum morte, ob ſpem certam reſurrectionis, ac glorificationis æternæ poſt eam futuræ, quæ fructus item & præmium eſt beneficentiæ: hanc enim M. 25, miſericordiæ operibus Chriſtus potiſſimú appromiſit. *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratam vobis regnum. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Quem ſenſum verſus duo ſequentes rectè confirmát. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neq; dabis ſanctum*

tuum

tuum videre corruptionem. v. 10. Nec enim juſtorum animæ diu extra cœleſtem Beatorum habitationem in limbo, vel purgatorio hærere patietur Deus, nec corpora eorum perpetuæ corruptioni ſubjici, ſed in beata Electorum reſurrectione ſibi faciet copulari, iterum æternis gaudiis perfruitura. Hæ enim ſunt viæ ad vitam injuſtis incognitæ, & nunquam ingrediendæ, *quoniam non reſurgent impii in judicio, neq; peccatores in concilio juſtorum*. Pſ. 1. *Has notas mihi feciſti vias vitæ*, tum per fidem revelando, & promittendo; tum per ſpem certam præcipiendo, & quaſi anticipato poſſidendo, per quas *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*. Viſione beatifica diviniſſimi vultus, & eſſentiæ tuæ me ſatiando, quæ *delectationes in dextera tua*. Conſtitutis electis usq; in finem, vel in omnem æternitatem ſunt duraturæ.

Quos verſiculos etiam SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus. Act. 2. & 13. de Chriſto rectè & propriè intelligunt, cujus anima poſt mortem pro redimendo humano genere obitam, ex limbo glorioſa, & triumphans lætiſſimo Patrum inde liberatorum comitatu, mox reverſa eſt, & *reſurrexit*, nec corpus in ſepulchro corruptionem ullam expertum eſt, ſed unita ſibi iterum per Reſurrectionem fuerunt: ut ſcilicet vias vitæ nulli ante cognitas propriâ virtute invenerit, tandemq; in dextera Patris ſit collocatus Cœli terræq; Rex; omni delectatione, & gloriâ, quoad corpus (nam quoad animam à conceptione prima gloriam omnem habuit,) in omnem æternitatem perfruiturus.

Affectus gratulationis, & ſpei.

VIve! Redemptor noſter, & mortis, inferniq; triumphator, & regnat glorioſus ad dexteram Patris ſedens, & nos devotos ſervulos tuos tecum, quod de bonitate, meritisq; tuis confidimus, in regno tuo cœleſti conſocia.

ORATIO.

COnſerva in nobis, benigniſſime Deus, benefaciendi omnibus tui amore, Chriſtiq; exemplo voluntatem à te nobis inditam, ut te portionem hæreditatis noſtræ hic certâ ſpe præcipiamus, eâq; poſt beatam reſurrectionem vultum eſſentiæ tuæ divinæ contemplando in regno Chriſti Ducis noſtri ad dexteram tuam conſtituti perfruamur æternùm. Amen.

IN PSALMUM XVI.

Exaudi Domine Juſtitiam meam, &c.

MEDITATIO XVII.

Aſylum in adverſitatibus, & tentationibus Divina Confidentia.

Argumentum Pſalmi.

Implorationem Divini auxilii continet hic Pſalmus; in afflictione contra hoſtes, ſive Davidis, ut figuræ Chriſti in perſecutione Saulis (ſenſ. lit.) ſive Chriſti ipſius, ſive Eccleſiæ etiam (ſenſ. alleg.) ſive demum Juſti cujuſcunq; (ſenſ. mor.)

Punctum I.

Conſidera media, ſtimulos, & motiva ex parte noſtra, quæ nos merito excitare debent ad recurrendum magnâ cum fiduciâ ad Deum in noſtris adverſitatibus.

Primum. Eſt conſcientia pura & ſincera; dum de cauſæ noſtræ æquitate, vel nullâ culpâ nobis conſcii, humiliter, & confidenter innocentiam noſtram allegamus apud Deum, & ſincerâ cum ſimplicitate eam Deo exponimus cum S. David: *Exaudi Domine juſtitiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis.* v. 1. & 2. q. d. Moveat te Domine æquitas cauſæ, & innocentia mea, quæ vel me tacente ad te clamat; moveat inſuper flebilis, & humilis deprecatio mea; quam benignis auribus miſericordiæ excipere conſuevisti; moveat præſertim, quod animo nequaquam fucato, & vano, ſed ſincero, & filiali, ſimpliciq; cum fiducia eam proponam. Ita Ezechias 4. Reg. 20. morte præſente afflictus. *Obſecro Domine*, ajebat, *memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim.*

Secundum motivum eſt, quia juſtitia Dei petitur. *De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.* v. 3. q. d. te judicem appello, qui juſtiſſimus es, & peto, ut ab ore tuo æquiſſimo ſententia feratur; ſic judicium de cauſa mea diſcernatur, & oculi tui incorrupti nullius perſonarum reſpectu, non mihi claudantur, diſſimulentve, ſed me[illegible]

menta, æquitatémq; cauſæ meæ aſpiciant, & penſent. Vel, ut legit S. Aug. *Oculi mei videant æquitates*, ſeu juſtum judicium, quod exerces experimento ipſo cognoſcant.

Tertium motivum præbent ipſa adverſa, quibus exercet, aut olim cum gratia conſtantiæ probavit nos Deus? *probaſti cor meum, & viſitaſti nocte.* q. d. experimentum jam feciſti de mea fide, & ſinceritate erga te, non ſolùm quoad exteriores actiones meas, ſed etiam quoad intima ſenſa cordis, & intentionum mearum, quæ tibi ſoli patent: nec ſolùm de die, quando non ita liberè peccandi, arbitrantibus ſcil. aliis, occaſio eſt; ſed nocte etiam cum nemine vidente quaſi impunè peccare in occulto, velut cæcâ in nocte licuiſſet, vel, non ſolùm de die, ſeu in tempore proſperitatis, ſed etiam de nocte, ſeu tempore adverſitatis, & perſecutionis, quæ tria tempora eximiam, & omninò probatam ſinceritatem declaravi. Multi enim exteriùs boni videntur, at interiora affectuum, & intentionum ipſorum inquinata ſunt. Sic etiam palàm, & cum occaſio deeſt, ſatis continent ſe plerique, ſed cum occultè peccandi copia, & licentia eſt, non niſi qui ſolidæ virtutis ſunt, abſtinent. Deniq; proſperitatis, & conſolationis tempore adhærere Deo non admodum difficilè eſt; at verò in perſecutionibus, & adverſitatibus fidelem, conſtantémq; ſe demonſtrare, arduæ virtutis opus eſt. Hoc triplici probationis experimento velut aurum, argentúmq; ſolet, *igne me examinâſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* v. 4. vel qualiſcunque abſolutè, quæ eximia omninò, & perfecta eſt innocentia, vel talis certè, de qua me falsò accuſant inimici mei, Talem caſta Suſanna ſe exhibuit contra duos conſceleratos ſenes Judices. Dan. 13. ideoq; iniquè ad mortem damnata, *flens ſuſpexit ad cœlum: erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino, & exclamavit voce magnâ, & dixit: Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia, antequam fiant, tu ſcis, quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt adverſum me, & exaudivit Dominus vocem ejus, &c.*

Quartum motivum, quod & cauſa extitit ſuperiorum, eſt Timor filialis, & in Deum ſolum reſpectus. *Ut non loquatur os meum opera hominum.* q. d. idq; eò factum eſt, quod ab humana ſpe, reſpectúq; mortali non pependerim, ut hominum promiſſiones, & opera, quibus à malo retractus ſim, laudare neceſſe habeam, idq; illis acceptum

refer-

referre; ſed *propter verba labiorum tuorum*, propter tua, inquam, tum præcepta, tum conſilia, tum promiſſiones, tum minas, quæ mihi in ſacris literis, privatiſq; inſtinctibus revelâſti, & verba labiorum tuorum rectè dicuntur, *ego cuſtodivi vias duras.* v. 5. perſeverans in via innocentiæ meæ quantumvis dura, & aſpera multa occurrerent in ea ſuperanda.

Affectus idem humilis repræſentationis ſuorum meritorum coram Deo jam explicatus.

Punctum II.

CONſidera eadem media, & motiva ex parte Dei. Primum ſcilicet divinæ gratiæ auxilium non minus paratum à Deo, quàm nobis ad omnia neceſſarium. Nam ne videretur S. David quicquam ſuperiorum virtuti ſuæ arrogare, per idem auxilium divinum, gratiámque implorat ſibi corroborari porrò vires, ut conſtanter in iis perſeveret, quæ ejus beneficio hactenus perfecit. *Perfice*, inquit, *greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* v. 6. q. d. non meis viribus, ſed tuæ miſericordiæ, ac gratiæ, quam commemoravi, deputo, ut quæ mentem bonam donavit, ut conarer, & vires largiatur, ut cœpta perficerem. Unde meritò ſpem concipio, & firmiſſimè in te confido, fore ut vires mihi porrò ſufficias ad progrediendum in incepto pede, & tramite, & confirmes in me deinceps, quæ hactenus operatus es.

Secundum eſt experimentum, quo didicit auxilii hujus divini à ſe implorati præſentiſſimam opem, ut meritò idem nunc quoq; ſibi affore nullus dubitet. *Ego clamavi,* (ait) *& exaudiſti me Deus* (aliàs) *inclina aurem tuam mihi* (etiam nunc) *& exaudi verba mea.* v. 7. ut conſueſti.

Tertium ex parte Dei: *Mirifica miſericordias tuas* (faciendo in me, ut omnes admirentur magnitudinem miſericordiæ tuæ, & miras circa me miſerationes tuas) *qui ſalvos facis ſperantes in te.* v. 8. Cum tibi proprium ſit miſereri, & ſalvos facere in te confidentes. q. d. & quamvis cauſa mea non mereretur exaudiri, vel ob tuam etiam juſtitiam repulſam potiùs mererentur peccata mea. Reſtat mihi tamen adhuc miſericordia tua; quæ tanto idcircò illu-

ſtrior, & admirabilior exiſtet, ad eámq; tantò confidentiùs recurro, quod ſciam, neminem in te ſperantem non ſalvari.

Affectus fiduciæ, & confidentiæ in Deo, *hìc, & ſuprà ſæpe poſitus.*

Punctum III.

CONſidera media, & motiva recurſus ad Deum, quæ ſumuntur ex parte hoſtium noſtrorum. *Primum. A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me.* v. 9. Quia ſcil. hoſtes, qui me perſequentur, repugnant, & reſiſtunt ipſi Deo; propter quem juſtos affligunt, ejúſque divinæ, vel providentiæ, vel protectioni erga eoſd. juſtos, vel potentiæ ipſius, vel deniq; voluntati. Contra quos tam impios, & furioſos ceu Gigantes Deum oppugnantes proteges me, ut *pupillam oculi* quæ quia pars corporis infirmiſſima eſt, atq; tenerrima, & pretioſiſſima inſuper, ideoq; à natura tot præſidiis communita, tum ciliorum, atq; pilorum; tum palpebrarum, tum tot tunicarum, velut vallis, & muro, & cuſtodiri inſuper ab hominibus ſolet quàm diligentiſſimè; ita tu me Deus infirmiſſimum, & cuivis injuriæ, læſioniq; obnoxium contra tot, támq; impios, ſævóſq; hoſtes cuſtodi, qui capillos meos, velut tibi rei pretioſæ, numeratos habes, ut nullus ſine nutu tuo in terram decidat. *Sub umbra alarum tuarum* (quæ ſunt potentia, & miſericordia tua) *protege me*, ut ſolet gallina pullos ſuos ſub alis defendere, ut vel à Milvi viſu ſecuri lateant, ita tu me Deus alis divinæ providentiæ *protege à facie impiorum, qui me afflixerunt.* v. 10. ut nec oculos eorum, nec dentes incurram, qui per faciem intelligi poſſunt.

Nam v. 11. *Inimici mei animam meam circumderunt, adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam.* Quod alterum argumentum eſt à multitudine, ferocia, & arrogantia hoſtium, qui copioſo numero velut canes feram circumcinxerunt indagine, viſcera clauſerunt per immiſericordiam, & contemptim, arroganter mihi inſultarunt.

Etenim *projicientes me nunc circumdederunt me, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* v. 12. Quibus eandem hoſtium ſævitiam pergit narrare expoſitis tum injuriis palàm, & publicè illatis, tum inſidiis clandeſtinè ſtructis: & de injuriis apertis hoc verſu queritur; quod

ipſum primum è conſortio ſuo, vel humi projectum, & afflictum circumdederint ſe, præcluſa omni evadendi viâ, uti cum Chriſto in horto egerunt Judæorum ſatellites ad capiendum illum miſſi; atq; id torvo vultu, & defixis humi crudelibus oculis, & ferociam, vindictámq; ſpirantibus, atq; à me, & à cœlo averſis, ne Dei recordatione, cœlíque aſpectu ad miſericordiam moveri poſſent.

De inſidiis vero, & machinationibus occultis. v. 13. ait: *Suſceperunt me ſicut Leo paratus ad prædam, & ſicut Catulus Leonis habitans in abditis.* q. d. inſtar famelici Leonis jam pridem ad prædam anhelantis, & in fortè tranſeuntem ſubitò irruentis, & magno impetu ex inſidiis in eum inſilientis; eâq; aviditate, & ferocia, quâ Catulus Leonum in occultis latibulis, & luſtris latitans in oberrantem feram ex inſidiis invadit, ita me occultis machinationibus ſuis appetiverunt, & innocentem, aut nihil tale cogitantem exceperunt.

Ex horum conſideratione duplicem in affectum conſurgit Propheta. Primus eſt confugientis ad Deum, eúmq; in ſubſidium invocantis. v. 14. *Exurge Dimine* (velut è ſomno, quod hæc quaſi connives, ac ſi tu non videres, & exſuſcitare) *præveni. & ſupplanta eum* (quaſi ſubitò, & inopinatò prævertens) tuâ potentiâ vim, ferociamq; ejus evertens: tuâ providentiâ, & ſapientiâ conatus, & machinationes ejus eludens: ut ſe ſupplantatum, & deluſum videat, dum erepto me ex manibus ſuis contraria omnia quàm intenderat, accidiſſe cernit: nec ſolùm *eripe animam meam ab impio*, ſed etiam, *frameam tuam ab inimicis manus tuæ*, gladium, inquam, poteſtatis nocendi, quem Magiſtratus à te datum gerunt, *ad vindictam malorum*, & non ad interitum bonorum, quo ipſe contra me abutitur, excute, & aufer è manibus *iniqui*, ſeu præpoſteri uſurpatoris manus tuæ, ſeu potentiæ à te ipſi conceſſæ.

Alter affectus eſt aſpernantis ſortem, & felicitatem impiorum, & aſpirantis ad ſortem, & felicitatem juſtorum. Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum: Prophetica imprecatio eſt, quâ prænunciat ſeparandos impios à juſtis, & diverſam, utrorúmq; ſortem fore in vita, & poſt mortem. q. d. Domine quemadmodum impii, quorum numerus comparatione juſtorum infinitus propè eſt, ſicut ſtultorum, & juſti eorum reſpectu pauci numerantur. Nam *lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi, multi ſunt, qui intrant*

per eam, contra quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci, heu! pauci ſunt, *qui invenerunt eam.* Matth. 7. quemadmodum, inquam, in hac vita ab his paucis ſorte dividuntur iniqui. Eorum enim ſors, & felicitas hiſce deſcribitur v. 15. *de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*, ſeu deſiderium illorum, qui velut inſatiabilis venter eſt, de bonis terræ, è quibus tuâ liberalitate concedente theſauros abſconditos colligunt, adimpletum, exſatiatum, & impinguatum eſt. Prætereà *ſaturati ſunt filiis*, ſeu numeroſâ progenie filiorum, & nepotum abundant, quæ altera felicitas, & ſors magni, apud Judæos præſertim, erat æſtimata, quibus amplas poſſeſſiones ſuas in hæreditatem relinquunt poſt mortem in terra; de æternis parùm penſi habentes, & ita *diviſerunt reliquias ſuas parvulis ſuis.* v. 16. Ego autem hâc felicitate, & ſorte impuborum poſthabitâ, imò repudiatâ, & contemptâ *in juſtitiâ apparebo in conſpectu tuo*, hanc meam felicitatem reputabo, ad quam aſpirem, & quam unicè concupiſcam, ut juſtitiâ, boniſq; operibus, ac meritis locuples ſim, & in hac vita coram Deo, & in alteram hæc mecum portans nunquam interitura bona, quò humana, & caduca cætera non ſequuntur, *ſatiabor, cum apparuerit gloria tua, intrans in gaudium Domini mei*, divino conſpectu eſſentiæ tuæ ſine faſtidio ſatiabor. Juxta hebræum, *cum vigilavero in ſimilitudine tua, videbo faciem tuam.* Cum, inquam, reſurrexero à mortuis, viſione beatificâ eſſentiæ tuæ glorioſus ipſi Deo aſſimilabor.

ORATIO.

Refugium, & ſuſceptor noſter Deus, vindica cauſam animæ meæ, & contra hoſtium ipſius ferociam defende, ut pupillam oculi, & ſub umbra alarum tuarum me protege: ut impiorum inſidiis, felicitatéq; juſtorum ſorti poſthabitis, conſpectu divini vultûs tui hic, æternúmq; beatus perfrui merear, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

IN PSALMUM XVII.

Diligam te Domine, fortitudo mea, &c.

MEDITATIO XVIII.

PHARETRA AMORIS.

Vel

Eiusdem incentiva, ex conſideratione divinorum beneficiorum, præſertim liberationis ab hoſtibus deprompta.

Argumentum Pſalmi.

Sicut David Saule, cæteríſque hoſtibus devictis 2. Reg. 22. gratias egit cantico, in quo paucis mutatis hic Pſalmus continetnr. (ſenſ, lit.) Ita alleg. Chriſtus, & juſtus (ſenſ. mor.) quivis. Hæc porrò beneficia, & liberatio ex hoſtibus hâc methodo, & arte à ſancto Vate deſcribitur. 1. Facta v. 1. 2. 3. 4. quaſi propoſitione, & indicato argumento Pſalmi, vel carminis ſui. Enumerat 2. pericula, hoſtes, & adverſa, è quibus liberatus ſit. 3. Modum, quo Deus uſus ſit in ſe liberando. 4. quæ poſt liberationem beneficia in ſe velut effectus conſecuta ſint; quid etiam in gratiarum actionis vicem ipſe facturus ſit. Huic methodo, ſervatâ meditationis inſtitutâ formâ inhærebimus.

Punctum I.

COnſidera, quàm dignus omni amore, & gratitudine ſit ob beneficia, in nos Deus, ut cum David exclamare identidem debeamus. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Quot, quantíſq; titulis diligere te intimis viſceribus (juxta Hebr.) teneor Deus, quorum ille præcipuus eſt, quod cauſa totius roboris, & liberationis meæ ex tam variis periculis, à tot hoſtibus, in tot caſibus, & ſucceſſibus extiteris.

Dominus firmamentum meum, & refugium, & liberator meus. v. 1. q. d. fuiſti enim mihi robur, & virtus in adverſis, & velut arx inexpugnabilis in tot periculis, & tot ab hoſtibus conſervator, & *Deus meus*

adjutor meus in his omnibus. Unde & *ſperabo in eum.* v. 2. jure merito.

Inſuper v. 3. *Protector meus* (vel ex Hebr.) *Scutum, & cornu ſalutis meæ.* Robur ſalutem mihi afferens, metaphorâ ſumpta ab animantibus cornigeris, quorum robur in cornibus eſt, phraſi ſcripturæ uſitatâ; *Et ſuſceptor meus*, perfugium, inquam, in proſperis, & adverſis. Quibus, quæ ſuperioribus dixerat, repetit ex vehementia affectus.

Quocirca deinceps v. 4. *Laudans invocabo Dominum* ſoſpitatorem meum, & hoc medio, Dei fretus erga me providentiâ, & quaſi ſecurus *ab inimicis meis ſalvus ero.*

Affectus verſuum expoſitorum.

Punctum II.

Conſidera cum S. David periculorum, hoſtium, & adverſitatum multitudinem, & magnitudinem, è quibus Dei auxilio, potentiâ, & miſericordiâ erepti ſumus. Quæ v. 5. 6. 7. 8. narratione allegoricâ proſequitur.

Circumdederunt me dolores mortis, ſeu anguſtiæ, quales in morte eſſe ſolent. Maximè, *& torrentes iniquitatis*, vel iniquorum (hebraiſmo) *conturbaverunt me.* Hoſtes mei multitudine plurimi, & naturâ ferociſſimi agminatim torrentis inſtar rapidiſſimi magno impetu, & violentiâ in me incurrerunt; *Dolores inferni circumdederunt me.* Dolores vehementiſſimi infernalibus ſuppares concluſerunt me; vel quales patiuntur jam vicini morti, quæ ducit ad inferos (per repetitionem) *præoccuparunt me laquei mortis*, exitiabiles, inquam, Inſidiæ hoſtium, quibus ſtructis velut laqueis, & pedicis implicarer, & ad mortem, infernúmq; traherer, certiſſimúmq; in interitum raperer.

Per quæ intelligi poſſunt ſenſu accommodatitio, tum peccata noſtra, tum tentationes hoſtium, ſcil. Diaboli, Carnis, & Mundi; tum affectus, & paſſiones, & clandeſtinæ amoris proprii inſidiæ. Quid enim aliud peccata ſunt, quàm morbi, & dolores animæ lethales, qui mortem illi inferunt, ſi mortalia ſint, vel ad mortem animam velut morbi quidam diſponunt, ut noxæ veniales? Unde hebræa lectio habet: *Circumdederunt me funes mortis*, hoc eſt, qui trahunt ad mortem, qui magnâ animam multitudine circumdant, ut ingenti cruciatu affecta, & in deſpera-

ſperationis barathrum propè dejecta ingemiſcat, & clamet: *quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me, non eſt ſanitas in carne mea, & non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Pſ. 37. Non etiam ſum digna videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum, quibus irritavi iram Dei. Et quid aliud tot tentationes, & inductiones ad tam varia peccata, ac vitia, à tot hoſtibus noſtris, Dæmonibus, perverſis ſociis, mundo, carne propria, quàm rapidiſſimi torrentes iniquitatum, & iniquorum, quibus, quaſi agmine facto, & præcipiti fluxu, atq; violento impetu abripimur: qui rectè aliâ phraſi dolores, & funes (juxta Hebræum) inferni, quod eò nos trahant, dicuntur, vel torrentes Belial, (juxta Hebræam alium) effuſi inquam ab inferno, ejuſq; rege, ſatellitibus, & inſtrumentis, ad omnem nos abripientes perverſitatem. Quid deniq; inordinati affectus, indomitæ paſſiones, amoris proprii occultæ machinationes, & laſcivioſi motus aliud, quàm laquei mortis, qui præoccupant nos; clandeſtinæ, inquam inſidiæ ſtructæ ab inteſtinis hoſtibus, & laquei veluti objecta, quibus dolosè irritamur, & conſtringimur, quaſi ex inopinato? Hi laquei & pedicæ ſunt, quibus S. Antonius in ſtratum orbem vidit univerſum, & tremefactus exclamavit, Domine quis evadere hos laqueos poterit? Hæc inter tot exitialia pericula, hos contra tot, & tam feroces hoſtes, in his tam periculoſis inſidiis, nullum præſentius remedium docet Propheta experimento, quàm ad Deum per orationem confugere, [illegible] ne intremus in tentationem, juxta monitum Salvatoris Chriſti, cum clamore interno, vel ferventi effectu.

In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi. Nec fruſtra. Nam illam eo fervore, & humili cum confidentia ſuam orationem penetraſſe ipſos cœlos, atq; in conſpectum, & ad aures Dei [illegible] exauditamq; mox eſſe ait.

Et exaudivit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus in conſpectu ejus introivit in aures ejus. v. 8.

Affectus Spei.

O Ergo [illegible], invoca Dominum cum fiducia, timore, & humilitate anima mea, *& ab inimicis illis tuis omnibus ſalvaberis*

Punctum III.

Conſidera Dei ſic invocati præſens contra hoſtes auxilium, non ſine magnis ſuæ potentiæ, providentiæ, bonitatis, & cæterorum attributorum indiciis, & ſignificationibus. Hoc deſcribit S. Vates eleganti hypotypoſi poeticâ à v. 9. per ſeqq. vv. 12. quâ Deum velut Regem ad vindictam concitatum, & bellum contra hoſtes apparantem inducit: quo cum ſe arment ſimul ſubditi quoq; ipſius. Pari modo cum Rege ſuo Deo mundus univerſus, ejusq; partes conſtitutæ deſcribuntur in ultionem inimicorum, & per earundem partium enumerationem inducuntur. Nam v. 9. deſcribitur terra contremere, & cum ea montes ex imis fundamentis concuti, quemadmodum in Chriſti accidit paſſione.

Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt, quoniam iratus eſt eis ſcil. hoſtibus, in [illegible] terrorem illorum. v. 10. Eadem terra exhalare fumum, eructare ignem, ejectare flammarum globos, carbones [illegible], ut in Veſuvio, Ætna, aliisq; montibus [illegible].

Atq; hæc ad elementum ignis referri poſſunt: *Aſcendit fumus in* [illegible] *& ignis a facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo*, quod vertunt aliqui ex Hebræo, *ex naſo ejus* [illegible] v. [illegible]

Ad aerem progreditur, qui ex [illegible] Dei [illegible] nebulis, & caligine obſcuretur, in quibus, velut parte Cæli ad terras demiſſa, deſcendiſſe Deus, & incluſiſſe ad hoc Cœlo dicitur. *Inclinavit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus*: in nebula enim ſolebat ſe Deus olim præſentem exhibere. Num. 9. 3 Reg. 8. Matt. 22, *&c.*

A v. 12. uſq; ad 17. In eodem aere ad manifeſtandam Dei potentiam, & iram contra hoſtes, varias operationes recenſet. Deum [illegible] ſub oculis ponens Ducis inſtar armati curru velociſſimo invecti, & ex eo ſagittas in hoſtes vibrantis, & ex abdito quaſi propugnaculo illos [illegible] ingenti cum ſtrage. Currus autem ſunt nubes. Equi velociſſimi venti, juxta illud Pſ. 103. *qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Aurigæ, Angeli Cherubini, ſcil. [illegible] ſagittæ fulgura, & fulmina. Effectus, ſtrages hoſtium, quæ omnia graphice & artificio admirabili repræſentantur in ſequentibus.

Et

Et aſcendit ſuper Cherubim, & volavit, volavit ſuper pennas ventorum. v. 12. Ecce currum, equos, aurigas.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus, tabernaculum ejus, tenebroſa aqua in nubibus aeris. v. 13. Ecce abditum tabernaculum [illegible] ſpecum, propugnaculi inſtar, ex quo inviſibiliter depugnet in hoſtes, [illegible] tamen oppugnari, viderique viciſſim non poſſit.

Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis. Et intonuit de Cœlo (aere) *Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam: grando, & carbones ignis.* v. 14. & 15. Ecce arma, ſagittas. *Et* [illegible] *Dei*, quæ ex diruptis præ fulgore iræ nubibus, [illegible] cum fragore (qui quaſi vox perterrefacientis inimicos) mixtis [illegible] & grandine ejaculantur. De qua voce Job. 40. ipſemet loquitur: *Si voce ſimili tonas?*

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos. v. 16. Ecce [illegible] ſtragem, per ingeminatas multiplicatorum fulgurum, & tonitruorum ſagittas.

Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis terrarum. v. 17. Quibus tandem etiam Dei virtutem, & operationem in elemento aquæ oſtendit, quod ſecum in hoſtes depugnet, terribilemque ſeſe non minus oſtendat. Ut in exſiccatione repentina fluminis [illegible] Jordanis, Joſue 4. & Rubri maris, Exod. 14. patuit, quando ipſe fundus, ex quo ſcaturiunt, & prodeunt aquæ, & flumina, apparuit, & diſcooperata ſunt fundamenta, ſeu partes imæ orbis terrarum, dederuntque tranſitum populo Dei, hoſtibus ſubmerſis, [illegible] accidit *ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.* v. 18. Quia nimirum per inſpirationem iræ divinæ [illegible] Exod. 14. increpatæ aquæ, & quaſi conterritæ pro-[illegible] immotæ. Quæ nihil metaphorſ, aut allegoria [illegible] Pſ. 113. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, aut tu Jordanis, quia converſus es retrorſum.*

Hactenus apparatum ſuccurrentis Dei deſcripſit Propheta, quo [illegible] attributa, quæ in liberando nos ab inimicis [illegible] demonſtrat. Dum enim montes intremuiſſe, & fundamenta terræ, vel concuſſa, vel retecta eſſe refert; Dei potentiam, & efficaciſſimum [illegible] in nobis liberandis innuit. Dum de Cœlo

deſcendentem facit ejus providentiam; quaſi cominus inſpicientem omnia, & bonos tuentem, impios verò ulciſcentem declarat.

Quando verò Cherubinis inſidentem deferri, à ventis celerrimè repræſentat, velocitatem ejusdem inferendo nobis opportunè auxilio commendat. Fulgura, grando, tonitrua, & ſagittæ juſtitiam ejus nobis ob oculos ponunt, vindictámque in malevolos, quibus timore ſalutari concutiamur. Fontes, & exſiccati maris fundamenta abyſſum Miſericordiæ ejus patefaciunt, ex qua profluunt auxilia in nos opportuna. Tenebroſæ nubes, & caligo, judicia ejus inſcrutabilia, & non pervidenda nobis, timere, & amare, & venerari ſemper nos volunt, dum invocati opem experimur.

Fortè etiam per hunc Dei ſuccurrentis apparatum variis modis, & modis explicari poſſunt, quibus ab hoſtibus ſpiritualibus, quos ſupra Puncto 2. memoravimus, liberamur.

Quid enim potentius ad liberandum, convertendúmq; peccatorem à conſuetis vitiis, quam juſtitiæ Dei timore concuti, dum vel cogitat fundamenta montium conturbata, quibus iratus Deus ob peccata fuit, quales non ſolum homines in terra [illegible] montes, ſed Angeli etiam in cœlo extiterunt. Vel dum ſecum volvit fumum gehennæ & ignem, & carbones æternum ardentes, & [illegible] ira Dei in peccatores [illegible]? Vel dum ad judicium è cœlo deſcenſurum aliquando, [illegible] & celerrimè cum Angelis [illegible] judicem [illegible] ſcrutaturum [illegible] Jeruſalem *in lucernis*, id eſt, cogitata, dicta, facta noſtra?

Quid ad continendos nos in timore caſto, contra [illegible] & [illegible] quam [illegible] Dei, & obſcura, abſconditaq; nobis judicia cogitare, ne quando [illegible] contra nos decidamus [illegible]? [illegible] Job [illegible] *ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.*

Quid vel arrogantiam noſtram, ne extollamur ob virtutum opera, magis [illegible] vel [illegible] progreſſum, ne [illegible] in [illegible] quam [illegible] fulgura, tonitrua, & [illegible] [illegible] prædeſtinationis & reprobationis diverſæ. [illegible] Thomas de Kemp. l. 3. c. 14. Super me judicia tua Domine, & timore [illegible] omnia oſſa mea, & expaveſcit anima mea valde. [illegible]

& [illegible], quia cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo. Et quæ ſequuntur ad hunc finem, planè apta & præclara. Hæc faciunt, ut ruptis [illegible] ignorantiæ noſtræ coruſcationes, & carbones [illegible] Dei [illegible], quibus ſtatum obligationem, [illegible]; [illegible] verſatur, agnoſcat. Hæc vocem altiſſimi Dei inſtar, tonitrui [illegible] tem [illegible] parturire, & efficiunt parere, ut Pſ. 28. dicitur, [illegible] *cervos*. Per hæc fundamenta, & [illegible] [illegible] profunda, ſæpe dudum nulli ante aperta, & pervia revelantur, [illegible] aquarum, [illegible] contritionis, ac pœnitentiæ. Hoc apparatu, his armis & telis in ſuos, noſtrósq; hoſtes [illegible] providenti potentiâ, celeritate Deus depugnat, eos expugnat, & [illegible] poteſtate eorum nos vindicat.

[illegible] [illegible] *beneficium, ſuccurſus, & auxilii divini deſcri-*[illegible] v. 19. 20. 21. *Liberationis beneficium* proſequitur. *Miſit de* [illegible] ſuam auxiliatricem, uſque in profundum torren-[illegible] *& aſſumpſit me de aquis* [illegible] afflictionum, & [illegible] extentâ, quaſi porrectaq; dexterâ extraxit. [illegible] *fortiſſimis, & ab his qui oderunt me,* [illegible] *confortati ſunt ſuper me*. v. 20. Quæ repetitio eſt cum deſcri-[illegible], tum à fortitudine, tum ab internecino odio, quo flagra-[illegible] numero & viribus, quibus *confortati erant*; ſeu robuſtiores [illegible] pro præſenti legunt S. Hier. & alii. *Præve-*[illegible]. Incurrunt ſubitò antequam præcave-[illegible]. Vel nulli injuriâ ante à me aceſſiti, ipſi primi [illegible] *& factus eſt Dominus protector meus*. v. 21. *Et edu-*[illegible], ex anguſtiis inquam, & quaſi coarctato inſidia-[illegible], in latum ſecuritatis campum. Vel [illegible] animi in gaudium & conſolationem; *ſalvum* [illegible]. Non tam [illegible], quàm miſericordiſſima ſuâ voluntate inclinatus, quam-[illegible] nonaſpernens, quæ ſeqq. allegat.

Affectus.

O ſi diligam te Domine fortitudo mea, &c.

Punctum IV.

COnſidera gratitudinem David; ſeu quid pro his beneficiis Domino rependerit; Et quæ porro ex hac gratitudine conſequantur [illegible] beneficia. Primum, quod gratiarum [illegible] offert, eſt propoſitum ſanctè vivendi, certa fretus fiducia Deum ſibi ſemper ſimili modo præſto futurum. Ubi advertendum, quæ S. David commemorat de juſtitia, & integritate ſua, quaſi in præterito, referenda eſſe ad propoſitum, vel continuationem earum impoſterum, vel conatum mentis [illegible] nunc quidem deteſtantis, exequendi verò in futurum [illegible], & continuandi priſtinam integrè vivendi conſuetudinem; ut bene obſervat Flamminius hic. Itaq; verſus hujus 23. & ſeq. *Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi; quia cuſtodivi vias Domini, nec impiè geſsi à Deo meo.* His ſenſus eſt. Tametſi propter bonitatem, & [illegible] ſuam Deus, benevolè potius, quàm mea ob merita me vindicaverit [illegible] periculis, hoſtibusq; meis, modo ſuprà enarrato, ad ea tamen [illegible] ſpexit, quæ equidem non propriis viribus, ſed gratiæ ejus accepta [illegible]. Unde certâ ſpe nitor eripiendum me ab ejuſmodi [illegible] poſtea [illegible] dem de cauſis. Quare firmiter conſtituo ſectari juſtitiam, [illegible], non cordis ſolùm affectu, ſed manibus etiam, atq; operibus [illegible], & externis, & ſicut ego propono me [illegible] integrum animo futurum, & manus meas ab omni opere malo puras ſervaturum; ita Deus mihi retribuet bona coram ſe, & hominibus, & internis, externisq; [illegible]. Hoc igitur fixum, firmumq; animo ſedet, cuſtodire vias Domini, [illegible] gem ejus nunquam prævaricari, nec impiè [illegible] genere [illegible] Deum meum, aut in conſpectu illius delinquendo, vel à Deo recedendo, ac deficiendo.

Quoniam *omnia judicia ejus*, ſeu præcepta *in conſpectu meo*, obverſabuntur mihi ſemper ante oculos poſita, *& juſtitias ejus non repuli à me.* v. 25. q. d. ita ut à ſanctiſſimis legibus, & voluntate ejus [illegible], nunquam ne latum unguem deflectere cogitem, eaſve à me repellere.

Et ero immaculatus cum eo, ſeu juxta phraſin Deuteron. [illegible], *perfectus, & abſq; macula cum Domino Deo meo*, abſq; labe ulla peccati in conſpectu Dei vivendo.

Et *obſervabo me ab iniquitate mea.* v. 26. tum ab aliis me peccatis

cavendo

[illegible] cuſtodiam me [illegible] ab [illegible] iniquitate mea [illegible]bo, cum præſertim illo, quod meum peculiariſ[illegible]poteſt: vel quod aliis commiſi, vel ad quod [illegible] ſum. Vel quod in carne mea [illegible], ex nativâ corruptelâ, & fomite peccati, & [illegible] originis [illegible] jure quaſi eſt.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum puritatem [illegible] in conſpectu oculorum ejus. v. 27. [illegible] puritatem, inquam, quæ ſincera, & velut coram oculis, & in conſpectu Dei [illegible] eſt, vel quam perſpectam gratamq; habet. Repetitio verſ. 25.

[illegible] ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. v. 28. & [illegible], quæ dixit, hac ratione; quia quales nos Deo, ta[illegible] Deus præſtat, verborum ſenſus eſt. Cum miſericorde (ita [illegible] Hebr. [illegible] vertitur) & pio miſericordiam pietatemq; ex[illegible] Deus! & viro innoxio, ſeu qui aliis non nocet, neq; tu no[illegible] ſines. Cum ſincero (cujus loco *electus* ponitur) [illegible] re[illegible]titudine declinare ad perverſitatem, du[illegible] meretur, ages quoque; invertendo mo[illegible] proprium & conſuetum, velut cum [illegible] Hebr[illegible] ſpe ſua deturbes.

[illegible] humilem ſalvum facies, & oculos ſuperbo[illegible] v. 30. Quibus ſubjungit cauſam, & explicationem ante[illegible] qui miſericordes, innocui, ſinceri ſunt, humiliate quoq; [illegible] tibi gratiſſima, ad ſuccurrendum illis te [illegible], quia efferuntur ſuperbia, quæ ex oculis & ſuper[illegible], *ſuperbis [illegible] reſiſtit, humilibus [illegible].* 1. Pet. 5.

Affectus ex manual. S. Auguſt. c. 24.

O [illegible] inſignita Dei imagine, redempta Chriſti ſanguine, [illegible] es, [illegible] quære [illegible] [illegible] Deus ſanctus & [illegible] & mitis, & multæ miſericordiæ, [illegible] & miſericordes requirit. [illegible]

[illegible]

„ qui eduxit te de lacu miſeriæ, & de luto fecis, videri poſſunt reliqua e-
„ juſdem affectus Davidici.

Punctum V.

COnſidera cætera beneficia, quæ hanc liberationem ex hoſtibus partim concomitata, partim conſecuta ſunt, atq; ad diligendum, laudandúmq; Deum incendere nos poſſunt, ac debent, quæ mixtim recenſentur, reliquâ parte Pſalmi.

Primum *eſt gratia Dei,* & illuminatio intellectus, tanquam radius ſolaris in nocte, & caligine adverſitatum, ſolatio ſuo recreans, vel contra ignorantiam corruptæ, per peccatum originale naturæ inſtruens. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine.* Intellectum, ut ait S. Hieron. & Euthym. vel nube adverſitatis, vel nativæ ignorantiæ caligine obſcuratum, luce cœleſtis gratiæ tuæ, ac conſolationis. Et quia hanc caliginem meritò perhorreſcit, & lucis cœleſtis neceſſitatem agnoſcit, pro ejus continuatione orans exclamat: *Deus meus illumina tenebras meas.* v. 31. Sicut enim primum vulnus ex peccato originali inflictum, & ignorantia; ita prima curatio à lumine divino incipit.

Secundum eſt corroboratio voluntatis aliarúmq; facultatum, ad vitanda mala, & facienda bona, quæ divino lumine vel vitanda, vel facienda cognoverit. *Quoniam in te* (ſeu per te, ac fretus hoc auxilio gratiæ tuæ) *eripiar à tentatione*, in Hebræo habetur: [illegible], vel ut D. Hieron. reddit: *per te curram accinctus*: quod idem eſt, atq; inter media tela tentationum illæſum eripi, ab hoſtium inſidiis & inſultibus, non ſine victoriâ & ſtrage eorum; quidem miles fortis armis inſtructus [illegible] irrumpendo, & pervolando acies hoſtiles ſolet, hinc inde adverſarios carpendo & cædendo: *Et in Deo meo tranſgrediar murum.* Eodem auxilio gratiæ confiſus, & corroboratus, ardua, & difficillima quæq; aggrediar, quale eſt tranſcenſo muro, quamvis alto, in arcem, aut civitatem munitam hoſtium evadere, eámq; expugnare; vel obſtacula difficultatum in via ſalutis meæ perrumpam.

Tertium beneficium, quod divinâ gratiâ obtinetur, eſt [illegible] primæ ſanctitatis gradus. *Deus meus impollùta via ejus.* Dei mei via immaculata eſt. Hebræi. quo nominativus ponitur, pro caſu ſequentis pronominis, quod ad nominativum refertur, q. d. via, quam nobis terendam proponit Deus, & per quam nos vult ambulare, ſanctiſſimorum

[illegible]m præceptorum, omni labe caret, & puriſſima eſt, puriſſimóſq; præſtat illos, qui eam perambulant. Id quod duplici medio conſequuntur: divinorum ſcil. eloquiorum (quæ omni auro igne purgato puriora ſunt) meditatione per intellectum, & confidentia in divina gratia per voluntatem. Unde quod noſtra lectio habet v. 32. *Eloquia Domini igne examinata, protector, & omnium ſperantium in ſe.* Clariùs effert Hebræa. *Eloquium Domini igne examinatum, ſcutum eſt omnium ſperantium in ſe.* Suâ ſimul claritate illuminans intellectum, & virtute ſuî obarmans voluntatem, atq; roborans, ad conſectandam puritatem, quam docet, quo ſenſu Pſ. ſequenti dicitur *lex Domini immaculata, convertens animas, &c.* Cujus rei firmiſſima ratio redditur v. 34. ſeq.

Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum. q.d. quis ex omnibus Diis, quos ſuperſtitioſa colit gentilitas, cui vel hæc puritas, & ſanctitas competat, quæ Deo noſtro propria eſt? Cum ipſi è contra tum legibus, tum exemplo ſuo, omnia nefanda ſcelera doceant, ut Jupiter Mœchus; fur, furumq; patronus Mercurius; ſpurcitiarum omnium Dea Venus, &c. Vel quæ potentia, ut in illo confidi poſſit, cum ſint infirma infirmiſſimorum hominum delubra. Deus autem noſter, & fideliſſimus, & potentiſſimus eſt. Hebræa lectio habet: *Quis petra præter Deum noſtrum?* Unde rectè infertur, Deum noſtrum ſolum eſſe verum Deum, quia ſolus Sanctus, & in omnem ſanctitatem inducens; & ſolus eſt potens, ſeu petra, in qua tutò confidere, & quieſcere poſſimus, ſtabiléſque ipſius auxilio in puritate perſeverare.

Idem beneficium ſibi per repetitionem inculcat. v. 35. ſequenti. [illegible] eſt *Deus, qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam*, & robore me armavit, non tantùm contra hoſtes in bello, ſed etiam contra vitia, & mores, vitam, facta pura, & integra reddidit, ut eſſem

Integer vitæ, ſceleriſq; purus.

Quartum beneficium eſt, oppugnandi hoſtes, bellandiq; ars, quæ in Davide fuit non ſolùm contra hoſtes corporeos, ſed etiam ſpirituales, peccata ſcil. tentationes, affectus inordinatos, quam tribus complectitur, ſcil. celeritate evadendi inſidias adverſariorum: forti congreſſu, & robore in prælio cum iiſdem: denique ſingulari Dei protectione.

De primo ait v. 36. *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.* Quod accidit, dum perſecutionem Saulis fugiens in præruptis montium cacuminibus commoratus eſt.

De ſecundo verò v. 37. *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æneum brachia mea,* quam dexteritatem manuum ad prælium, congreſſus cum Goliath teſtatur, & lapis ex funda in frontem Gigantis non minus validè, quàm accurato rotatu impactus. Brachiorum verò robur inſtar ærei arcus evibrantis validiſſima jacula ſatis demonſtrat Urſus, & Leo vi ſolâ brachiorum diſcerpti.

De tertio ait v. 38. *Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ.* ſeu protectionem ſalutarem. Hebr. *Et dextera ſuſcepit me* peculiari protectione omnipotentiæ tuæ, quæ per dexteram ſignificatur, in bello me tuitus es, ut tum in perſecutione Saulis manifeſtè apparet, tum aliis in præliis: niſi enim hoc tertium adfuiſſet, id eſt, protectio divina ſalvans, & dextera Dei ſuſcipiens, & ſuſtentans, parùm celeritas pedum, & robur brachiorum profuiſſet.

His tribus ars pugnandi ſpiritualis contra hoſtes animæ etiam continetur, quæ ſingulare Dei beneficium eſt. Nam contra vitiorum nonnulla, tentationeſque, & inclinationes ad illa provocantes, ſolâ fugâ pugnandum eſt; ut ſunt carnis, & libidinis peccata, quæq; ad illa inducunt, ſive occaſiones, ſive ſocii, ſive affectus, &c. v. 42. In his ergò vincitur, ſi tanquam æri pedes cervi velociſſimè ad montes, ſeu tuta præſidia, [illegible] confugitur; uti ſunt Chriſti vulnera, ſinus puriſſimæ Virginis, aliorumque Tutelarium Divorum invocatio, extremorum meditatio, celerrima reſiſtentia, &c. Cum aliis hoſtibus cominus congrediendum eſt generoſo conflictu, & manus conferendæ, tum dexteritate induſtriâq; exercitæ, tum robore, velut arcus æreus confirmatæ. Et ſuper omnia ſingulari Dei gratiæ, protectioniq; innitendum eſt per ſpem & orationem. Hæc ars pugnandi velut beneficium præcipuum cum Davide nobis agnoſcendum, deprædicandumq; eſt.

Quintum beneficium ſunt adverſa, quibus erudimur, & proficimus in melius; nam *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. *Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.* v. 39. correptio tua, & caſtigatio per calamitates à te mihi immiſſas emendavit me in perpetuum. Docebitque porrò rectitudinem, vitæ nimirum, dirigetq; in lege tua. Ita Heſſer. & Bellarmin.

qui

qui etiam prætereà per diſciplinam eruditionem in lege intelligit. Unde ſextum beneficium conficitur.

Septimum eſt ſucceſſus proſper, & progreſſus. *Dilatâſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea.* v. 40. feciſti me magnis paſſibus progredi, vel felices, & conſtantes ſucceſſus mihi dediſti, ut non ſim fatigatus in via perfectionis, & mandatorum tuorum, nec proptereà à curſu deſtiterim, vel à perſequendis hoſtibus meis.

Reliquis verſibus deſcribit ſuum congreſſum cum hoſtibus, de iis victoriam, ejúsq; proſecutionem.

Octavum, præcipuúmq; beneficium eſt, cujus gratia potiſſimùm Pſalmus hic ſcriptus eſt; felix cum hoſtibus congreſſus, & reportata de illis victoria: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, non convertar donec deficiant.* v. 41. *comprehendam illos: nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos.* v. 42. In quibus advertendú verba futuri temporis *perſequar, comprehendam, confringam, cadent*, poni pro verbis præteriti temporis per Hebraiſmum. q. d. quia dilatâſti greſſus meos, perſecutus ſum inimicos meos: vel ob proſperum per gratiam tuam ſucceſſum, & progreſſum, magnâ fiduciâ erectus dixi apud me, *perſequar inimicos meos*, nec pedem referam, usque dum eos delevero, aut pedibus poteſtatiq; meæ victos ſubjecero. *Et præcinxiſti me virtute* (vel heroicâ fortitudine) *ad bellum, & ſupplantâſti inſurgentes in me ſubtus me.* v. 43. q. d. atque ita tuâ gratiâ adjuvante, Deus, factum eſt, ut qui inſurrexerunt in me, everſi plantis meis ſubjicerentur, aut dorſum per fugam verterent. Sicque perſecutores meos diſperdiſti, ut ſequenti v. ait: *Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdiſti.*

Rationem addit v. 45. *Clamaverunt, nec erat qui ſalvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos*, qui omni ſubſidio tum humano, tum divino deſtituti fuerunt. *Et comminuam eos, ut pulverem venti, & lutum platearum delebo eos.* v. 46. idem repetit, addens, ſi quæ fortè reliquiæ eorum remanſiſſent, penitus à ſe diſturbatas, ut nec veſtigium eorum reliquum fieret.

Nonum beneficium. Exaltatio in Regem, nequicquam contradicentibus nonnullis, & perfectum dominium in ſubditos, quicquid inſurgerent aliqui.

Primum exprimitur v. 57. *Eripies me de contradictionibus populi* (futurum pro præterito ponitur, ut ſupra) eorum, qui Sauli, ejúsq; familiæ adhærebant initio, *conſtitues me in caput gentium*, non ſolius tribus Juda, quæ Davidem primò Regem elegit, ſed omnium etiam aliarum tribuum Iſraël: imò & gentium exterarum vicinarum, qui populi magnâ ſubjectione paruerunt mihi ad nutum.

Quod ſecundum indicatur ſequentibus verſibus: *Populus quem non cognovi, ſervivit mihi*, ut Gabaonitæ, Getæi, Amonitæ, Palæſtini, Syri, &c. qui ignoti, & ex cognatione Judæorum non erant: quemadmodum gentiles Chriſto præ Judæis adhæſerunt, *in auditu auris*, ſeu promptiſſimè, ad nutum vel unicâ auricolâ perceptum *obedivit mihi*. v. 48. Et licèt degeneres aliqui clandeſtinas ſeditiones contra me machinarentur, hos ipſos tamen id, quod divinam tuam in me clementiam illuſtriorem reddit, magiſq; deprædicandam, per juſtam vindictam ſubjeciſti mihi, méq; ab eorum inſidiis liberatum in regio ſolio exaltaſti. *Filii alieni*, vel Syri peregrini 2. Reg. cap. 10. vel adulterini quoad mores *mentiti ſunt mihi*, perfidè rebellarunt contra me, ut ſub Abſalone, & filio Bochri accidit. *Filii alieni inveterati ſunt*, defluxerunt à me ſicut folia arentia; *& claudicaverunt à ſemitis ſuis*, non fideliter incedendo, aut conſtanter adhærendo. v. 49. *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.* In quo iterum demonſtravit Deus ſuam providentiam in me, ſéq; vivere, & vigilare ſuper me: benedicendus: idcircò, & velut author, conſervatórq; ſalutis meæ celebrandus *Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me*, qui dedit mihi ultionem in illis perfectè mihi ſubjiciendis, *liberator meus de inimicis meis iracundis, & ab inſurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me.* v. 50. 51. 52. nec ſolùm liberavit ab iis, quantumvis impotenter, & doloſe inſurgerent contra me, ſed etiam illuſtriorem inde me reddidit, & extulit altiùs: quæ omnia ſenſu ſpirituali applicari poſſunt hoſtibus animæ ſupra aliquoties commemoratis, per gratiam, Dei ſubactis, & de animæ in eos imperio.

Affectus laudis.

V. 53. & 54. *Propterea confitebor tibi in nationibus* (palàm, & coram omni populo) *Domine, & nomini tuo Pſalmum dicam. Magnificans ſalutes Regis ejus* (pro tui hebraiſmus) *& faciens miſericordiam Chriſto ſuo David, & ſemini ejus usq; in ſæculum.* q. d. qui me Regem tuum à te conſtitutum, & unctum tam magnificè ſalvaſti ex merâ miſericordia; imò eandem miſericordiam extendiſti in progeniem meam in omnem æternitatem, quod in Chriſto filio David impletum eſt, *cujus regni non erit finis.* Luc. 1.

Quod beneficium decimum adnumerari poteſt. O quantum igitur diligentibus quantum deprædicandus es optime Deus, ob hæc tam præclara, tam multiplicia beneficia tua!

ORATIO.

Protector, & liberator noſter Deus, & cornu ſalutis noſtræ, qui nos ex tantis periculis, & hoſtibus tam potenter, & miſericorditer eruiſti, ibique ſubjugatis tam multiplicibus beneficiis coronaſti: illumina tenebras cordis noſtri, ut hæc gratâ mente recolentes, te toto corde diligamus, & à tua nunquam laude ceſſemus. Amen.

IN PSALMUM XVIII.

Cœli enarrant, &c.

MEDITATIO XIX.

Contemplatio DEI ex Creaturis, & Lege Divinâ.

Argumentum Pſalmi.

Docet Deum cognoſci, tum per creaturas, Solem præſertim, & corpora cœleſtia, tum per oracula, & ſtudium divinæ legis, ac ſcripturarum. (Alleg:) per Apoſtolos, & Prædi-

catores, juxta S. Paulum Rom. 10. Et Chriſtum, legémq; Evangelicam, juxta S. Auguſt.

Punctum I.

COnſidera totum quidem univerſum eſſe librum, in qua characteribus creaturarum deſcripta legi poſſint divina gloria, potentia, ſapientia, bonitas, &c. attributa; ſed potiſſimùm id Soli, corporibúsq; cœleſtibus rectè attribuit S. David. *Cæli*, inquit, *enarrant gloriam*, & majeſtatem *Dei*, non voce, aut verbis, ſed exhibitione pulchritudinis, aliarúmq; virtutum, & excellentiarum. Suâ quidem magnitudine potentiam, ſuâ eleganti ſtructurâ, & ſubordinatione Sapientiam, ſuo influxu in hæc inferiora, quibus vitam, vigorem, virtutem tribuunt Bonitatem, & Miſericordiam; quâ *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos.* Matth. 5. *Et opera manuum ejus annunciat firmamentum.* v. 1. quæ variatio phraſis eſt, q. d. & artificioſiſſima illa machina, quæ cœleſtia corpora, orbésq; omnes ſuis cum luminaribus complectitur, & firmamentum dicitur Dei artificis ſui, quàm admiranda opera ſint, teſtatur, atq; deprædicat. Qualis autem deprædicatio illa ſit, tribus verſ. ſeqq. deſcribitur, ſcil. continua ſine intermiſſione Univerſalis reſpectu omnium locorum. Nam

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. v. 2. continuâ enim, & nunquam interruptâ ſerie, ob conſtantem dierum, noctiúmq; viciſſitudinem velut amabæis choris ita decantant laudem Dei, ut dies emoriens diei naſcituro quaſi lampadem tradat; & nox diffugiens ingruituram vicinam excitet ad laudandum ſuum authorem Deum: hoc eſt, admirabilem Cœli pulchritudinem videre eſt diu, noctúq; ſine intermiſſione per ſingulas noctes, per ſingulos dies, ut nunquam non ſit laudandi Dei argumentum, ejusque nunquam deſit materia.

Quoad deprædicationis univerſalitatem reſpectu linguarum; *Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* v. 3. Nam omnes omnium linguarum gentes, & idiomatum omnium nationes omnes, cœlorum loquelam in Deo deprædicando intelligunt, quia omnes adſpiciendo Cœlorum ornatum admirabilem, & præſtantiam, inde venire poſſunt in cognitionem excellentiæ Conditoris.

Univerſalitas deniq; deprædicationis quoad loca deſcribitur v. 4.

In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ubiq; enim harmonia illa Cœlorum ſuaviſſima perſonat; non qualem veteres quidam finxerunt, corporalem concentum fieri ex motu Cœlorum, ſed metaphoricus ſonus ex conſiderata ab hominibus exurgens majeſtate & pulchritudine Cœli. Ubiq; enim Cœlum cum Sole, Luna, Stellis; ubiq; viciſſitudo aliqua dierum, atq; noctium; ut nemo homo ſit, ſi quidem homo ſit rationis compos, qui ex contemplatione corporum cœleſtium, & præſtantiæ eorum, in Conditoris cognitionem, admirationem, laudem, & amorem aſſurgere non poſſit.

Ubi advertendum S. Paulum Rom. 10. hunc verſum ſenſu allegorico de Apoſtolis intelligere, dum probat ex illo prædicationem Chri-
„ ſti, & Evangelii ad omnes gentes perveniſſe. Ex quo colligitur rectè
„ eodem ſenſu intelligi per Cœlos poſſe; Bellarmino interprete, Viros,
„ & Prædicatores Apoſtolicos, qui Cœlorum ad inſtar ſint, elevati à ter-
„ ra per contemplationem, ampli per charitatem, ſplendidi per ſapien-
„ tiam, ſemper ſereni per animi tranquillitatem, celerrimè moti ab in-
„ telligentia, per obedientiam, pluentes per inſtructionem, tonantes
„ per objurgationem, fulgurantes per miracula, multa bona terris lar-
„ gientes, & nihil ab eis quærentes per veram liberalitatem, puriſſimi
„ ab omni ſorde per vitæ ſanctitatem, deniq; habitaculum ſummi Re-
„ gis per juſtitiam perfectam: nam anima juſti ſedes eſt ſapientiæ.

Hactenus de Cœlis, nunc de Cœlorum parte nobiliſſimâ Sole, quem Deus gloriæ ſedem præcipuam conſtituit, tum ob pulchritudinem, tum ob robur, & velocitatem, tum ob beneficentiam; quibus Dei attributa præcipua ſcil. ſapientia, potentia, bonitas adumbrantur.

In Sole, inquit, *poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* v. 5. decorus, nitidus, ornatus exoritur.

Haud ſecus ac ſponſus croceo feſtivus in auro.

e cubili ad nuptias prodit, quibus pulchritudinem Solis Sponſo comparat; velocitatem verò, & robur Giganti

V. 5. 6. 7. *Exultavit ut Gigas ad currendum viam, à ſummo Cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſq; ad ſummum ejus.* q. d. incredibili velocitate, non ſolùm abſq; labore, & fatigatione, ſed etiam cum exultatione, & hilaritate, robuſti inſtar Gigantis breviſſimo tempore Cœlorum immenſos tractus decurrit, egrediens quaſi ab oriente, & occurſum ſuum (pro curſu, compoſito pro ſimplici poſito) ad alterum occidentis extremum ſummè diſtans velociſſimè promovet. *Nec*

Nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus. Abdidiſſima quæque, terrarúmq; profundiſſima virtute, caloréq; ſuo penetrat, omnibus tanquam communis rerum omnium parens, qui in terra, & mari naſcuntur, vitam, vigorémq; impertiens; quibus beneficentia tertia ſolis laus exponitur.

Affectus admirationis, & laudis.

O Quanta potentia, quanta ſapientia, quanta clementia, & bonitas tua eſt, Cœli, rerumq; omnium opifex Deus! ex quo velut ex fonte, quidquid pulchritudinis, quicquid jucunditatis, quicquid utilitatis in nos creaturæ effundunt, tanquam exiguas ſtillas hauſerunt! Utinam etiam velut Cœlum rapidiſſimo curſu totum mundum obire poſſim, & totidem linguis, quot ſtellæ in eo ſunt, gloriam tuam enarrare.

Punctum II.

COnſidera alterum librum, ex quo Dei majeſtas, & gloria, cæteráq; magnalia ejus multò perfectiùs cognoſcuntur, eſſe divinæ legis, & ſacrarum ſcripturarum oracula. Demonſtrat id Propheta per comparationem cum Cœlo, & Sole, tum in univerſali, tum in particulari.

V. 8. *Lex Domini immaculata convertens animas* (& ad ſe rapiens pulchritudine ſuâ) *Teſtimonium Domini fidele* (ſine viciſſitudine, & mutatione, quæ Cœlis inſunt) *ſapientiam præſtans parvulis*, illuminando eos lumine ſapientiæ. q. d. pulchrum eſt Cœlum, pulcherrimus Sol, ſed lex Domini multò pulchrior. Lucidum Cœlum, lucidiſſimus Sol; ſed lex Domini multò lucidior. Utile Cœlum hominibus, utiliſſimus Sol, ſed lex Domini multò utilior. Ita Bellarm. quoad comparationem in univerſali. In particulari verò eam ſic inſtituere videtur S. David per decem encomia legis, quibus Soli præſtat, & Dei ſummæ perfectiones, & attributa ſignificantur. q. d.

1. Soli quantumvis puro, & pulchro, ſuæ tamen maculæ ineſſe obſervatæ, & judicatæ ſunt ab Aſtrologis: At lex Dei, ſacræq; paginæ omni nævo, maculâve immunes nihil non ſanctum, & immaculatum præſcribunt, & continent, unde autoris earum ſumma colligitur, puritas, & ſanctitas. Ubi noſter legit lex Domini immaculata, hebræus textus habet perfecta, quod ad omnem informet, & inducat perfectionem, quibus infinita Dei perfectio denotatur.

2. Soli

2. Soli ineſt quidem vis quædam ſympathetica, quâ Soliſequium ad ſe inclinat, & res fortè alias. At divinæ legis, & ſcripturæ oracula, non flores, ſed animas virtute ſuâ ad ſe pertrahunt, & convertunt; quanto vero major virtus attractiva, & converſiva ad ſe tum juſtorum, tum peccatorum Deo ineſſe credenda eſt!

3. Cœlum, & Sol ab intrinſeco corruptioni non ſint obnoxia, mutari tamen à ſuo minimùm Conditore, & ab extrinſeco poſſunt. Teſtimonium autem Domini, quæ ſunt præcepta, conſilia, & quicquid nobis Deus revelavit, & teſtatus eſt in ſcripturis, fidele in promiſſis, præmiis, & pœnis intentatis, conſtans, & omnis mutationis expers eſt. *Cœlum enim, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*, inquit Chriſtus Matth. 11. 25. Ex quibus ſumma Dei tum veritas, tum fidelitas, & fides, tum conſtantia in ſervandis promiſſis rectè deducitur.

4. Sol æq; pauperum tuguria, quam Regum palatia lumine ſuo perfundit, & ſimplices agricolas ſibi in laboribus ſuis expoſitos luce ſuâ collustrat, præ illis, qui laqueatis in domibus deſident. *Teſtimonium Domini fidele*, de quo ante, *ſapientiam præſtat parvulis*, humilibus, indoctis, ſimplicibus, illis ſenſus, & lumina prudentiæ ſpiritualis in fugiendis malis, & conſectandis bonis, & Dei cognoſcendâ voluntate largitur, quæ à ſæculi hujus prudentibus quaſi abſcondit. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Matth. 11. 25. adeò *apud Deum perſonarum nulla* non ſolùm *eſt acceptatio*. Col. 3. ſed erga humiles, quorum *humilitatem reſpicit*. Luc. 1. & ſimplices, *quibuſcum ſermocinatio ejus eſt*. Proverb. 3. ſingularis propenſio, & affectus.

5. Sol ſtabilem ſervat curſum, non ita tamen, quin aliquando illum obliquet diverſis anni temporibus, aut conſiſtere in eo per Joſue mandatum coactus fuerit. v. 9. *Juſtitia verò* Dei *recta, ſeu* præcepta, & lex ejus, necnon judicia, & decreta in ſacris literis propoſita, à nemine unquam aut obliquari, aut ſiſti, ſufflaminariq; poſſunt. *Recta* omninò *Dei juſtitia* ſunt, rectiſſimaq; regulæ, ad quam actiones noſtræ exiguntur, & quæ rectiſſimam ad Cœlum viam demonſtrant. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Matth. 19. 17. quæ ſummam Dei rectitudinem, & æquitatem flecti, ac detorqueri neſciam, vitæ, actionúmque noſtrarum rectiſſimam normam, atq; regulam denotant.

6. Sol gaudio mundum exhilarat per ſerenitatem lucis ſuæ, non

ita tamen, quin nubila ſecum vehat triſtitiæ interdum; *Juſtitiæ verò Domini lætificantes corda* etiam inter adverſa tempeſtatum, tranquilli-
„ tate, lætitiáq; eos afficiunt, qui nullius ſibi noxæ conſcii ſunt. Si eſt
„ gaudium in mundo, hoc utiq; poſſidet homo puri cordis, & bonæ
„ conſcientiæ. Habe ergò bonam conſcientiam, & ſemper habebis læ-
„ titiam, inquit ille: Unde dulcedinem Dei jucundiſſimam colligas, *cujus converſatio non habet amaritudinem, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.* Sap. 8.

7. Claro Solis ſplendore illuminantur corporei oculi noſtri, non ita tamen perfectè, ut tenebræ non miſceantur, aut pervideri univerſa queant. At *præceptum Domini lucidum*, nullíſq; errorum tenebris obſcurum, *illuminans oculos* mentis ut Deum, & voluntatem ejus cognoſcamus, perfuſi luce divinæ ſapientiæ. *Deus enim lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* 1. Joh. 1.

8. Solis effectus eſt, ut fructus, frugéſq; terræ calore ſuo ad maturitatem ita excoquat, ne mox computreſcant, ſed aſſervari in tempus longum poſſint, non tamen perpetuum. Eloquiorum verò divinorum fructus eſt, ut timorem Dei progenerent ſanctum, & caſtum, quo anima ab omni corruptione peccati conſervetur in perpetuum. v. 10. *Timor Domini ſanctus*, ſecundum græcam antiquam, *caſtus, incorruptus, purus, permanens in ſæculum ſæculi*, non ſolùm quoad præmium, quod profert æternæ bonitatis; ſed quoad ſeipſum etiam, cum ſit filialis, impermixtus ſervili, ab amore ortus, & penè indiſtinctus, eidemq; coævus, qui ſui, ſanctiſſimæq; legis, à qua oritur, autoris ſanctitatem eſſentialem deprædicat.

9. Non omnes à Sole producti effectus tales ſunt, ut probatione non egeant absq; omni fallacia, & fuco ſinceri; ſunt enim quidam apparentes tantùm, ut gemmæ, metalla, aliáq; permulta minus proba. Unde ad examen, & lydium lapidem, aliámq; probationem revocari debent. *Sed judicia Domini*, quæ ex divinæ monumentis ſcripturæ diſcuntur, vel quæ mandata, & lex Domini dicuntur, quia per ea Deus judicat homines, *vera, & juſtificata in ſemetipſo*, ſeipſis, inquam, ſunt juſtiſſima, nec indigent juſtificari, & probari aliunde, cum ſint potiùs ipſa norma, & regula omnis æquitatis diſcernendæ, & quaſi prima principia juris naturalis. Vel, juxta Hebr. *omnia pariter veritas*, quæ ſcriptura, dicit, nullo excepto ſunt veriſſima, & juſtiſſima, ipſáq; adeò veritas, quæq; veracitatem, fidelitatem, & æquitatem Dei teſtentur.

10. Et licèt Sol multos ſinceros, miniméq; fucatos effectus producat, qui vel utilitate ſuâ, ut aurum; vel raritate, & præſtantiâ, ut gemmæ; vel ſuavitate, ut ros melleus, deſideratiſſima hominibus ſint; Attamen divinæ legis, & ſcripturæ oracula (v. 11.) *deſiderabilia* magis ſunt infinities *ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum,* ſeu maximâ copiâ habitum, *& dulciora ſuper mel, & favum*, omnibúsq; divitiis, & deliciis anteponenda, ut alibi meritò exclamat Pſ. 118. *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo!* Et, *ideò dilexi mandata tua ſuper aurum, & Topazion.* Pſ. eod. Ut Conditoris ſui infinitatem in omni genere entis, & perfectionis proloquantur.

Affectus laudis.

LAudetur, O altiſſime, & perfectiſſime Deus, tua ſanctitas, puritas, perfectio, efficacia, conſtantia, fidelitas, dignatio, rectitudo, dulcedo, ſapientia, veritas, æternitas, æquitas, & in omni perfectione infinitas. Unde velut ex immenſo perfectionum Oceano in Solem, Creaturáſque cæteras, ceu parvæ ſtillæ quædam dimanarunt, quas in illis admiramur.

Punctum III.

COnſidera contemplationis divinarum perfectionum, ex lege, & ſcriptura hauſtæ præclaros fructus, & effectus, qui in ſequentibus afferuntur.

I. Eſt ſollicita eorundem Dei præceptorum, ſeu quæ in lege continentur obſervatio. v. 12. *Etenim & ſervus tuus cuſtodit illa*, ſeu *cuſtodit ſe in illis* (juxta Hebræam) à peccatis ſcil. abſtinendo. Pro, *etenim*, lege S. Hieron. illativam, *unde*, ex ſuperiori verſu q. d. cum divinorum præceptorum obſervatio, præſtantior, utilior, & ſuavior ſit omnibus theſauris, divitiis, & deliciis, meritò ergò qui ſum, cupióq; eſſe ſincerus ſervus tuus, ea accuratè obſervare conor, contra quam faciunt ſervi mundi hujus, & carnis ſuæ mancipia, ex quibus rariſſimi omninò ſunt, qui vel exiguo lucro provocati, vel delectatiuncula perbrevi pellecti eadem divina mandata tua iis non poſthabeant, & contemnant. Præſertim cum ſit *in cuſtodiendis illis retributio multa*; merces nempe ampliſſima, & præmium hujus, æternæq; vitæ infinitum.

II. Fructus eſt Humiliatio ſui, & compunctio, quod examuſſim ea ob fragilitatem humanam, & non ita perfectè obſervare queat; quia interdum vel ex ſubreptione, vel ignorantiâ, aut inconſideratione aliqua ab iis exerret. v. 13. *Delicta quis intelligit*, hebraicè, *ignorantias quis intelligit*. Hinc Orat. *ab occultis meis munda me*, quæ cognitionem meam fugiunt, *& ab alienis*, vel quæ per participationem, & communicationem cum aliorum peccatis in me quovis modo transfunduntur, vel potiùs à conſortio eorum, qui à lege tua, & virtute alienis moribus ſunt, vel à ſuperbis, ut Hebræus habet: occultâ enim ſuperbiâ nihil periculoſiùs, & perniciosiùs illis, qui vi is tuti dediti ſunt. *Parce ſervo tuo*, ab illis me præſervando: Illa enim viris, qui Ceteroqui bonæ voluntatis, & puritatis ſtudioſi ſunt, præcipuâ curâ ſunt evitanda, qua vel ex inconſideratione præcipitata, vel alienorum participatione, vel ſocietate diſculorum, vel occultâ ſuperbiâ penè inſciis, & invitis adhæreſcunt.

Unde ſubdit v. 14. *Si mei non fuerint dominati*, me mihi ſuffurando, & pervertendo, *tunc immaculatus ero*, & integer, *& emundabor à delicto maximo*, vel ut S. Aug. *magno, ſeu mortali*, vel ut Hebr. *prævaricatione multâ*.

III. Fructus hujus contemplationis, & qui ex duobus præcedentibus conſequitur; Eſt unio, & familiaritas cum Deo per orationem, & meditationem, vel recollectionis externæ, internæq; exercitia. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei*. Oratio, inquam, mea, hymnique, & laudes erunt talia, quæ ante divinum conſpectum tuum ſint grata, & accepta: *Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*. v. 15. & verſabor in præſentia tua continuò per cordis meditationem, devotóſq; affectus hauſtos ex rerum creatarum, caſuúmq; omnium, qui nobis eveniunt, contemplatione, eorumq; ad te primum fontem, & autorem reflexione. Quomodo S. P. N. Ignatium tum ex creatura minimâ, floſculo v. 9. ad conſideranda Dei attributa aſcendiſſe, tum præſertim ex Cœli, Stellarúmq; fixiori contuitu, quâ cœleſtium orbium contemplatione mirificè ad Dei amorem accendebatur, ita ut nonnunquam præ dulcedine devotionis lacrymis inundans in hæc ſuſpirando erumperet: *Heu! quàm ſordet terra, cùm cælum aſpicio*. Et hunc contemplationis modum, atq; è Creaturis ad Creatorem aſcenſionem, crebrámq; per ejaculatorias preculas cum Deo conjunctionem

cupiebat ſuis familiariſſimam, commendatiſſimámq; eſſe. Teſte Ribadineiur in Vita. Tandem contemplationem ſuam S. David concludit per colloquium ad Deum inſtitutum, quo ex fiducia erga illum gratiam flagitat ad hæc perficienda. *Domine*, inquiens, *adjutor meus, & Redemptor meus*, cujus munere, & gratiâ, non meis meritis, iſta conſequar, dum eris adjutor meus. Ut S. Aug. in bonis, & Redemptor à malis.

Affectus aſpirantis ad contemplationem.

O *Quis dabit mihi pennas* ſanctæ contemplationis, *ſicut columbæ.* Pſ. 54. *geminas illas alas, quibus homo ſublevatur à terrenis, ſimplicitatem* ſcil. *& puritatem.* Thom. à Kemp. l. 2. c. 4. quibus *evolem* è terrenis, & creaturis ad Deum meum, & in eo *quieſcam*, quia *ipſe eſt Sanctorum æterna requies.* l. 3. c. 21. Ecquis alius, niſi tu *Domine adjutor meus, & Redemptor meus?*

ORATIO.

DEUS, cujus gloriam, & magnalia Cæli, cæleſtiáq; corpora nobis enarrant, & divinæ legis, ſcripturarúmq; ſanctiſſima oracula uberius declarant: eſto adjutor, & Redemptor noſter, ut in illis contemplandis cognitionem tui perfectam conſequamur, & eorum directione per vitæ immaculatæ puritatem, intimámq; tecum conjunctionem in conſpectu tuo ſemper ambulemus. Amen.

IN PSALMUM XIX.
Exaudiat te DOMINUS, &c.
MEDITATIO XX.
Fauſtæ acclamationes, & affectus apprecatorii,
Vel
VOTA,
Chriſto Regi Incarnando, Poteſtatéſq; aërias debellaturo à fideli anima factæ in meditationibus Myſteriorum Chriſti.

Argumentum Pſalmi.

Oratio, & Vota populi pro Davide, vel contra Amonitas, vel Syros. 2. Reg. 10. & 1. Paral. 19. ad bellum proficiſcenti, (ſenſ. lit.) vel pro cujusvis in hoſtes, ſeu viſibiles, ſeu inviſibiles, ac ſpirituales depugnaturi ſalute. v. 9. Chriſtiani Regis ad bellum contra infideles, proficiſcentis. Ac victoria (ſenſ. mor.) Chriſti præſertim contra aëreas poteſtates, ut prophetico ſpiritu prævidiſſe videtur hîc David, (ſenſ. alleg. quem hâc meditatione propoſitum habemus.)

I. Affectus eſt, ut Chriſti (qui quaſi accinctus ad redemptionem generis humani, vel ad prælium cum Sathana ineundum nobis in meditatione proponitur, prodire, atque ad hoc oratione ſe armare, ſive in utero Virginis conceptus, ſive in deſerto jejunans, ſive in horto ante paſſionem Patrem cœleſtem invocans,) ut, inquam, hanc Chriſti orationem Deus exaudiat, & ſuâ eum divinâ virtute protegat contra hoſtes. v. 1. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis* (paſſionis ſcil. & pugnæ) *protegat te nomen*, virtus, aut invocatio *Dei Jacob*, quòd populum Dei ſignificat, cujus caput eſt Chriſtus. Idem cuicunq; ſimile opus arduum aggredienti apprecari licet.

II. Ut ſuppetias è cœli altiſſima ſpecula præliaturum contemplatus Deus, eq; Sanctuario Montis Sion certanti ſubmittat; ſeu, ut congruis, & efficacibus gratiis præveniat, ab omni æternitate præordinatis à ſapientia, & bonitate Dei infinita ad tam arduum opus. *Mittat tibi auxilium de ſancto*, ſeu Sanctuario Montis Sion, ad quod oraturi conveniebant, *& de* altiſſima illa ſpecula ejusdem Sion cœleſtis, unde omnia proſpicit, *tueatur te*. Quæ item optari, ac peti poſſunt pro quovis altero.

III. Ut ſacrificium illud, in quo pro redimendis nobis Chriſtus ſe æterno Patri obtulit, ſive in primo ingreſſu in hunc mundum, ſive reliqua vita, ſive in Cœna ultima inſtituendo ſacrificium Miſſæ, ſive in Ara Crucis per mortem in holocauſtum perfectiſſimum ſe immolando æternâ recordatione menti, & memoriæ Dei obverſetur, nulla unquam oblivione delendum; utque paſſio, & merita Chriſti ab initio mundi,

mundi, usque ad finem ejus ſemper vigeat, ita ut per eum omnia nobis bona donentur, quæ prophetica quaſi apprecatio eſt. *Memor ſit omnis ſacrificii tui,* toties totâ vitâ repetiti; vel diverſimodè ſæpe oblati: præſertim quod velut *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſ. 109. usq; ad finem mundi per tot ſubſtitutos Miniſtros, & Sacerdotes in miſſa offert: *Et holocauſtum tuum pinguefiat.* v. 3. id eſt, placitum, & acceptum, *ſicut in millibus agnorum pinguium.* Daniel. 3. ſic *fiat ſacrificium tuum in conſpectu Dei, ut ei complaceat.* Idem alteri apprecari licebit, ut non ſolùm orationem ejus Deus exaudiat, & velut verbale quoddam ſacrificium acceptet; Verùm etiam ut vota alia religionis causâ ſuſcepta, tanquam oblationes reales, ratas, gratásq; habeat ad finem propoſitum obtinendum.

IV. Finis optatiſſimi aſſecutio, & mediorum ad eum conſequendum opportuna directio, & executio feliciſſima à Deo efflagitata. *Tribuat tibi ſecundum cor tuum,* ſeu ſecundum votum, & deſiderium tuum; *& omne conſilium tuum confirmet.* v. 4. In mediorum applicatione, de quibus conſilium eſt, & omni executione, ut ſcil. hominem de captivitate liberes, Cœlóq; tranſcribas, qui Chriſti Incarnationis finis fuit. Luc. 19. *Venit filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Quæ eadem ad quodcunq; opus arduum aggredienti optari poſſunt.

V. Congratulationis, & gaudij cum gratiarum actione, (ob felicem ſucceſſum certâ ſpe præceptum) præguſtus. & prælibatio animo propoſita. *Lætabimur in ſalutari tuo*, de ſalute cum qua reverſus fueris incolumis, quámque nobis attuleris, *& in nomine*, ſeu invocatione, vel potentia ac Majeſtate *Dei noſtri magnificabimur*, propter magnum Dominum quem habemus gloriabimur, & triumphabimus. (Hebr.) *vexillam elevabimus* erigemúsque trophæum. Vel juxta S. Hier. *in nomine Domini noſtri ducemus choros.* Ejusdem congratulationis & lætitiæ propoſitum cæteris commune eſſe poteſt.

VI. Præſagientis certiſſimè futurum, & quaſi jam factum eſſet, animæ ſecuritas, vel notitiæ propheticæ, vel fiduciæ firmiſſimæ à Deo infuſæ innixa, exauditæ orationis indubitata prognoſtica: *impleat Dominus omnes petitiones tuas nunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum,* v. 6. q. d. iterum iterúmque tam audacter

votum meum repeto, ut Dominus abundè omnia deſideria tua impleat, quia divinâ illuſtratione cognovi, jam ſalvum feciſſe Deum Chriſtum ſuum, ſcil. prædefinitione ſuâ infallibili, quâ id conſtitutum ab omni æternitate habuit: quare in tempore, & executionis viâ infallibiliter *exaudiet illum de Cœlo ſancto ſuo, in potentatibus ſalus dexteræ ejus.* v. 7. in magno robore, & potentiâ, non in communibus auxiliis aderit Chriſto ſalus dexteræ Dei.

VII. Innitentis in ſolis auxiliis cœleſtibus, fiduciámq; omnem in Deo conſtituentis, aſpernantis verò omnia Principum, & Magnatum hujus ſæculi, quantumvis ſplendida, & magnifica patrocinia. *Hi in curribus, & hi in equis*, cæterisq; præſidiis humanis ſpem ſuam ſtatuunt, *nos autem in nomine Domini noſtri invocabimus.* v. 8. in nomine, & auxilio omnipotentis Dei ſupplici prece invocati.

Effectus deniq; hujus fiduciæ utriusq; ſubjungit, *ipſi obligati ſunt, vel illaqueati compedibus*, & devincti, *ceciderunt*, proſtratiq; jacent, *nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.* v. 9. in quibus verba præteriti temporis ponuntur pro futuris, prophetico more, ob certitudinem eventus.

Concludit tandem repetendo apprecationem primam, & orationem ad Deum convertendo. *Domine ſalvum fac Regem, & exaudi nos in die*, afflictionum, & periculorum, *quâ invocaverimus te.* v. 10. quæ aptari ſuo modo poſſunt cuivis alteri. v. 9. Regi Chriſtiano contra Turcas, & infideles ad bellum proficiſcenti, ut initiò dictum in Pſalmi argumento.

ORATIO.

Accingere felici omine Chriſte Rex noſter, ad præliandum prælium redemptionis noſtræ, contra hoſtes inferni præſertim. Sic tuis Pater æternus optatis omnibus annuat, & paſſionis tuæ ſacrificium acceptiſſimum habeat! Sic Cœlum tibi omne aſſiſtat, & favores, atq; gratias in te omnes profundat! Sic in parta per te nobis ſalute lætemur! & triumphato à te Pharaone inferni, ejúsq; curribus, & equis everſis in mari rubro paſſionis tuæ ſanctiſſimæ nos in certiſſimam ſalutem erecti nomen tuum glorioſum invocemus, ſempérq; magnificemus. Amen.

IN EUND. PSAL. XIX.

MEDITATIO XXI.

Modus, & præparatio ad arduum aliquod negotium, pro DEO aggrediendum.

Punctum I.

COnſidera modum, & præparationem ad aggrediendum heroicum aliquod pro Deo opus conſiſtere in hoc.

1. Ut ante omnia per orationem humili cum diffidentia de viribus ſuis ad Deum recurratur, ut in tanto opere adjutor, & protector noſter ſit, exaudiátq; preces noſtras. O utinam! *Exaudiat te Dominus in die tribulationis! protegat te nomen Dei Jacob!* Chriſti ante prædicationem, & paſſionem exemplo.

2. Ut gratias congruas, quas ab æterno per ſcientiam infinitam providit efficaces fore, ad idem perficiendum ſubminiſtret. Utinam *mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te!*

3. Ut præter orationem vota quædam religionis causâ Deo hunc in finem offerat, magno gratitudinis, & devotionis cum affectu, & propoſito perficiendi. Utinam! *Memor ſit omnis ſacrificii tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.*

Affectus jam poſiti.

Punctum II.

COnſidera quoad executionem ipſam.

1. Curandum ante omnia, ut finis noſter ſit ſincerus, & ad finem apta, & convenientia media dirigantur, pro quibus à Deo ſapientiam & lumen cæleſte precari oportet, ut ea cognoſcamus: & auxilium efficax, ut finem eundem juxta vota obtineamus. *Tribuat tibi ſecundum cor tuum.* ſecundum cor, inquit S. Ambr. enarrat in Pſal. 36. *non ſecundum appetentiam carnis, & illas petitiones, quæ prodeunt ex intimo corde, confirmet, non quæ ex carnis hujus illecebra, & voluptatibus dirigantur, & omne conſilium tuum confirmet* ad felicem exitum, finémq; conſequendum deſtinando.

2. In ipſa executione, & opere dum arduæ difficultates ſuperandæ

ſunt, convertendus eſt animus, non ad ea, quæ laborem & honorem incutiunt, ſed ad ea, quæ velut fructus & effectus optati pugnam & laborem conſequntur, ut & noſter aliorúmque jucundiſſimus in omni bono profectus, & Dei magnificatio & gloria &c. *Lætabimur in ſalutari tuo* ſeu ſalute per te parta, *& in nomine Dei noſtri magnificabimur* vel ut (Hebr.) *vexillum erigemus* nomini divino glorificando, mirum eſt, quam hæc cogitatio corroboret in peragendis perferendíſque pro Deo rebus difficilibus. Quo medio Symphorianus adoleſcens Martyrium fortiter ſuſtinuit, dum Matrem his ſibi acclamantem audiit: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, Cælum ſuſpice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur ſed mutatur in melius*, Breu. Rom. 22. Auguſti.

III. Fiducia in Dei potenti auxilio, mediis etiam in difficultatibus prorſus ſingularis, & quaſi ſecura non defuturum nobis bonum Deum, ſed petitiones, & vota noſtra pro ejus honore [illegible] impleturum. *Imqleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi*, inſtinctu quodam fiducia illius divino: *quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de Cælo Sancto ſuo*, quaſi e ſpecula ſingulari providentia eiintendens, *in potentatibus ſalus dexteræ ejus*, potentibus, & valde efficacibus gratiis & mediis dexteram ſuam ad ſuccurrendum ei extendendo, *& faciendo potentiam in brachio ſuo*, quod ſanctiſſima Virgo deprædicat in cantico ſuo, Luc. 1.

Affectus ut ſupra ex ipſo textu hauſti.

Punctum III.

COnſidera impedimenta, quæ ab ejusmodi opere remorentur vel impediant, ut præcaveantur.

Primum eſt: Nec occulta quadam complacentia efferamur, & geſtiamus vanâ lætitiâ, qualis ſubrepere ſolet in ſucceſſu felici ut rebus præſertim magnis à nobis ſuſceptis, aut patratis, aut ne gloriam inde nobis aliquam decerpamus, ſed gaudium omne in Deo ſit, exemplo Virginis diviniſſimæ canentis, Luc. 1. *Et exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo, Lætabitur in ſalutari tuo*, & omnis gloria Deo tribuatur ejusdem imitatione: *Magnificat anima mea Dominum. Et in nomine Dei noſtri magnificabimur.*

Secundum eſt: Ne humanis viribus aut mediis innitamur, ac in iis præcipuè locemus ſpem noſtram. Sed ante omnia divinæ providentiæ ſubſidiâ imploremus, in iiſque confidamus unicè. *Hi in curribus & hi in equis*, Deo quaſi poſt poſito ſuam ſpem poſuerunt, ſimilibuſque mediis potentium, de quibus anxie & primariò ſolliciti fuerunt, *nos autem in nomine Domini Dei noſtri*, ſeu ut Hebr. pro ly nomen ponit *Deum noſtrum invocabimus*, cæteris illi poſt poſitis, memores conſilii à Chriſto præſcripti: *quærite primum Regnum Dei & juſtitiam ejus* Matth. 6. Unde eventus iſte inopinatus accidit: *ipſi obligati ſunt, & ceciderunt*, in quibus ſperaverunt, & ſe obligârunt, ac implicuerunt, ab iis deluſi ſpe ſua, & viribus deſtituti perierunt, *nos autem ſurreximus*, qui quaſi humiles jacebamus, & proſtrati, *& erecti ſumus*.

Pro concluſione, & colloquio Meditationis cum fiducia ſic Deum alloquitur: *Domine ſalvum fac regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te* q. d. qui talem ſe exhibuerit erga te generoſo, regióque animo ſibi aliiſque imperando, hunc ſalvum haud dubiè facies, & in quibusvis conſtitutum periculis liberabis, & exaudies in die tribulationis, & neceſſitatum ſuarum, quâ non alium, quàm te invocabit.

ORATIO.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & mitte nobis de Cœleſti Sion ſubſidium gratiæ tuæ efficacis, ut eo in omnibus difficultatibus confortati pro te ardua quæcunque erecto animo aggrediamur, votorúmque noſtrorum compotes facti, lætemur in ſalutari tuo, & in glorioſo nomine tuo, te hic æternúmque magnificemus, Amen.

IN PSALMUM XX.

Domine in virtute tua, &c.

MEDITATIO XXII.

Affectus Euchariſtici exaltato Regi Chriſto ab æterno Patre.

In meditationibus eorundem Vitæ Chriſti myſteriorum à fideli anima decantati.

Argumentum Pſalmi.

Idem eſt cum præcedenti, in quo quod orabat, de eo nunc gratias agit, pro victoria ſcil. contra eosdem hoſtes obtenta. Ut vel loquatur de ſe David tanquam de alio in tertia perſona; vel de Chriſto prophetico ſpiritu, (ſenſ. lit.) qui accommodari non difficulter poteſt, juxta dicta Pſal. ſuperiori.

AFFECTUS I. eſt generalis, qui duobus verſibus primis continetur, & reſpondet Pſalmo ſuperiori, quo illa, quæ pro Chriſto Rege petebantur conceſſa eid. hic referuntur, *Domine* Deus Pater, *in virtute tua*, ſeu propter potentatùs dexteræ tuæ (de quibus Pſalmo ſuperiori) per quos hoſtibus devictis triumphavit feliciter. *Lætabitur Rex noſter* Chriſtus; *& ſuper ſalutare tuum*, ſcil. ob ſalutem ipſi præſtitum, *exultabit vehementer. Deſiderium cordis ejus tribuiſti ei*, juxta quod ante precatus fuit. *Tribuat tibi ſecundum cor tuum*, ex voto ejus, & deſiderio, & *voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum.* v. 1. & 2. præſtando illi, quod & corde deſideravit, & labiis expetivit.

AFFECTUS II. Reſpicit myſterium, & beneficium Incarnationis, & unionis cum verbo. v. 3. *Quonium prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Non ſolùm votis, & precibus omnibus annuiſti, ut haberet, & quod petiit, & quod optavit; ſed prævertiſti etiam deſiderium, & orationem ejus, dando ei ipſo conceptionis momento infinitos theſauros, & bendictionem paternam dulcedinis, vel ut Hebr. bonitatis, in quo viſcera dulcedinis, & bonitatis paternæ in eum effudiſti, dum conceptus fuit de Spiritu Sancto, & per hypoſtaticam cum Verbo unionem

nem

gem infinitâ inſuper gratiâ, omnigenâ ſcientiâ infusâ, virtutûmque omnium complexione decoratus, quin ipſa etiam Dei viſione eſſentiali beatus. Quæ ipſo conceptionis inſtanti, ante omne deſiderium, & orationem obtinuit à Deo præveniente ſuâ cum bonitate,& dulcedine charitatis. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo, vel de auro perfecto*, ut in Hebræa habetur: Conſtituendo illum inſuper Regem, & Sacerdotem, quibus corona aurea velut inſigne regium, & ſacerdotale convenit, propter quæ *Chriſti* quoq; cognomen accepit, atq; his etiam officiis ab ipſa conceptione eum prævenisti.

III. AFFECTUS Euchariſticus eſt pro beneficio Reſurrectionis Chriſti. v. 4. *Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* q. d. paſſurus, & moriturus pro humani generis ſalute, glorioſam reſurrectionem, & vitam corpori ſuo, à Patre rogavit. Joh. 12. *Pater, ſalvifica me ex hac hora: Pater glorifica nomen tuum*, &c. teſte Apoſtolo ad Hebr. 5. *qui in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationéſq; ad eum, qui poſſit illum ſalvare a morte, &c. offerens exauditus eſt pro ſua reverentia*, & non ſolùm vitam, & reſurrectionem, ſed longitudinem etiam illius in æternum, ſive immortalitatem ſempiternam, & beatam conſecutus eſt. *Reſurgens enim ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 6.

IV. AFFECTUS exaltationem ad dexteram Patris poſt aſcenſionem glorioſam complectitur, & regnum univerſale in omnes ſive in Cœlo, ſive in terra, ſive apud inferos, qui omnes ſummâ cum veneratione ſe illi ſubſternunt, & ad glorioſiſſimum ipſius nomen adorabundi accurrent. Ut S. Joh. Apoc. 5. & S. Paul. ad Philip. 2. præclarè memorant; quæ verè *magna eſt gloria ejus* (ſeu infinita potiùs) *in ſalutari tuo*, quam in ſalute, quâ illum ſalvum feciſti, conſecutus eſt, quam æterno incremento illi conſervabis, & amplificabis. *gloriam, & magnum decorem*, vel immenſum honorem, *impones ſuper eum*, velut diadema regium longè ſplendidiſſimum, & pretioſiſſimum. v. 5.

V. gratulatorius AFFECTUS propoſitum ſibi habet beneficium illud, quòd Deus Pater omnem benedictionem, & gratiam: omnem ſalutem, & gloriam, & quidquid tandem beneficiorum obtinetur; per unum Chriſto Filio ſuo impertiatur, ut ipſe & caput, & exemplar, & cauſa ſit prædeſtinationis univerſorum ſive ad gratiam, ſive ad gloriam *juxta ſacramentum voluntatis ſuæ ſcil. Patris æterni, quo propoſuit in*

eo inſtaurare omnia in Chriſto, revocare ad unius capitis, ſcil. Chriſti imperium, quæ in Cœlis, & quæ in terra ſunt, tam Angelos, quàm homines, ut profundè S. Paulus Epheſ. 1. *Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi.* (Hebr.) *pones eum benedictionem.* Et ea propter etiam, *dabis ei in benedictionem*, ſeu facies, ut omnes illi benedicant; Unde *lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*, ex quibus infinitam quaſi lætitiam, gaudiúmq; accidentale, hæc bona conſecuturum percipiet in conſpectu, vel præſentiâ tuâ; vel unà cùm gaudio eſſentiali, quod in viſione vultûs tui conſiſtit, etiam hoc gaudio beabis.

VI. Gratiarum actionis caput eſt. *Quoniam Rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi non commovebitur.* v. 7. Quibus perennitas horum bonorum, vel ſtatus, isq; ſempiternus, & immutabilis indicatur, quo nunquam excidet. Quia nimirum fundantur in Dei immutabilitate, fidelitate, & miſericordiâ, in qua cùm Rex Chriſtus innitatur, & confidat (non in viribus humanis, quæ mutabiles ſunt) ſecurus in æternum manebit, & nunquam commovebitur. Nam, *qui confidunt in Domino ſicut mons Sion non commovebitur in æternum.* v. 124.

VII. Affectus gratiarum actionis ducitur ab officio Judicis univerſalis, & vindicta contra hoſtes: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.* v. 8. (Hebr.) *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos.* q. d. Cúmq; Pater æternus illum ſuper Judicem univerſalem vivorum, & mortuorum conſtituerit (*nam Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent filium.* Johan. 5.) Inveniet ultrix manus tua (ſiniſtra ſcil. hebraiſmo, quo nomen generis reſtringitur ad partem deteriorem) ſuper inimicos, & perſecutores tuos extenta, ad infligendas illis pœnas, quas ſuâ pervicaciâ commeruerant non credendo in te: quin etiam victrix, & potens dextera tua ad miſerendum peccata, & ad eos, qui te noverunt, ſed qualem agnoverunt, & crediderunt, non honorarunt, ſcil. peccatores, qui te coluerunt, inveniet, inquam, ad vindictam de iis ſumendam media.

Nam *pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* v. 9. quibus pœna hoſtium

[illegible] Chriſti deſcribitur. q. d. in tremendo illo judicio, quod tempus [illegible] ſeveriſſimi vultus tui, & indignationis, qua vultu maximè oſtendi- [illegible] mittes eos in flammas inferni, dicendo: *Diſcedite a me maledicti [illegible] æternum*, &c. Matth. 25. ad quas magnâ conſternatione con- [illegible], & irati Judicis voce, ceu fulmine perculſi præcipitabuntur, ibique tanquam clibanus æſtuans, aut velut ligna in ardentem fornacem inje- [illegible] conflagrabunt, & nunquam abſumendi devorabuntur: nec ſolum [illegible] incendio ſic conſumentur ipſi, ſed inſuper etiam *fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filiis hominum.* v. 10. poſteritatem eorum, & ſeros nepotes cum omni ſtirpe exſcindes, & ex hominum numero, ac conſortio exterminabis, quod in Judæis Chriſti hoſtibus expe- [illegible] probat.

Cauſam ſubdit: *Quoniam declinaverunt in te mala,* in te, inquam, [illegible] tuos, etſi innocentiſſimos machinati ſunt graviſſima tormenta, & pœnas ob impoſita falſa crimina, contra rectitudinem, & æquitatem declinaverunt, & injuſtè devoluerunt, aut detorſerunt. *Cogitaverunt [illegible]ilia, quæ non potuerant ſtabilire.* v. 11. & machinationes de te [illegible] impediendo molliti ſunt, quas in effectum deducere non va- [illegible] imbellè, Deo conatus eorum explodente, & ad nihilum redigente. Ps. 2. *qui habitat in Cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos*, [illegible] *eſt conſilium contra Dominum.* Prov. 21.

Ad ſummam calamitatum omnium hæc denique addetur, *po-* [illegible] *dorſum*, id eſt, deſtinabis eos ad ſola flagella, ut nihil ſint niſi dorſum, & toti pars flagellis expoſita, ac cribrum carnificinum, & plagarum area, ſegéſque. Vel juxta Theodor. & Euthym. fugitivos [illegible] toto facies dorſum fœdè ubique obvertere in fugam, id quod Judæis [illegible].

[illegible] tuis præparabis vultum tuum v. 12. tandémque ſic afflictos, & proſtratos coges vultum attollere ad reliquias tuas, ſeu electos, quos tibi reliquiſti, & de quibus intelligi poteſt illud. Rom. 9. *reliquiæ ſalvæ fient*, ut eos videant ad majorem calamitatem ſuam in omni [illegible], & gloriâ; ſe verò in ſumma miſeria conſtitutos. Unde [illegible] dolor illis oborietur quemadmodum dives Epulo. Luc. 16. *[illegible] oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à [illegible] & Lazarum in ſinu ejus.*

Clau-

Clauditur demùm Pſalmus, & Euchariſtici affectus ſpeciales, affectu gratulationis generali per ſanctam acclamationem ad Chriſtum Regem: *Exaltare, Domine, in virtute tua.* Eja, perge age potentiâ, & virtute tuâ de hoſtibus tuis ſic triumphare. Vel declara vim, & poteſtatem tuam dilatando imperium tuum quaquaverſum per omnes gentes, & adverſariis ſanctiſſimi nominis tui opprimendis. *Cantabimus & pſallemus virtutes tuas.* v. 13. Interim nos ſervi tui à te redempti gratulabimur tibi de tua gloria, & virtute, eámq; voce, & inſtrumentis, nec non animo, & opere decantabimus.

ORATIO.

Deus, qui unigenitum filium tuum Divinitatis benedictionibus, & dulcedine præventum, & delibutum ſummi Regis, & Sacerdotis honore exornaſti, & poſt paſſionem à mortuis reſuſcitatum æternâ gloriâ, & immutabili decore in Cœlum aſcendentem coronaſti, & triumphantis, militantiſq; Eccleſiæ Caput, nec non vivorum, mortuorúmq; judicem, vindicémque hoſtium conſtituiſti; Concede nobis de tantis magnalibus, ac beneficiis ita illi gratulari, nobis gaudere, tibique gratias agere in hac peregrinationis noſtræ via, & cum eo collætari, tuámque, & illius magnificas virtutes, & gloriam decantare in patria æternùm valeamus. Amen.

IN PSALMUM XXI.

Deus, Deus meus, &c.

MEDITATIO XXIII.

Repræſentatio paſſionis Chriſti Deo Patri facta, ſive à Chriſto ipſo, ſive ab Eccleſia, ejúsque fidelibus in perſona Chriſti.

Argumentum Pſalmi.

Chriſtus in cruce hujus Pſalmi initium clarâ voce inchoavit, & reliquum poſt, ſi S. Juſtino Philoſopho, ac Martyri credimus, meditando cum affectibus diviniſſimis abſolvit tribus horis, quibus in ea pependit. In eo expoſitis enucleatè, quæ

quæ paſſus fuit Patrem precatur opem, celeríemque reſurrectionem, pollicitus hoſtiam Euchariſticam ab omnibus fidelibus participandam, & laudem Dei à ſe redivivo, ſuiſque toto orbe propagandam. Pſalmus ita totus propheticus eſt, ut ſenſus ei alius aptari ſine temeritate non poſſit.

Punctum I.

COnſidera in genere capita quædam ob, quæ paſſio & tormenta Chriſti acerbiſſima extitere, & ut talia, vel repræſentata à Chriſto fuere, vel à nobis repræſentari Deo Patri poſſunt.

Primum Caput eſt, quod ab omni interno ſolatio, non humano dico, ſed divino etiam deſtitutus fuerit in paſſione ſua Chriſtus, quo S. Martyres in cruciatibus ſuis perfuſi, conſtanti eos, lætóque animo pertulerunt. Unde meritò queritur *Deus Deus meus.* (Deum humilimè in perſona ſervi non Patrem compellans) *reſpice in me, quare me dereliquiſti*, v. 1. q. d. velut iratus à me faciem tuam avertiſti, & omni ſolatio deſtitutum quaſi à te projeciſti in abyſum dolorum, & cruciatuum horribiliſſimorum, cum tamen eâdem tecum hypoſtaſi intimè unitus maneam? reſpice, inquam, hos unigeniti Filij tui tantos cruciatus, & accepta eos in ſacrificium placationis pro humano genere oblatos.

Secundū Caput ſubditur: *Longe à ſalute mea verba delictorū meorum.* q. d. nec mirum eſt tantos me dolores acerbitatéſque ſine ſolatio tolerare, quantos nemo animo comprehendere, nedum verbis eloqui poſſit: cum ſcelera univerſi generis humani, velut ſi mea forent, in me ſuſceperim abluenda ſanguine, & ſupplicio meo, adeóque quam ſinguli pro ſuis peccatis pœnam ac tormenta ſubire merebantur prope infinita ob offenſam Dei infiniti, ego ſolus pro univerſis ſuſtineam.

Hinc *verba delictorum*, delicta (hebraiſmo) quæ mea quaſi, in me ea ſuſcipiendo feci, *longe à ſalute* vel liberationis ſpe, remota ſunt, ſed neceſſe eſt, ut patiar hæc, & moriar, ſi expurgare volo. *Poſuit enim in eo Deus iniquitates omnium noſtrorum*, Iſ. 53. *& eum, qui non noverat peccatum, peccatum*, hoſtiam pro *peccato fecit*, 2. Cor. 5. ideoque non convenimus delicta quæ porta, & ſalus, quam opto, & pro qua oro. *Ecce quem oravi* Pater, *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Ioh. 1.

Tertium Caput, ex quo etiam magnitudo & multitudo cruciatuum ex magnitudine & multitudinem ſcelerum ſuſceptorum colligi poteſt,

eſt: quod licet diu noctúque ad te Deum Patrem meum, unigenitus Filius tuus, & tuæ divinitatis conſors clamem, & valida oris voce, & ingenti cordis affectu, tum in horto, vel monte Oliveti noctu; *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. tum in Cruce de die, non exaudiar tamen. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte! & tamen non ad inſipentiam mihi.* (v. 2.) reputandum eſt.

Etſi enim ſciam me non exandiendum, ut tormenta, & mortem evadam, exaudiendus tamen ſum quoad principalem intentionem, ut genus ſc humanum redimam, qui effectus tanti valoris precium exigit paſſionis meæ, quod peccato æquale ſit, & commenſuratum. Quod eſt.

Quartum Caput, ſcilicet ut eum in finem acceptet paſſionem meam Deus. Inſuper etſi non exaudiar, ut liberer à morte, exaudiar tamen, ut non detinear in morte, ſed glorioſè in vitam immortalem reſurgam, ſi quidem: *: Tu autem in ſancto habitas laus Iſrael,* ſanctiſſimus, inquam, juſtiſſimus, & æquiſſimus, uti verè es, ita agnoſceris, & laudaris ex paſſione, & ſuppliciis meis, tam à cœlesti triumphantis Eccleſiæ Jeruſalem, quàm à terreſtri militantis, qui ad æqualitatem ex juſtitia ſtricta vis pro peccatis generis humani me ſatisfacere divinæ juſtitiæ tuæ, per tormtnta, & paſſionem meam.

Quintum Caput, inde eruitur, quod videret Chriſtus paſſionem ſuam quantumvis acerbiſſimam effectu carituram apud plurimos, Iſraelitas præſertim, & gentem ſuam Judæorum, quæ Deo olim gratiſſima fuerat, quam tot miraculoſis victoriis ſæpe liberaverat, cui Meſſiam promiſerat ex eorum ſanguine naſciturum, in quoſpera verant olim Patres eorum, & pro quo mittendo tantis deſideriis ad Deum clamaverant, & in quem etiam credendo ſalvi facti ſunt, qui tandem ad eoſdem miſſus, ut ipſe teſtatur. Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierant domus Iſrael*, apud eoſdem ſolos vitam exegit prædicando, docendo, miracula patrando *pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes*, Act. 10. de gentibus ferè prætentis aut fimbriis tenùm quaſi ex occaſione inſtructis, pro quibus, & in quorum conſpectu, tandem crucifixus, & mortuus fuit, & hi tamen eum repudiarunt, imò morte affecerunt crudeliſſima, ex qua fructum ſperatum

non

non ſolum conſecuti non ſunt, ſed magis etiam obdurati fuerunt. Apud hos igitur labores, paſſionem, & mortem ſuam nihil proficere, dolori omnino acerbiſſimo illi fuit, & in immenſum paſſionis illius acerbitatem exaggeravit, idque ratione multò potiori præquàm Apoſt. Paulus, qui Rom. 4. ſimilem dolorem ſuum ex eadem cauſa accipiens ait: *Triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ipſe anathema eſſe, à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legis latio, & obſequium, & promiſſa, quorum Patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.*

Atq; huc referri videntur. v. 4. 5. 6. *In te ſperaverunt Patres noſtri. ſperaverunt, & liberaſti eos ad te clamaverunt, & ſalvi facti ſunt, in te ſperaverunt, non ſunt confuſi*, ad quorum Filios velut verus Meſſias illorum tot ſæculis optatus, & expectatus miſſus, & ab iis receptus non ſum. *Nam in propria venit, & ſui eum non receperunt.* Joh. 1. ſed repudiatus, & tanquam Dæmoniacus Samaritanus, blaſphemus &c. habitus. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*, id eſt, velut Catharma, & poſt noviſſimus virorum, & maleficus æſtimatus.

Affectus oblationis.

ASpice pie Pater, piiſſimum, filium pro me tam impia paſſum, reſpice clementiſſime Rex, quis patitur, & reminiſcere benignus „ quæ, & pro quo patitur. S. Aug. c. 6. medit, pone tam acerbam, & igno- „ minioſam paſſionem illius inter peccata mea, & juſtitiam tuam, & miſerere mei.

Punctum II.

COnſidera in particulari non nulla, à S. David in Chriſti perſona recenſita, & prædicta, quæ vel in honore, & exiſtimatione, vel in re, vel in corpore, vel in anima, aliſive bonis perpeſſus eſt Chriſtus. Et primùm contra honorem irriſiones, exprobrationes, contumelias blaſphemias &c. v. 7. *omnes videntes me deriſerunt me* : omne inquam hominum genus, & ſtatus tam ſacerdotes, & ſcribæ, quam laici, &

plebs, tam principes, & nobiles, quàm mediaſtini, & vulgus: &c. *Locuti ſunt labijs (blaſphemis) & moverunt caput*, quæ expleta ſcribit S. Lucas cp. 23. *ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum principes cum eis.* Et infra, *illudebant autem ei, & milites*. S. Math. cap. 27. *prætereuntes blaſphemabant eum moventes capitâ ſuâ, & dicentes. Vah! qui deſtruis Templum Dei, & in triduo illud readificas, ſalva temetipſum, ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.* Pergit S. Vates. v. 8. *ſperavit in Domino, eripiat eum, ſalvum faciat eum. quoniam vult eum*, ut ipſe jactitat, quæ iiſdem pene verbis, (ut admirandam Prophetæ illuſtrationem agnoſcas) accidiſſe refert. S. Matth. eod. cap. v. 43. *Confidit in Deo liberet nunc, ſi vult eum. Dixit enim: quia Filius Dei ſum.* Harum porrò gravitatem contumeliarum blaſphemiarúmque expendit, & ponderat Propheta, ut quod fierent contra innocentiſſimum, & ſanctiſſimum, imò contra Perſonam, & Majeſtatem Divinam, *quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre.* Tu autem (pro quoniam ut S. Hieron.) es, qui me nec modo naturali conceptum in peccato originali, ſed à Spiritu Sancto, nec genitum à Matre interveniente viri operâ, & concurſu gravida, ſed à Virgine nequaquam reſeratis Virginei pudoris clauſtris, ex materno utero, miraculo ante non viſo, nec cogitato extraxiſti ſupra Naturam, abſquè omni labe peccati innocentiſſimum, & talem conſervaſti, juxta S. Hieronymi lectionem, *propugnator meus ex utero, ſpes mea ab uberibus Matris meæ.* v. 9. & unicum à primis incunabulis perfugium, quò ab omni labis periculo tutiſſimus perfugi, ſingulari tuâ protectione conſervatus, & ad omnem ſanctitatem profectus. *In te projectus ſum ex utero* tuâ hypoſtaſi divinâ ab ipſa conceptione in utero Matris ſuſtentatus, & in eam quaſi projectus ſum, unde de Divinitate mihi per te communicatâ velut meâ gloriari poſſum, quod *de ventre Matris meæ Deus meus es tu*, quæ omnia efficiunt, ut illæ violationes honoris, & exiſtimationis contra innocentiſſimum, & ſanctiſſimum, imò Deum ipſum factæ, infinitæ quaſi ſint, & læſæ Majeſtatis Divinæ atrociſſimæ injuriæ.

Ne diſceſſeris à me, quoniam tribulatio proxima eſt, ità juxta textum hebræum, in unum verſiculum colliguntur hæc priora verba, *ne diſceſſeris*, quæ latinus ſuperiori verſiculo ſubnectit, ſenſu utroque modo bono. q. d. quandoquidem ita in ſolidum tuus ſum à primâ conceptione, & tu ſingulari providentia curam mei geſſiſti, ideo jure à te requiro, ut

non

non diſcedas à me, præſertim cum inſtet graviſſima, & præcipua tribulatio mea, quam patiar in ponenda vita mea pretioſiſſima, Dei, inquam, & ſubeunda morte omnium acerbiſſima, ignominioſiſſimáque.

Quâ *Bonò Altero* Vitæ meæ ſpoliabor, quod omnium eſt præſtantiſſimum, cujus metu etiam in horto factus in agonia ſanguinem ſudavit. Hanc ergò graviſſimam, & ultimam tribulationem nunc inſtantem reſpice Deus meus & in hac ne diſceſſeris à me, non ut ab ea me liberes; ſed fiat ſanè voluntas tua in hac ſubeunda, ſed ut non detinear in ea, ſed morte meâ mortem perimam in vitam immortalem reſurrecturus. *Quia non eſt alius, qui adjuvet* (v. 11.) in hâc ſuperanda.

Tertium tribulationum, & tormentorum genus fuit circa Corporis bona, ſeu in perferendis cruciatibus, & immaniſſimis corporis doloribus. Hos deſcribit à ſævitia, & immanitate tortorum, & hoſtium ſuorum; comparando eos vitulis, tauris, canibus, & Leonibus. v. 12. *Circumdederunt me* in captivitate, flagellatione, &c. ſuppliciis, *vituli multi, tauri pingues obſederunt me*, ſcil. Milites, Lictores, Judæi, &c. *aperuerunt ſuper me os ſuum* Pontifices cum plebe in condemnatione ad crucem clamando: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Johan. 19. *ſicut Leo* hiante oris rictu, & rugitu formidabilis in prædam irruens, eámq; *rapiens*, & rapiendo, ipſa dilaniandáq; terribiliter ſuper eam *rugiens*, ut Pontifices fecerunt, & Phariſæi in Chriſti crucifixione, *Vah! qui deſtruis templum*, &c. Matth. 27. *alios ſalvos fecit, ſalvum faciat ſemetipſum.* &c.

Externis Corporis doloribus internos animi interſerit, quibus & potiſſimum externi illi augentur, & Quartum Genus cruciatuum conſtituunt. *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* v. 14. quando ſcil. in horto Matth. 14. *Cœpit Jeſus pavere, & tædere*, & præ amaritudine calicis exhauriendi viribus deſtitui, vigórq; omnis tum corporis tum animi non ſolùm diffluere, ita *ut Angeli de cælo confortantis* operâ opus habuerit; Verùm *etiam in agonia facti ſudor ſicut guttæ ſanguinis in terram decurrerit.* Luc. 22. & oſſa, ſeu robur animi enervatum, ſolutúmq; quaſi fuerit, quomodo Joſue 7. dicitur: *Pertimuit cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens* ab igne tormentorum præ timore eorundem,

in medio ventris mei ſeu internis in viſceribus meis. *Aruit tanquam teſta virtus mea*, vigor, inquam, vitaliſq; ſuccus præ mœrore contabuit (*ſpiritus enim triſtis exſiccat oſſa.* Prov. 17.) *& lingua mea adhæſit faucibus meis*, dum in cruce ſanguine omni profuſo, & nativi humoris defectu, ſiti graviſſimâ laborans, eandem teſtari voluit, quando exclamavit, *ſitio.* Joh. 19. Linguâq; palato adhæſit, ut vix eloqui verbum poſſem. *Et in pulverem mortis deduxiſti me*, q. d. animi triſtitiâ, & anguſtiis ad ipſam mortem deductus ſum, quam in horto diſcipulis aperuit. Mat. 26. Marc. 14. *Triſtis es anima mea usque ad mortem*, unde & in agonia factus dicitur. Luc. 22.

Redit ad externos cruciatus. v. 17. *circumdederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me*; ſive in flagellatione mea furioſi, & impudentes Laniatores inſtar rabidorum canum cinxerunt me, ſive in accuſatione coram Pilato, ſive coram Principibus Sacerdotum in Concilio malignantium Scribarum, & Phariſæorum, falſis criminationibus id egerunt, ut morti traderer. Unde v. 18. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Quibus Crucifixio Chriſti crudeliſſima deſcribitur, quâ clavis trabalibus obtuſis diviniſſimæ manus, pedéſq; Domini terebrati in Cruce, extenſúmq; ita corpus totum fuit, ut numerari omnia corporis oſſa poſſent.

Deniq; ſic nudum toto corpore ſic confoſſum, & vulneratum, ſic laxatum oſſibus, petulantibus oculis contemplati ſunt, paſcentes quaſi curioſitatem ſuam hoc triſti ſpectaculo, non ſolùm absq; compaſſione, ſed cum riſu etiam atq; ſannis, quæ novi doloris, tormentiq; materia fuit, quam expreſſit S. Lucas cap. 33. cit. *ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum Principes cum eis.*

Ad quintum genus dolorum Chriſti ſpectant ea, quæ paſſus eſt in bonis externis, pauperculis veſtimentis ſuis, tunica ſcil. inconſutili à S. Matre texta, & pallio, quibus neceſſitas eum uti cogebat, quæ in Crucifixione direpta fuerunt. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Quæ Propheta refert, quaſi non tam ex eo Johannes cap. 19. quàm contra ex S. Johanne Propheta deſcripſiſſet: *Milites ergò cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes*, &c. *& tunicam, erat autem tunica inconſutilis, dixerunt ergò ad invicem, non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit.*

Sextum genus paſſionis, & cruciatuum Chriſti à privatione, & orbitate amicorum, & conjunctorum ſumi poteſt, à quibus ſe longè poſitum, & relictum vidit in cruce diſcipulis fugâ dilapſis, cæteris timore Judæorum conſternatis, pauculis cum Matre Jeſu S. Johanne, & Magdalena pone crucem, & eminus non ſine dolore Chriſti perſtantibus, ut S. Lucas refert cap. 23. *ſtabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres, quæ ſecutæ erant ex Galilæa, hæc videntes*, unde ad Deum converſus, ut ſibi ſuorum ſolatio deſtituto præſtò ſit, orat v. 20. *Tu autem, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice*, ſeu feſtina, ut Hieron. legit.

Affectus oblationis, & repræſentationis
ex S. Auguſtino cit. medit.

„ INtuere cœleſtis genitor dulcem natum tam diverſis, & exquiſitis „ tormentis excruciatum, cerne manus innoxias pio manantes ſan„ guine. Vide corpus totum flagris conciſum, & in cruce extenſum, „ conſidera inerme latus crudeli perfoſſum cuſpide. Candet nudum pe„ ctus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lu„ mina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent mar„ morea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis unda. Aſpice dilectæ ſo„ bolis humilitatem, & miſerere ſuper informi plaſmatis debilitatem; „ ſpecta gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, „ quæ mea ſit ſubſtantia. Conſpicare Dei hominis pœnam, & relaxa „ conditi hominis miſeriam, vide Redemptoris ſupplicium, & redem„ pti dimitte delictum.

Punctum III.

EXpende fructus paſſionis, quos in Chriſti perſona David reliqua parte Pſalmi hujus deſcribit, dum illum expoſitis ſuis cruciatibus ad Patrem converſum per orationem inducit, eidémq; illos vel repræſentare facit, vel ad eos ab illo exorandos paſſionem, mortémq; pro iis, ut acceptet, ſupplicat, victoriâ contra hoſtes, glorioſáq; reſurrectione conceſſa. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice.* v. 20. retribuendo mihi pro iis quæ patior, effectum deſideratum redemptionis generis humani, & acceleratam ad vitam immortalem, morte obitâ, reſurrectionem; ſic enim te de-

te defenſore perfectè liberabor à perſecutione, & injuria inimicorum, qui cum ad ſummum malitiæ jam pervenerint, tuum erit defenſionem mei ſuſcipere.

Erue à framea Deus animam meam, id eſt à morte, cujus inſtrumentum eſt gladius, in morte præſertim violenta, qualis Chriſti fuit, *& de manu canis* Canon (per ſynecdochen ſingulari pro plurali poſito) hoſtium, inquam, meorum caninâ rabie, & invidia efferatorum. *Unicam meam.* v. 21. ſeu animam, ſeu vitam, unicè tibi, mihique charam, ut par eſt, & velut Dei ipſius incarnati pretioſiſſimam.

Salva me ex ore Leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam: Afflictum terræ & humiliatum extremè ex hoſtium, Judæorum, Pontificum, tortorúmque omni leone, ferociſſimâque quavis beſtia, qualis eſt unicornis, immaniorum faucibus, & rictu, & cornibus, id eſt, truculenta poteſtate, efferáque invidia me vindica in vitam immortalem.

Inde jam fructus effectusque nobiliſſimi hi proficiſcuntur. v. 9. I. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* v. 23. ut mundus à te univerſus convertatur, nam poſt Reſurrectionem mittam *Apoſtolos in mundum univerſum prædicare Evangelium*, ſicq; per eos narrabo nomen ſeu notitiam, & gloriam Divinitatis tuæ fratribus meis, hominibus omnibus, quorum naturam aſſumpſi, ſeu Chriſtianis, qui Filii tui facti ſunt adoptivi, & cohæredes mei, atque ita non in Angulo Synagogæ, ſed in medio Eccleſiæ magnæ ex gentibus, & Judæis conflatæ, & toto orbe diffuſæ, laudabo te per eoſdem Fratres, & miniſtros meos. Quo ſenſu hunc locum adducit, S. Paul. Hebr. 2. hortando eos in hæc: *Qui timetis*, ſeu agnoſcitis, & colitis *Dominum, laudate eum, univerſum ſemen Jacob, glorificate eum*, ſeu Iſraëlitæ omnes, non tantùm ſecundùm ſemen, ſed etiam ſecundùm promiſſionem, ſeu gentes ad fidem converſæ, de quibus Apoſt. Rom. 4. & ad Gal. 3. vel tam Judæi, quos ſemen Jacob appellat, à quo prognati ſunt, quàm gentiles converſi, quos ab animi virtute, & Religione timentes Deum denominat, quo modo S. Petrus Act. 13. *Viri*, inquit, *Iſraëlitæ, & qui timetis Deum*, omnes, inquam, gloriam Dei agnoſcite intellectu, complectimini voluntate, & affectu, verbis, Hymniſq; concelebrate, factis, & vita extollite. v. 24.

Timeat eum omne ſemen Iſraël; rationem reddit, *quoniam non ſprevit*,

vit, neque deſpexit deprecationem pauperis, qualis in paſſione fuit, & cruce, cùm non haberet, ubi caput ſuum reclinaret moribundus.

Nec avertit faciem ſuam à me, & cum clamarem ad eum exaudivit me v. 26. *Apud te laus mea ie Eccleſia magna: Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* v. 27.

Hic alter fructus, & effectus paſſionis Chriſti eſt: Nimirum ſacrificium incruentum, repræſentativum cruenti illius in cruce peracti, quod unà cum hymnis, & laude Dei, & participatione ejuſdem à fidelibus, publicè toto orbe Chriſtiana Eccleſia Deo jugiter offert. Hæc enim dicitur, eſtq; Eccleſia magna ex omni hominum genere ubiq; collecta, & diffuſa; hæc vota tum laudum, & labiorum, tum holocauſtorum, & hoſtiæ illius Deo gratiſſimæ, quæ in perſona Chriſti à Miniſtris, & Sacerdotibus illius æterno Patri redduntur in conſpectu, & frequentiâ fidelium Deum timentium, id eſt, vero cultu, religionéq; adorantium, atq; colentium.

De hoc ſacrificio, & hoſtiâ verum eſt, quod v. 28. ſeq. dicitur: *Edent pauperes, & ſaturabuntur*; pauperes, inquam, ſpiritu, qui ſuam paupertatem, & egeſtatem agnoſcunt, modeſti, atq; manſueti, ex hoc Corporis, & Sanguinis Domini ſacrificio Euchariſtico comedentes, gratiis, boniſq; cœleſtibus ſaturabuntur, juxta quod cecinit Virgo Dei parens Luc. 1. *eſurientes implevit bonis*, & laudabunt Dominum tum privatim, ſecú in animo gratias agendo pro tam inſigni munere, tum publicè hymnis, & pſalmodiis per preces Canonicas, quibus ſepties in die, ac nocte cum Pſalte ex Pſalmis ejus laudem Deo dicunt in Eccleſia magna. *Omnes* illi, qui *requirunt eum*, eſuriendo, & ſitiendo hunc divinum cibum, & potum magnâ cum aviditate. Hinc conſequuntur, ut *vivant corda eorum in ſeculum ſeculi*, vitâ gratiæ in hoc ſæculo, & vitâ gloriæ in ſæculum ſeculi, *qui* enim *manducat hunc panem, vivet in æternum*. Joh. 6.

Tertius paſſionis Chriſti fructus, & effectus v. 29. deſcribitur: *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ:* converſio nimirum gentium, quibus Evangelium Chriſti per Apoſtolos, Apoſtoliciſq; viros annunciabitur, de quo ſupra v. 23. Ex hac enim prædicatione mortales, qui Dei ſui obliti, & erroneis opinionibus inducti, rebus creatis, & falſis Diis, cultum verò Deo debitum dederunt, doctrinâ, & prædicatione Apoſtolorum excitati reminiſcentur veri Dei Creatoris ſui, & beneficiorum ejus, & ad eum, ſinceráq; Religionem, & pietatem

convertentur, toto orbe, cunctiſq; finibus ejus; non quidem ſinguli generum, ſed genera ſingulorum, adorabundi procidendo ante eum, & profitendo ipſum eſſe Regem, Deum, & Dominum univerſorum, non tantum Judæorum, ſed etiam gentium, in quibus vera converſio conſiſtit, quæ ſeqq. vv. 30. & 31. ſignificantur: *Et adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium: quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Et non tantum pauperes, de quibus ſupra v. 29. *Edent pauperes*, ſed etiam potentes, divites, Reges, Imperatores, &c. qui *pingues terræ* phraſi ſcripturæ appellantur, quod terrenis bonis abundent, ſacrificia offerent ad proteſtandum ſummum ejus dominium, & munera cum SS. tribus Magis, & de illo S. Euchariſtiæ ſacrificia participabunt verâ fide Deum in illo adorando, *Manducaverunt, & adoraverunt* (propheticâ certitudine præterito pro futuro poſito) *omnes pingues terræ, in conſpectu ejus cadentes, omnes qui deſcendunt in terram*; ſeu mortales in terram, ex qua formati ſunt, redituri, Chald. *qui deſcendunt in domum ſepulchri.*

Quartus tandem fructus eſt Regni Chriſti, & fidelium ipſi cum devotione adhærentium ad Dei Patris gloriam nunquam interitura perennitas, juxta promiſſum Gabrielis Luc. 1. *Et regni ejus non erit finis*, & Daniel. 7. v. 14. *Et dedit illi poteſtatem* (ſc. filio hominis antiquus dierum) *& honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſervient; poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* & v. 27. *Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne Cœlum, detur populo ſanctorum altiſſimi, cujus regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſervient ei, & obedient.*

De hoc ergò intelliguntur v. 33. & 34. *Et anima mea* (ſc. Ego) *illi vivet*, ad ejus gloriam, & laudem, *& ſemen meum ſerviet ipſi*: Eccleſia, inquam, fidelium meorum, quæ eſt poſteritas, & ſemen meum eorum ſc. *qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Joh. 1. hæc poſteritas mea honorabit, & ſerviet illi cum cultu divino, qui apud eos æternùm vigebit: *Annunciabitur Domino generatio ventura*, id eſt, accenſebitur Domino hæc poſteritas mea, velut hæreditas, & poſſeſſio ejus, cohæredes ſc. mei, regni cœleſtis, & adoptivi filii, ac fratres. Vel (ut Hebr.) *annunciabitur Dominus generationi venturæ*, cui etiam *Cœli*, vel cœleſtes, apoſtoliciq; homines *juſtitiam ejus*, & magnalia Dei *annunciabunt populo qui naſcetur, quem fecit*

Dominus, id eſt, naſciturıs in finem usq; mundi populis, & poſteris meis prædicabunt divinas perfectiones, & attributa, & ſanctitatem legis Evangelicæ, quos Deus per fidem, & gratiam juſtificantem regeneratos, ſibi peculiariter cooptavit, & in Eccleſiam ſuam convocavit.

Atq; hic paſſionis Chriſti fructus eſt, nempe tum regni Chriſti tum laudis divinæ ab Eccleſia, & fidelibus ipſius nunquam interitura perennitas. Ut Iſa. cap. 53. prædixit: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

Affectus admirationis, congratulationis, & gratitudinis ex Cant. Eccleſiæ.

O *Mira circa nos*, in paſſione, & morte Filii tui æterne Pater, *tuæ pietatis dignatio! O ineſtimabilis dilectio charitatis! ut ſervum redimeres, filium tradidiſti! O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! O pretioſa in conſpectu Domini mors ſancti ſanctorum*, quæ beatam nobis immortalitatem, & regni gloriam æternam Chriſto comparuit! O verè beata mors, qua devicta mors, infernúsq; triumphatus, & Eccleſiæ Chriſti regnum toto orbe conſtitutum eſt. Mors, *in qua terrenis cæleſtia, humanis divina junguntur.*

ORATIO.

Reſpice æterna Pater in faciem Filii tui, qui ab omni ſolatio à te derelictus, pro expiandis mundi indigni, & ingrati delictis, tam atrocia tormenta ſuſtinuit: Reſpice illius internos, externósq; cruciatos, & angores animi, dolores corporis, innocentis injurias, contumelias divinæ perſonæ amicorum abſtractionem, bonorúmq; cæterorum direptionem; mortem demq; in cruce acerbiſſimam, ignominioſiſſimámq;. Reſpice etiam ſuper hanc familiam ejus dilectiſſimam Eccleſiam, pro qua idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit hæc ſuſtinere. Fac illum ob præclaros paſſionis ſuæ effectus ad dexteram tuam glorioſè reſidendo, æternúmq; regnando nobiſcum gaudere, téq; ab iis quos pretioſo ſanguine ſuo redemit in Eccleſia magna tam militante quàm triumphante hic, æternúmq; laudari. Amen.

IN PSALMUM XXII.

Dominus regit me, &c.

MEDITATIO XXIV.

ENCOMIUM,

Seu

Carmen paſtorale, de ſuavi, & paterna DEI erga ſuos Providentia.

Argumentum Pſalmi.

Hoc paſtorali Carmine Dei Providentiam, erga ſe (ſenſ. lit.) enarrat S. David, extractus *de poſt fœtantes*. Pſ. 77. & ex paſtore evectus ad regias lautitias. Eccleſia verò (ſenſ. myſt.) teſte S. Hieron. Chriſtum paſtorem ſuum collaudat, ejúsq; providentiam, ſub eadem allegoria paſtoritiæ directionis. Ea, ut Bellarm. bene obſervat, his continetur. 1. Paſcuis pinguibus. 2. Aquis puris. 3. Reductione, ſi fortè ovícula erraverit. 4. Deductione per vias commodas. 5. Defenſione contra lupos, & alios hoſtes. 6. Refocillatione in duris, & aſperis. 7. Deniq; deductione ad quietem evoluto die. Eandem Anima etiam devota conſiderare erga ſe poteſt in tribus potiſſimum. 1. In proſperis. 2. In adverſis. 3. Denique in deductione poſt hanc vitam, ad vitam, & gloriam æternam, quæ tribus ſeqq. punctis proponuntur.

Punctum I.

CONſidera Dei providentiam, & ſuaviſſimam directionem, quâ ſuos inſtar paſtoris oviculas paſcit, providendo media ad ſalutem, & perfectionem efficaciſſima, & ſuaviſſima, ut meritò gratulari ſibi de iis anima poſſit lætabunda. *Dominus regit* (græce) *paſcit me*. Paſtor, inquam, & ſapientiſſimus, & potentiſſimus, & optimus; ut omni ſolicitudine ſepoſitâ, magnâ confidentiâ in illum, dicere poſſim: *nihil mihi deerit*.

Inter media autem paſtoralis curæ eſt Primum *in loco paſcua*, id eſt, in regione herboſa, ſeu pinguibus, lætisq; paſcuis *ibi me collocavit*. v. 1. paſcua porrò illa ſunt 1. quæ Deus promiſit apud Jer. 3. *Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ.* Cognitio, inquam, Dei, fideiq; myſteriorum, nec non aliarum virtutum divinarum, quibus in rebus pertinentibus ad ſalutem, & perfectionem propriam, Deiq; amorem inprimis, & cultum, illuminatur intellectus, & inflammatur affectus, per conciones, meditationes, lectionem, inſpirationem, &c. hoc enim cœleſte illud pabulum eſt, de quo Chriſtus Matt. 4. *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

Alia paſcua dici poſſunt *Eccleſiæ Sacramenta*; quæ hoc Pſalmo enarrare ſacer Vates videtur, & prædicere per Chriſtum inſtituenda: 1. *Baptiſmum* quidem per hæc: *Super aquam refectionis educavit me*, id eſt, ut S. Auguſt. ait, *ſuper aquam Baptiſmi, quo reficiuntur, qui integritatem virium amiſerunt*. 2, Sacramentum *Pœnitentiæ*: *Animam meam convertit*, per peccatum poſt Baptiſmum commiſſum, à Deo averſam. 3. *Confirmationis* verò; *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis* (propter fidem) *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* 4. Sacramentum *Euchariſtiæ: Paraſti in conſpectu meo menſam*, &c. 5. *Ordinis: Calix meus, quàm præclarus eſt*, &c. 6. Extremæ unctionis: *Impinguaſti in oleo caput meum.* 7. Matrimonii, vel individuæ, & perpetuæ conjunctionis: *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Utcunq; probabiliter illa quidem.

Secundum providentiæ paſtoralis medium. *Super aquam refectionis educavit me*, ad ſalubres, & pinguefacientes, ac placidè fluentes aquas enutrivit me (græcus, & hebraicus textus habent) *ſuper aquas quietas, vel quietis*, ubi oves in umbra quieſcant ad lenem revuli ſtrepitum, quæ eſt gratia Dei, devotionis præſertim, & amoris Dei, quâ ardor, & ſitis concupiſcentiarum noſtrarum extinguitur, dulciq; guſtu anima ita refocillatur, ut ſub umbra divinæ protectionis ſuaviter conquieſcat; *Qui enim biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum*, ait Chriſtus. Ioh. 4. guſtato enim ſpiritu, deſipit omnis caro.

Tertium, *Animam meam convertit*, ut ſi fortè aberraverit interdum, velut ovicula à caulis, mox bonus paſtor eam reducat, nec ſinat in errore perſeverare, quod proprium, & electorum, ut cum S. Petro & S. Thoma, & Apoſtolis egit.

Quartum eſt progreſſus in via præceptorum, & conſiliorum, & perfectionis. *Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ*, ſuavi gratiæ ductu me promovendo, incitando ſibilo, & dulci cantu inſpirationum, alliciendo ad ſui ſequelam, illuſtrando intellectum inflammando voluntatem, removendo occaſiones malas, ſuggerendo bonas, torrendo pœnis, alliciendo præmiis, aliiſq; innumeris modis, quos ingenioſus dulcis paſtoris amor erga oviculas in promptu habet, nam ex illo hæc agit, non propter merita noſtra, ſed *propter nomen ſuum, ut not as faciat divitias miſericordiæ ſuæ, atq; in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, ut inquit, Apſtolus Eph: 1.

Affectus gratiarum actionis, & reſignationis.

O Dulciſſime animarum paſtor, quas tibi laudes & gratias referam pro innumeris paternæ providentiæ tuæ ſignificationibus? Tuo ductui paſtorali me committo penitus, ſcio nihil mihi deerit, ſi tu me paſcas, & regas.

Punctum II.

COnſidera eandem ſummi paſtoris providentiam erga electas oviculas ſuas in adverſis, quam demonſtrat.

1. *Specialis cura* erga illas, ſcil. *peculiari modo* illis aſſiſtendo, favendo, contutando: de qna, Sap. 3. dicitur *juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*, hac freta ovicula Chriſti per umbroſas, cæcaſq; valles per obſcura nemora, per luporum, & rapacium ferarum latibula, aliaq; periculis lanienæ expoſita loca viam carpens, ſuo comite paſtore duntaxat, dicere cum Propheta poteſt: *Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. In deſolationum tenebris, in tentationum periculis, in adverſitatun anguſtiis, quæ mortem ipſam adumbrent, animam obfuſcent, ipſam ancipitem ac dubiam de ſalute quaſi reddant, in his ſecura, & intrepida progreditur ſciens adeſſe eum ſibi cui nihil reſiſtere poteſt. Nam, *ſi Deus pro nobis quis contra nos*. Rom. 8.

Huic accedit geminum alterum in adverſitatibus tum præſidium, tum robur, & ſolatium: Virga, & baculus paſtoralis: Virga quâ vel errantes oviculæ diriguntur, vel certiùs ac ſecuriùs deducantur, & baculus ferro præfixus, quo defenduntur, & quo fulciuntur. *Virga tua, & baculus tuus*

ipſa me conſolata ſunt. v. 5. per virgam paternam correptionem, aut viſitationem, cum S. Bern. intellige, dum vel per levem correctionem à ſempiternis inferni, vel graviſſimis purgatorii pœnis præſervantur, vel cũ juſtis tanquã *aurum in fornace probantur*, & ſic *in paucis vexati in multis bene diſponuntur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe* Sap. 3. per baculum crucem, & paſſionem Chriſti, quibus robur ac ſolatium acquirunt, eisq; innituntur, ut græca vox βακτηρίας indicat. Baculus enim crucis Chriſti eſt, quo contra hoſtes velut armis defenſivis, & offenſivis utuntur; quo memoriâ paſſionis Chriſti ſe animant, & excitant, quo in omnibus adverſitatibus ſe fulciunt, & innituntur, nam per gratiam Chriſti ipſius ſcil. paſſione, cruce, & meritis comparatam roborati omnia poſſunt eſſe, tum in vita, tum in mortis anguſtiis ſe conſolantur, & recreant. *Habet*, inquit, ſupra laudatus, S. Bern. in declamationibus, *Virgam, paſtor* ſcil. noſter, *ſed habet etiam baculum. Et hæc conſolatio eſt, quod is qui virgâ cæditur, baculo ſuſtentetur.*

Quartum in rebus adverſis contra hoſtes animi præſidium eſt *Menſa Euchariſtica*, à qua ut loquitur S. Chryſoſtomus *recedentes tanquam leones ignemſpirantes, Diabolo caterísq; adverſarÿs terribiles efficimur. Paraſti in conſpectu meo Menſam adverſus eos qui tribulant me* v. 6.

Quintum ſunt ſolatia cœleſtis gratiæ, *& unctio Spiritus*, quâ non ſolùm corroborat Deus in pugna ſpirituali ſuos athletas ſed etiam mirificè in adverſitatibus conſolatur. *Impinguaſti in oleo caput meum*, oleum enim lætitiæ ſymbolum eſt, præſertim in faciè, & capite. Hinc Matth. 6. Chriſtus præcipit ne hypocritarum more *exterminent facies ſuas, cum jejunant, ſed urgant faciem ſuam*, ne triſtiores videantur. Idcirco in conviviis adhibebant unguenta ad exhilarandos convivas, uti Magdalenam feciſſe erga Chriſtum S. Matthæus refert cap. 26. Unguento pretioſo in Domini caput effuſo, quam obrem oleum lætitiæ à Propheta nominatur. Pſ. 44. *Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ.* Hunc divinæ providentiæ effectum in tribulationibus expertus eſt Apoſtolus. 2. Cor. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione*, & David Pſ. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum In corde meo cõnſ lationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Sextum eſt, memoria beneficiorum, & beneficentiæ erga nos Dei, quam ſuarum animis ovium ſuggerit in tribulationibus earum

bonus

bonus paſtor Deus, ſolebant enim Judæi in convivio gratulatorio coram Deo calicem acceptæ ab eo ſalutis & beneficentiæ cum lætitia bibere velut David Pſ. 115. innuit : *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Hic ergo calix tot beneficiis à Deo collatis velut vino generoſo, & ad inebriandum apto redundans ita præclarus eſt, ut cum S. Job, dicant, *ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus.* Job. 2. *& calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* v. 7. Hunc ergo pro tot in me collatis á Deo donis calicem paſſionis hauriam, velut eodem á Deo propinatum, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*, Matth. 20. dicendo cum David, *quid retribuam Domino pro omnibus, & calicem ſalutaris accipiam.* Pſ. 115. imò velut ex calice ipſius Chriſti transfuſum, quem ipſi Pater æternus miſcuerat, *calicem, quem mihi dedit Pater, non vis ut bibam illum?* Joh. 18. magni muneris, & ſingularis benevolentiæ loco libentiſſime bibam, quem in ſcopum alii interpretes cum D. Auguſtino legunt : *Et calix tuus.* q. d. calix tuus à te mihi præparatus, & propinatus tam præclarus eſt, ut me velut inebriatum oblíviſci faciat omnis amaroris, & ut eum tanquam ſingulare, & præclarum munus à te accipiam, & avidiſſimè jucundiſſiméq; hauriam. Atq; hæc eſt paterna Dei erga electos ſuos etiam in adverſitatibus permittendis, vel immittendis providentia, & cura paſtoralis.

Affectus ſupra poſiti: Confirmationis cum providentia DEI.

Punctum III.

CONſidera omnis curæ paſtoralis apicem & paternæ Dei erga electas oviculas providentiæ coronidem ultimis duobus verſiculis deſcribi: *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* v. 8. *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* v. 9. nimirum prædeſtinatio duplex: altera ad gratiam, præſertim finalem, ſeu perſeverantiam, altera ad gloriam quæ utráq; ſolis electis ovibus propria eſt, quarum, ſicut neque illa ſub meritum cadit de condigno, ita per conſequens nec iſta, cum moraliter quaſi eadem ſit, nam *qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit*, Matth. 10. quare miſericordiæ Dei adſcribitur: *Et miſericordia tua ſubſequetur me*, ſicut paſtor oviculam, non ad tempus, ſed perſeveranter ad finem, quod ele-

ctorum

ctorum donum ſummum eſt, cujus cauſa finalis additur. *Ut inhabitem* (omiſſo *&* cum S. Auguſt.) *in domo Domini.* Licèt idem ſenſus ſit, ſi ſuppleatur, quod ante immediatè præceſſit (*Et miſericordia tua ſubſequetur me.*) Atq; hæc ſeries, hic finis eſt divinæ gubernationis, & prædeſtinationis erga electos.

Affectus gratulationis.

CEſſa gloriari vaniſſima beſtia, aureâ in monili ſuperbo inſcriptione tuâ: *Cerva ſum Cæſaris.* Multò ſanctiùs, veriùsq; gloriari de paſtore ſuo poteſt Chriſti ovicula epigraphe roſeo, & pretioſo ejus ſanguine animæ impreſſa: hæc: *ovis ſum Chriſti:* vel, *Dominus paſcit, & regit me, & nihil mihi deerit:* qui tantis eam gratiis, & beneficiis inter proſpera, & adverſa accumulat, atq; coronat; tandémq; ad cœleſtia gaudiorum, æternæq; vitæ beatiſſima paſcua deducit.

ORATIO.

TUa nos prædeſtinationis gratia, æterne animarum paſtor, & favore benigno præveniat, & inter adverſa comitetur, & finali perſeverantia ſubſequatur, & ſic bonis operibus jugiter intentos ad vitæ ſempiternæ cœleſtia paſcua ſemper virentia deducat. Amen.

IN PSALMUM XXIII.

Domini eſt terra, &c.

MEDITATIO XXV.

Præparatio ad SS. Euchariſtiam offerendam atq; participandam.

Argumentum Pſalmi.

Tametſi ſenſu myſtico exponatur hic Pſalmus vel de Chriſti aſcenſu in Cœlum; vel de via, ac ratione ad beatitudinem pertingendi Chriſtianorum; quæ præcipuè in animi puritate conſiſtit; quia tamen à Davide decantatus tunc eſt, quando arcam Domini de domo Obededom tranſtulit ſolenni pompâ in domum à ſe in monte Sion ad id præparata. 2. Paralip.

ralip. 13. Unde etiam puritatem ab aſcendentibus ad tabernaculum illud requirit, hortatúrq; ad Arcam ſolenniter excipiendam. Idcircò acceſſuris ad S.S. Euchariſtiam accommodatur hac meditatione.

Punctum I.

CONſidera præcipuum fundamentum Euchariſticæ præparationis conſiſtere in timore reverentiali, qui à viva fide divinæ Majeſtatis proſilit, ad quam accedere cogitamus in SS. Euchariſtia. Hanc excitat S. Vates aſpiciendo Deum quaſi Arcæ fœderis inſidentem, perpendendóq; illum eſſe univerſi totius Monarcham; Utpote quod ipſe architectatus ſit: Unde exclamat ad mirabundus *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, omnia quæ in ea continentur, & quibus plena eſt: *Orbis terrarum, & univerſi qui habitant in ea.* v. 1. Hoc porrò Dominum orbis probat, quod eum procreaverit, non ſolùm cum potentia infinita, utpote ex nihilo, ſed admirabili etiam cum ſapientia, & bonitate ergà homines. *Quia ipſe fundavit eum ſuper maria; & ſuper flumina præparavit eum,* v. 2. dum nimirum eminentiorem mari condidit, fluminibùsq; conſtituit altiorem, ut ad conſervationem, uſúmque animantium habitari poſſit, diductis aquis, quæ terræ ſuperficiem inundabant initio, in terræ concavitates, & latiſſimos alveos, quibus ita arcerentur, ne exundare poſſint, de quo ſapientiſſimo, potentiſſimóque invento ſciſcitatur Deus apud Job. 38. *quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat, quaſi de valva procedens? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia: Et dixi usq; huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Hic ergò Monarcha, & Dominus univerſi potentiſſimus, ſapientiſſimus optimus hanc arcam inhabitat. Atq; hoc eſt ſaluberrimum documentum, quod pro præparatione ſuggerit Thom. à Kempis cap. 8. l. 4. *ſuper omnia cum ſumma humilitate, & ſupplici reverentia cum plena fide, &c. ad hoc ſacramentum oportet accedere*, ex quo *Affectus Reverentiæ, & timoris* excitari poteſt è cap. 6. & 1. *Cum tuam dignitatem Domine, & meam utilitatem penſo, valde contremiſco, & in meipſo confundor. Ecquis enim ego ſum, ut ad te præſumam accedere? Ecce Cœli Cœlorum te non capiunt, & tu dicis, venite ad me omnes.*

Ex

Et cum Salomone 3. Reg. 8. *Ergóne putandum, quod verè Deus habitet ſuper terram, ſi enim Cælum, & Cæli Cælorum, te capere non poſſunt, quanto magis hæc domus.*

Punctum II.

COnſidera ex hac Majeſtatis divinæ excellentia vivâ fide apprehenſa, ut verè præſente alia proficiſci, quæ ad dignam præparationem ſerviunt, inter quæ *primum* & potiſſimum eſt puritas à peccatis, quam S. David exigit ab aſcendentibus in montem Sion ad Arcam fœderis, *quis aſcendet in montem Domini Sion, aut qui ſtabit in loco ſancto ejus.* v. 3. qui ſanctificatus eſt tum à Sacerdotibus, tum ab ipſius Arcæ præſentia, ut non niſi contingendus cum omni ſanctitate ſit. *Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.* Qui, inquam, perfectâ puritate, & immunitate præditus eſt ab omni peccato, non tantùm commiſſionis, ſive externo operis, quod per innocentiam manuum ſignificatur per metonymiam, quia manus ſunt operum, & actionum inſtrumenta, ſive oris, & verborum, quæ per juramenta, & dolos ad circumveniendum injuſtè proximum deſignantur; ſive interno cordis, quod indicatur per ly *mundo corde*; ut ne cogitarit quid mali. Non Commiſſionis tantùm, inquam, ſed Omiſſionis etiam, *qui non accepit in vano animam ſuam*, id eſt, fruſtrà & otiosè animam circumfert, quæ nihil operetur, ac laboret ad conſequendum finem ſuum, cujus gratia creata eſt, nempe ad Dei laudem, ſuámq; ſalutem, & aliorum procurandam; ideoq; invanum, & otiosè geritur, adeoq; peccato omiſſionis adſtringitur. Hic talis ita purus, & innocens ab omni peccato, corde, ore, opere admiſſo, vel Omiſſionis etiam culpa liber: dignus eſt, qui ad Arcam fœderis in montem Sion aſcendat; *Hic* quoq; *accipiet* idcircò *benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* v. 5. gratiarum, inquam, abundantiam à fonte omnis gratiæ, quæ idcircò Euchariſtia dicitur, quaſi bona gratia. Quamobrem conſilium ſequendum eſt laudati Thomæ à Kemp. c. 7. „ cit. Diligenter examina conſcientiam tuam, &c. habeas diſplicentiam „ peccatorum tuorum in generali, & in ſpeciali doleas, & gemas, quod „ adhuc ita carnalis ſis, & mundanus. Vide reliqua.

Quia hæc eſt vera, & genuina *generatio quærentium Deum*, *quæren-*

rentium faciem Dei Jacob cum confeſſione (quam Jacob ſonat) & cum laude, ante faciem tantæ Majeſtatis, & coram Deo in arca novi teſta-
„ menti ſcil. SS. Euchariſtia præſente comparentium. Ego ſum (in-
„ quit, voce Dei, autor citatus) puritatis amator, & dator omnis ſancti-
„ tatis, ego cor purum quæro, & ibi eſt locus requietionis meæ.

Affectus puritatis, & humilitatis
ex eod. cap. 11.

O *Ergò quàm mundæ debent eſſe manus illæ, quàm purum os, quàm ſanctum corpus, quàm immaculatum cor Sacerdotis, vel illius, ad quem ingreditur autor puritatis? ex ore illo nihil niſi ſanctum, nihil niſi honeſtum, & utile procedere debet, qui tam ſæpe Chriſti accipit ſacramentum! oculi ſimplices & pudici, qui Chriſti corpus ſolent intueri, manus puræ, & in Cœlum elevatæ, quæ Creatorem Cœli, & terræ ſolent contrectare. Nam ſacerdotibus ſpecialiter in lege dicitur: ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.*

Punctum III.

COnſidera ſecundum puritatem jam dictam procurandam etiam eſſe, actualem devotionem per actus Fidei, Spei, Charitatis, ab intellectu, & voluntate, & habitibus virtutum illarum elicitos. Hæ enim dici poſſunt portæ æternales, firmiſſimæ, & æternùm duraturæ, quas pro introducenda Arca attolli, & elevari vult à Principibus civitatis Jeruſalem S. David. *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ,* glorioſiſſimus v. 7. quod ſi dubites, & quæras, *quis eſt iſte Rex gloriæ?* ſeu quinam actus circa illum eliciendi ſint? Reſpondet Propheta: *Dominus fortis, & potens; Dominus potens in prælio.* Dominus, inquam, qui fortitudine, & potentiâ ſuâ mortem, peccatum, & infernum devicit, & ab illorum nos ſervitute liberavit, qui in omni nos prælio contra hoſtes animat, & defendit; unde non ſolùm omni cum reverentia, & humilitate tanquam Dominus excipiendus eſt, exercendiq; actus Demiſſionis, Reverentiæ, Timoris, Adorationis, &c. v. 9. cum S. Elizabeth Luc. 1. *Unde hoc mihi, ut Dominus meus veniat ad me?* aut cum Miphiboſeth, qui auditis his Davidis verbis 2. Reg. 9. *& tu comedes panem in menſa mea ſemper; humillimo affectu repoſuit: quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem*

milem mei. Et cum Centurione Evangelico Luc. 7. *Domine noli vexari, non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres*, &c. Et cum S. Petro: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Luc. 5. Sed excitandi inſuper ſpei, fiduciæq; ſingularis erga ipſum affectus, velut erga liberatórem à peccato, & inferno, & contra hoſtes animæ propugnatorem, & auxiliatorem. V.G. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator.* Zach. 9. ut tibi prelium immenſum corporis, & ſanguinis ſui, meritorúmq; omnium impertiatur, quæ tui cauſa ad ſalvandum te Patri æterno obtulit, *dicite puſillanimes, confortamini, ecce Dominus Deus noſter veniet.* Et qui ſeipſum, & corpus ſuum, & ſanguinem ſuum nobis communicat, nunquid non & cætera communicabit? Ex his ſequentur affectus Amoris, Gratitudinis. *Diligam te Domine fortitudo mea,* Dominus *firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Et qui ſequuntur verſus complures ex Pſ. 17. explicato huic loco peridonei, & ex Pſ. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus:* quinq; primi verſiculi.

Quod ſi accuratuis in Regem hunc gloriæ indagare deſideras, atq; ad eliciendos plures affectus idcirco rurſus intonare juvat: *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ,* quærántq; potentiæ animæ tuæ, quis eſt iſte Rex gloriæ? Reſpondet S. Vates: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ:* in hebræo eſt *Dominus Zebaoth* vel Sabaoth, id eſt, exercituum Angelicorum in aciem bene ordinatam diſpoſitorum, ſeu in novem choros diſtributorum: ut cogitemus Chriſtum in SS Euchariſtia non ſolùm eſſe Regem, & ſalvatorem hominum, ſed etiam Angelorum, & totius cœleſtis Hieruſalem, nec eſſe Regem gloriæ ad tempus, ſed in omnem æternitatem. Unde affectus reverentiæ humilitatis, timoris amoris &c. ſupra poſiti intendi, & augeri poſſunt.

Niſi placeat dicere Deum idcirco Dominum virtutum appellari, quod in hoc miſterio omnes divinæ virtutes, perfectiones, & attributa comprehendantur, & ſingulari præcipuóq; modo declarentur, ſcil. Omnipotentia, Bonitas, Scientia, Prudentia, Suavitas, Pulchritudo, Magnificentia, Liberalitas, Puritas, Sanctitas, cæteraq; excellentiæ infinitæ, & incomprehenſibiles, quæ reverentiam multo ad huc ampliorem, cæteróſq; affectus excellentiori in gradu exigant.

Affectus ſupra poſiti Timoris, Reverentiæ, Demiſſionis, Fiduciæ, Gratitudinis, Amoris, &c.

ORATIO
vel
SUSPIRIUM.

„ *ADjuvet nos gratia tua Onipotens Deus, ut qui officium ſacerdotale*
„ *ſuſcepimus, vel ſanctiſſimum corpus, ſanguinémq; tuum participa-*
„ *mus, dignè & devotè in omni puritate, reverentiâ, & charitate id præ-*
„ *ſtemus. Et ſi non poſſumus tantâ cum reverentiâ, ardoréq; devotionis*
„ *id exequi, quantum divina myſtrria hæc meritò exigunt: fac nos in ſpi-*
„ *ritu humilitatis, animo contrito, & bonæ voluntatis propoſito quotidiè*
„ *proficere, & majori cum fervore ad ea ſemper accedere conari. Amen.*
„ *Thom. Kemp. l. 4. cap. 11.*

IN PSALMUM XXIV.
Ad te Domine levavi, &c.
MEDITATIO XXVI.
Eluctantis ad meliora, pia ad Deum vota, & Adminicula.

Argumentum Pſalmi.

Pſalmus Alphabeticus ſcriptus memoriæ cauſa ad numerum literarum Alphabeti, niſi quod loco, Coph, quæ deſideratur, Phe, in fine repetatur. In eo Propheta, dum malis ſuis inſuetis eripi, & in viam rectam deduci orat, amantium more varios affectus miſcet, nunc ſuſpirando ad rem amatam, nunc dolendo, nunc laudando, nunc ingemiſcendo, eadémq; repetendo, ita ut difficile ſit eum unum in ſcopum bene dirigere, qualis tamen utcunq; ſtatui videtur is, quem præfert poſita inſcriptio.

Punctum I.

COnſidera itaq; reſipiſcenti, & eluctari vel ex inolitis ſuis malis emergere conanti, vel deſpicere temporalia incipienti, duplex remedium ge-

um generale adhibendum præſcribi: alterum, ut dejectos per diffidentiam à miſeriis, in quibus hæret infixos oculos ad Deum generoſâ confidentiâ erigat. Alterum, ut ſic erectus gratiam abs eodem Deo efficacem directionis in viam rectam flagitet, quâ eas evadere poſſit.

Primum agit Propheta tribus verſibus primis. *Ad te Domine levavi animam meam*, à creaturis avulſam, in quibus quietem nullam, ſed meras ſpinas, & tribulos vitæ pertæſus prioris invenio, mihiq; idcircò diffidens. *Deus meus in te* uno *confido:* ſciénsq; ſpem in te poſitam neminem confundere, *non erubeſcam* ipſe etiam, aut recedam confuſus auxilio à te non impetrato. Ut propterea. *Neq; irrideant me inimici mei*, vel *exultent*, (ut Hebræus) ſive Dæmones, ſive homines.

Cauſam addit longum experimentum, tum exemplorum, tum promiſſionum divinarum: *Et univerſi qui ſuſtinent te non confundentur.* Quin potiùs *confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè*, hoſtes, inquam, ſive viſibiles, ſive inviſibiles, qui injuſtè licet me vexando, finem tamen ſuum, ut me perdant, non conſequuntur, ſed ſupervacuè laborant, imò potiùs patientiam, meritum, & coronam meam promovent, & augent.

Sic ſpe erectus ex luto, cui inhærebat elabendi viam, & directionem poſtulat, quod *alterum medium* eſt *generale* vv. 3. ſeqq. *Vias tuas Domine*, inquit, *demonſtra mihi* evadendi mala mea, & *ſemitas tuas* compendioſas paucis tritas, & anguſtas *edoce me* perveniendi ad te. Eam nempe vivendi rationem, quâ tibi placeam, doce me practicè, dando gratiam efficacem, qua viam tuam, quæ eſt lex tua, decurram. Et in hac via tua *dirige me in veritate tua*, ne declinem ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ſecundum veritates æternas, & principia cœleſtia, non ſecundum opiniones fucatas, & rationes apparentes, aut falſa principia hujus mundi: quæ velut ignes fatui ſeducunt in avia, non viam veram demonſtrant.

Motiva hujus addit: *quia tu es Deus ſalvator meus*, tum quia tu ſolus potes ſalvare animam meam, cum Medicus alius non ſit, qui morbos meos aut novit, aut curare valeat, tunc quia te etiam decet ex officio Salvatoris, quem à Deo Patre datum habemus.

Et præſertim 2. *quia ſuſtinui te totâ die* perſeveranter, & patienter hucusq; auxilium, ſolatiúmq; tuum omni humano, creaturarúmq; alio repudiato, expectando in tentationibus meis, quod magni meriti indubiè eſt.

Verum

Verum 3. ad hoc impetrandum non allego merita mea, ſed miſericordiam tuam. *Reminiſcere ergo miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.* Quia nimirum ita naturale, & proprium tibi eſt, non ſolùm ut miſericors ſis ſeu paratus ad miſerendum, ſed actu ipſo etiam, qui per miſerationem indicatur miſereri identidem ſis ſolitus paternáq; viſcera exhibere, ut quam diu Deus es, ab æterno ſcilicet, tecum miſericordia, & miſeratio ſemper fuerint inſeparabiliter.

Affectus Confidentiæ.

ELuctare, age anima mea, ex miſeriis, quibus oppreſſa jaces, attollere incurvata, & in Deum ſalvatorem tuum erigere ſuſtolle dejectos oculos, ad Cœlum, unde auxilium tibi, extolle vocem pro directionis gratia impetranda. Reſpice in me unice ſalvator meus, & miſerere mei, in te enim ſperans non confundar in æternum.

Punctum II.

EXpende media in particulari, ſeu vias ad id pertingendi.

Prima eſt via puritatis, vel purgativa, per obolitionem, & abominationem peccatorum ante commiſſorum. Hanc divino ductu, & directione ingreſſus orat. v. 7. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*, id eſt, ea etiam peccata mihi dimitte, quæ ex infirmitate, & ignorantia admiſi in juventute, præcipitante me in illa tum juvenili ardore, tum imprudentia, & ignoratione legis tuæ, horum, inquam, memoriam excludat recordatio Miſericordiæ, & bonitatis tibi congenitæ, & coævæ *ſecundum miſericordiam tuam memento mei tu.* Tunc enim meminiſti miſericordiæ, quando non amplius meminiſſe vis peccatorum, ſed ea remittis, & tollis, idq; *propter bonitatem tuam Domine.* Qui titulus ſicut efficaciſſimus eſt, ita uſitatiſſimus S. Prophetæ, quem urget, ſeque in ſpe remiſſionis conſequendæ confirmat ſeq. v. 4.

Nam dulcis, & rectus Dominus propter hoc legem dabit delinquentibus in via, quaſi dicat: Bonitas, & ſuavitas tua, Deus facit, ut ames homines, & rectitudo, ſeu juſtitia tua facit, ut oderis in eis peccatum, propter quæ duo libenter corrigere ſoles delinquentes, & paternâ directione legis tuæ, gratiâque eos tuâ manu ducere in via vitæ hujus, ut ex iniquis juſti evadant, id quod repetit, v. ſeq.

Diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas. Mitibus autem manſuetiſq; hanc gratiam Converſionis impertiri præcipue dicitur Deus, quia ſunt humiles, & agnoſcunt errores ſuos, capiúntq; doceri: & ſe emendare. Nam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* 1. Pet. 5. ſuperbis, inquam, quamdiu ſuperbiam non deponunt, ad quod faciendum gratiâ ſuâ eos Deus prius diſponit, ut ſic contumaciam eorum emolliat, & conterat, atq; humiliatos poſt etiam dirigat, & doceat.

In quorum confirmationem addit: *Univerſa via Domini Miſericordia, & veritas*, id eſt, in omnibus ſuis operibus demonſtrat Deus *miſericordiam* in conferendo gratiam, & *veritatem*, ſeu *juſtitiam* in corripiendo peccata vel.

Regula ſeu modus procedendi Dei, quo erga creaturas utitur conſiſtit in *miſericordia*, promittendo benigne, & liberaliter, & in *veritate* ſeu fidelitate implendo promiſſa fideliter: ſubdit; *Requirentibus teſtamentum ejus, & teſtimonia ejus* hebræa habet. *Cuſtodientibus pactum* cum hominibus initum ſc. quo hæreditas vitæ æternæ promittitur Dei voluntatem facientibus. Quod pactum vocatur teſtamentum morte Chriſti teſtatoris (in qua omnis promiſſio vitæ æternæ facta eſt) confirmatum; *& teſtemonia* ejus in ſacris literis, & præceptis Dei comprehenſa. Verbo hominibus bonæ voluntatis, Deum timentibus, & amantibus.

Concludit repetendo petitionem, *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* q. d. Igitur propter hæc attributa Miſericordiæ, Bonitatis, Fidelitatis, Veritatis &c. quæ nomina Dei dicuntur, ſeu ut miſericordia, bonitas, cæteráq; tua attributa ac perfectiones aliis manifeſtentur, propitius ignoſces peccata mea, quæ multa magnáq; ſunt.

Alterum particulare eſt in via purgativa medium, ejusdémq; tam finis, tam effectus *Timor Dei caſtus, & filialis* de quo non tam interrogando, quám exclamando ait. v. 13. *quis eſt homo qui timet Dominum.* q. d. prô quam beatus eſt vir ille qui timet Dominum, ejúsq; beatitudines deinceps uſq; ad v. 16. particulatim explicat.

Quarum prima eſt: *Legem ſtatuit ei in via quam elegit.* Deus illi norma erit, qua dirigatur, & inſtruatur in omni vivendi ratione, quam elegerit, & in omni munere, & actione ſe illi ducem gubernatorémq; præbebit in eo vitæ genere, quod ſibi propoſuit ſequendum: neq; enim omnes, qui pietatem colunt eandem vitæ viam ſequuntur.

Secunda *anima ejus in bonis demorabitur*, omni bonorum quà ſpiritualium, quà temporalium felicitate affluet, non ad breve tempus, aut per tranſitum, ſed ſtabiliter demorando in ſtatu ejus continuo, atq; tam in hac, quàm in altera vita. Sive enim res ei proſperè ſuccedant, illa felicitate perfruetur; ſive ſecus accidat, gaudebit bono patientiæ, ſpéq; præmii in Cœlis retribuendi, itaq; ſemper ſua in pace commorabitur, lætitiáq; conſcientiæ.

Tertia *& ſemen ejus hæreditabit terram*. q. d. transmittet inſuper hanc felicitatem ſuam ad ſeros nepotes non degeneres, qui relictas ſibi ab eo hæreditate terræ opes, jure utpote, quo quis optimo pacificè poſſidebunt, nemine pacem, & poſſeſſionem eorum turbante: Vel certè ſenſu quo dictum eſt, ut in proſperis, adversíſq; mites, & contenti terram poſſideant pacificè, ſive quam terunt, ſive quam ſperant, ſive quam gerunt cum anima ſua, inſuper, quam in patientia conſervabunt.

Quarta *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum*. Hæc ſupradictorum cauſa eſt; quia nimirum ſpes ſuas fundatas habent non in caducis & perituris rebus, ſed in auxilio, & amicitia Dei, qui ſolidiſſimum illis fundamentum eſt, ac firmamentum.

Quinta quod firmamentum ſimul eſt *ſecretum Domini*, ut ex Hebræo vertit S. Hieron. quo gaudent intimo in corde, & magno cum ſolatio interno, & cœteris ignoto, ut dicere poſſint ſecum illud: ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Inſuper eſt etiam *teſtamentum ipſius Dei, ut manifeſtetur illis*, (græcè) *quod manifeſtabit illis* Deus, (& hebraicè) ad docendum eos, dum nimirum animis illorum ſæpe occurrit pactum (quod pro teſtamento textus hebræus ponit) inter Deum ſéq; initum, ut ſcil. Deus eorum ſit amantiſſimus Pater, ſi ipſi viciſſim ex filiali animo, & timore leges ipſius obſervent, in quo teſtamento vel pacto fidelitate Dei confiſi, tanquam in firmiſſimo fundamento ſuaviſſimè conquieſcunt.

Adde ſextam ex his felicitatem deduci, quod timentibus ſe Deus manifeſtaturus ſit arcana oraculorum divinorum, quæ in utroq; teſtamento continentur, & myſteriorum ſuorum traditurus ſcientiam, quo munere nihil ſalutariùs, atq; jucundiùs: hoc ſenſu dicitur: *Arcanum eſt Deus timentibus eum, & pactum ad docendum eos, vel ut manifeſtetur eis*. Atque hæ felicitates ſunt timoris caſti, vel timentis filialiter Deum.

Affectus

Affectus gaudii, gratulationis, & gratitudinis.

O Verè beatus vir ille, quem in hac puritatis via deducit Dominus, & cujus ab eo *remiſſæ ſunt iniquitates, & cui non imputavit Dominus peccatum!* O iterum iterúmq; *beatus vir* ille, *qui ſic timet Dominum, ut in mandatis ejus velit nimis!* meritò *potens in terra eſt ſemen ejus, & generatio rectorum ſic benedicitur, ut gloria, & divitiæ ſint in domo ejus, & juſtitia ejus maneat in ſæculum ſæculi!* O *confige timore tuo* ſancto & filiali *cor meum, Deus, ut à mandatis tuis te ſemper caſtè timeam.*

Punctum III.

EXpende vias alias, quas poſt viam puritatis, ejúsq; media jam explicata ad ſanctitatem pertingendi Deus S. Davidi demonſtravit juxta quod rogarat. v. 4. *vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*, inter quas Prima & prioris effectus eſt *via conjunctionis cum Deo.* Nam *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matt. 5. *Oculi mei ſemper ad Dominum,* inquit, ſive contemplando ipſum, ut præſentem ſemper mihi divinásq; perfectiones, & attributa ejus expendendo, ſive dirigendo ad illum actiones, intentionémq; earum omnem, ut ipſi placeam, & ne quid voluntati ipſius contrarium admittam, ſive ut ab eo auxilium hoc efficaciſſimo orationis modo impetrem, qui oſtendendo inopiam, & miſerias ſuas, modeſtéq; tacendo potiùs, quàm importunè, & odiosè clamando miſericordiam commovet. Quem modum idem Propheta docet Pſ. 122. *Ecce ſicut oculi ſervorum in manibus Dominorum ſuorum: & ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Ex qua oculorum converſione effectus hic conſecutus eſt, ut non ſolùm viam illuminativam ingreſſus lumen ad agnoſcendos, ſed etiam gratiam ad effugiendos laqueos periculorum, tentationúmq; impetraverit: *quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.*

Inſuper ex hac eadem oculorum ſuorum ad Deum converſione oritur alter greſſus in via conjunctionis, qui eſt *providentiæ divinæ obſervatio, & imploratio in adverſitatibus*, qui enim Deum ſemper reſpicit, meritò viciſſim ab eo reſpicitur oculo providentiæ peculiaris. *Reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego;* à creaturis omnibus meâ voluntate abſtractus, & ideò unicus præter te neminè adjutorem requiro,

ſed in te ſolo ſpem meam omnẽ colloco, quod permovendæ providentiæ, & miſericordiæ Dei medium perefficax eſt: Et pauper nihilominus, indigúsq; auxilii, quàm maximè; quia *tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt* tum temporales, tum præſertim ſpirituales, quas neceſſitates nominat, *de neceſſitatibus meis erue me*. v. 18. de quibus Apoſtolus quoq; conqueritur. Rom. 7. *ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, infelix ego homo, quis me liberabit*, &c. quibus reſiſtendo etſi multum laboret, & affligatur, quia tamen Deo ad majorem humilitatem permittente, quandoq; non nihil iis pluſculum cedit tentatione vincente; *ſepties enim cadet juſtus*, & reſurget. Prov. 24. meritò orat, *vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea*. v. 19. Vileſcit enim ſibi vir juſtus, & in animo, oculísq; ſuis plurimum humiliatur, dum immaculatus eſſe laborat, nec ſordes tamen omnes evadit. Propterea loco illius (*dimitte*) legit. S. Hieron. *porta univerſa delicta mea*, quo ſollicitudo timentis Deum exprimitur ſupportari ſe iterum iterúmq; ac fargilitatem ſuam rogantis, ne fortè recidiva crebriori irritatus Deus ſibi acriùs offendatur.

Quem etiam in finem hoſtium, & tentatorum ſuorum multitudinem, rabiémque, iniquam, contra ſe Deo proponit. v. 20. *Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me*. Propter hanc tum vafritiem hoſtium, quos *ſpirituales nequitias* ideò vocat Apoſtolus Eph. 6. tum copioſam multitudinem, tum odium iniquiſſimum, ſolo ſtudio nocendi, & ex invidia ſuſceptum, atq; ſine cauſa, & provocatione alicujus injuriæ illatæ, vel ut S. Hieron. *odium violentiæ* prorumpens in vim, ferociámq; violentam. *Cuſtodi animam meam, & erue me* ex hoſtium manibus, præſervando me ne capiar; motivum addit ſpem ſuam confundi neſciam, *non erubeſcam, quoniam ſperavi in te*, non ſolùm (quod ulterius motivum eſt) coram inimicis, de quibus ſupra v. 1. & 2. *non erubeſcam, neq; irrideant me inimici mei*, ſed etiam coram amicis innocentibus, & integris viris, qui exemplo patientiæ, & ſpei meæ commoti adhæſerunt mihi immitatione, & familiaritate. *Innocentes, & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te*. v. 22. qui mecum confunderentur, ſi ſpe meâ fruſtrarer. Hos itaq; mecum tanquam veros Iſraëlitas te Deum, providentiámq; tuam ſemper reſpicientes in omnibus conſerva ab omni diffidentia, & ſic *libera Deus Iſraël ex omnibus tribulationibus ſuis*. v. 23.

Aſſe-

Affectus ex c. 2. medit. S. Aug.

O*Stendiſti mihi* lux mea, Deus meus, *vivendi viam, & gradiendi ſcientiam dediſti. Nunc obumbra caput meum in die belli* (contra tot hoſtes animæ meæ) *aſſiſte mihi ſpes mea in die afflictionis. & ſalus in tempore tribulationis*, nec permitte, ut mecum erubeſcant, qui mecum te adjutorem quærunt, tuæq; providentiæ (in quam oculos defixos habent Iſraëlitæ veri) & quæ neminem confundit, ſe committunt.

ORATIO.

L Ibera Domine à peccatis, & hoſtibus in te confidentes famulos tuos, & in viam ſanctitatis dirige, memor miſerationum tuarum, ut à delictis juventutis, ignorantiis, miſeriiſq; aliis abſoluti in caſto timore tibi placeant, tuáq; protectione muniti contra hoſtes ſuos ſecuri, & ſine confuſione in te, tuáq; providentiâ unicè conquieſcant.

IN PSALMUM XXV.

Judica me Domine, &c.

MEDITATIO XXVII.

REMEDIA CONTRA CALUMNIAS.

Innocentia conſcientia; Et adſpiratio ad judicium, conſpectúmque Dei.

Argumentum Pſalmi.

Sicut David per calumniam affectati regni exulare coactus 1. Reg. 24. & ſeqq. Deo in ſuæ innocentiæ teſtem invocato orat ad patriam, & tabernaculum redire. (ſenſ. lit.) Ita juſtus in afflictione calumniarum, vel anguſtiarum conſcientiæ propriæ, ad Deum, Cœlúmque ſuſpirat, ſenſu anagogico, quem hîc ſequimur.

Punctum I.

C Onſidera tum contra calumnias obtrectationéſque aliorum, tum pro-

proprii animi anxietates, efficaciùs non eſſe remedium, quam conſcientiam innocentiæ, ſeu: *Nil conſcire ſibi, & nullâ expalleſcere culpâ:* ſenti de Auguſtino quicquid libet, inquiebat Magnus ille de ſe Doctor, dummodo me reo coram Deo non accuſet conſcientia. Hic contra obtrectationum jacula clypeus, & murus aheneus eſto. Hoc clypeo tectus S. David, etſi patriâ exulare, & profugere coactus ob affectati regni calumniam, confidenter ad Deum judicem recurrit. *Judica me Domine*, ſeu vindica me, atq; defende, *quoniam in innocentia mea ingreſſus ſum coram te, &* ideò *in Domino ſperans non infirmabor.* v. 1. Hebr. *non nutabo, vel timebo,* ne causâ cadam.

Affectus Imitationis.

„ O Quàm verè dixit ille (Thom. Kemp. l. 2. c. 6.) gloria hominis,
„ teſtimonium bonæ conſcientiæ. Habe bonam conſcientiam,
„ & habebis ſemper lætitiam. Bona conſcientia valde multa poteſt por-
„ tare, & valde læta eſt inter adverſa.

Punctum II.

COnſidera quantum ad hoc conferat non hominum judicia curare, ſed Deum inſpectorem cordis, & judicem intimarum intentionum ſuarum quærere, quod fundamentum bene expendit laudatus Doctor
„ loc. cit. *quod es*, hoc es, inquiens, nec major dici vales, quam Deo te-
„ ſte ſis. Nam homo videt in facie, Deus autẽ in corde, homo conſiderat
„ actus, Deus autem penſat intentiones. Hinc orat Propheta v. 2. *proba me Domine* ſicut argentarii aurum per ignem explorant, verum, an adulterinum ſit, nam *multa fucis illita, quæ luce purgentur tua,* in noſtris actionibus, & intentionibus præſertim earum reperiuntur; ideò, *& tenta me, ure renes meos, & cor meum* ſcrutare, inquam, abſtruſiſſima intimarum cogitationum, intentionúmq; cordis, & affectuum meorum abditiſſimas latebras, & cupiditatum penitiſſimos receſſus, quarum ſedes, & origo renes ſunt. Ut ſic notam facere poſſis hominibus innocentiam meam, & calumnias inimicorum refellere.

Cauſæ innocentiæ tam fidenter aſſertæ ſunt, *quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua.* v. 3. id eſt, te tuámq; miſericordiam, ac veritatem ob oculos poſitam habui, velut actionum mearum regulam, & per has ambulavi vias tuas, *nam univerſæ*

via Domini miſericordia, & veritas. Pſ. 25. quarum ſubſidio ſtudui cum proximis vivere juxta regulam charitatis, & exhibere viſcera, & affectum miſericordiæ, nec contra veritatem, ſeu juſtitiam, & ſinceritatem quicquam admittere volui per dolum malum, aut injuſtitiam, ex complacentia veritatis tuæ, quam ad imitationem mihi propoſui.

Hinc effectus ille conſecutus eſt, quem ſeq. v. 4. & 5. commemorat: *Non ſedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo,* id eſt, omnia Conciliabula machinantium fraudes, & dolos averſatus ſum, nec conſortium habui cum Vafris ſuperbis, aut quibusvis malignis, & iniquitati addictis. Etſi enim hæc à plerisque exponantur cum Theodoreto de conventibus gentilium, & Idololatrarum, ut erant Philiſtæi, apud quos David exulabat: ad probandam tamen innocentiam Davidis in genere, maximè de affectato regno, rectè hi verſiculi modo univerſaliori jam dicto explicari poſſunt de omni impiorum hominum conſortio.

Porrò in ſignum innocentiæ addit Propheta morem veterem lavandi manus in proteſtationem innocentiæ ſuæ, quem etiam ritum Pilatus in condemnando ad crucem, & mortem Chriſto ſectatus eſt, teſte Orig. tr. 35. in Matth. *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Matth. 27. *Lavabo inter innocentes,* vel ut Hebr. *in innocentia manus meas.* Et ſic juxta hanc expoſitionem verſiculi hujus, prima verba jam poſita præcedentium de proteſtatione innocentiæ ſuæ clauſula ſunt.

Affectus amoris erga puritatem conſcientiæ, & contemptus judiciorum hominum.

O Quam bene gloriantur, qui te tuúmq; teſtimonium quærunt, O Deus! *Verè enim mendaces filii hominum in ſtateris.* P. 61. ſc. judiciorum ſuorum, *unde bonorum gloria meritò in Conſcientiis eorum, & non in ore hominum, eorúmq; lætitia de Deo, & in Deo, & gaudium eorum de veritate. Quare ſi attendis anima mea, quid apud te ſis intus, non curabis, quid de te loquantur homines.* Th. Kemp. l. 2. c. 6.

Punctum III.

Expende effectum præcedentis conſiderationis, qui ſimul medium eſt contra obtrectationes: Nimirum deſiderium, ex vaniſſimorum hominū cohabitatione, & mundi hujus immundiſſimi exilio, in innocentia

ſua ad patriam cœleſtis Jeruſalem, & tabernaculum fœderis æternæque felicitatis promiſſæ commigrandi. Hoc enim ſenſu ad literam Prophetes ſanctus in exilio inter Philiſtæos conſtitutus, a verſatus concilium vanitatis, ſeu idololatrarum, cum prophanis templis, & eorum diis, quibus nihil vanius, cum nihil ſint, & Eccleſiam malignantium abominatus, deſiderio flagrat ad patriam Jeruſalem redeundi, & juxta tabernaculum. Domini in ſanctitate, & innocentia Deum colendi *lavabo inter innocentes manus meas*, ritu eorum, qui ingreſſuri erant tabernaculũ, ut purificarentur, *& circumdabo, vel circum ibo*, ut vertit S. Hieron. *Altare tuum Domine*, cum victimis immolandis, vel cum Choris canentium muſicorum in circuitu Altaris obibo, ut *audiam vocem laudis* immiſtus pſallentibus: Et ipſe etiam *enarrem univerſa mirabilia tua*, beneficia ſcil. quæ præſtitiſti mihi.

Atq; ad iſtud ſtimulos addunt quæ ſequuntur, *Domine dilexi decorem* (Hebraicé habitaculum) *domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, quibus nominibus tabernàculum fœderis appellat, quo nubes lucida crebro deſcendere ſolebat, & ibidem oracula reddebat Deus in ſignum præſentiæ ſuæ, puæ multo verius ſenſu anagogico de cœleſtis Jeruſalem tabernaculo dici poſſunt, quo animus Dei amore ſuccenſus ex hoc exilio ſuſpirat, nec optabilius illi quid eſſe, nec pulchrius poteſt eo loco, in quo præſentia Dei, & gloria ſe clarè oſtendit.

Quocirca meritò veretur, ne cum David in exilio ſuo conſociatus idololatris, morte peſſima moriatur, id quod deprecatur. v. 9. & 10. *Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris ſanguinum, vitam meam*, & ne cum nefariis hujus ſæculi, & ſanguinariis viris excluſus à patriæ cœleſtis habitaculo commorari pergam, & cum iisdem forte in gehennam deturber. *In quorum manibus iniquitates ſunt: Dextera eorum repleta eſt muneribus*, quibus verbis à præcipuo capitaliq; ſcelere deſcribuntur nefarii iſti, nempe à cupiditate, quæ radix omnium malorum eſt. 1. Tim. 6. exercetúrq; vel palam per rapinas, & apertas oppreſſiones juſtorum, quibus manus illorum, vel ut manifeſtis ſignantur indiciis, & quaſi ſanguine innocenti adhuc ſtillant, ac rapinis iniquis replentur. Vel occultè acceptis muneribus, quibus fas omne corrumpunt, & omne nefas per injuſta judicia invehunt, quæ omnia cum deteſtetur, & exeretur, contrariáſq; virtutes ſectetur. *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum* innoxiè, & incorruptè vivendo, & ingrediendo

endo per viam mandatorum Dei, ſive per vias Domini, *quæ ſunt miſericordia, & veritas.* Pſ. 24. ideò redimi orat ab hac colluvione nefariorum hominum, eorúmq; ſcelere præſervari, *redime me Domine*, & propter bonitatem tuam *miſerere mei.* Nam *pes meus ſtetit in directo*, non aberrans à via recta, & juſtitiæ tramite, neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram, idq; per gratiam tuam, quocirca *in Eccleſijs benedicam te Domine*, hymnos, & laudes tibi accinam in conventibus ſanctorum, tam veteris legis, in qua vivebat, quám novæ, in qua prophetico ſpiritu præludebat, teſte Euthymio Pſalmos ſuos in omnibus Eccleſiis aſſiduè concinendos eſſe, ſivè in Eccleſiis, tam militante in terra, quam triumphante in Cœlo gratias tibi decantabo immortales.

Affectus deſiderij, & aſpirationis, ad cœleſtem patriam ex hoc exilio.

H*Eu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi, cum habitantibus Cedar.* Pſ. 119. cum hominibus efferis, & truculentis. O quàm me *tædet vita, & ærumnoſæ* peregrinationis hujus! vitæ, in- „ quam, quæ non eſt vita dicenda, ſed mors. S. Aug. v. 21. medit, mors „ vitalis, & vita mortalis: ô patria, & vita feliciſſima carens morte, & va- „ cans fine, ubi victor miles illis hymni dicis Angelorum ſociatus Choris „ cantat Deo ſine ceſſatione canticum de canticis ſion! Utinam con- „ ceſſâ mihi peccatorum veniâ, moxq; hac carnis ſarcina depoſitâ in tua „ gratia veram requiem habiturus intrarem, & cum beatiſſimis ſpiritibus „ gloriæ conditoris aſſiſterem, ut præſentem Chriſti vultum cernerem, „ & illud ſummum, & ineffabile, & incircumſcriptum lumen ſemper „ aſpicerem, ſicq; nullo metu mortis affici, ſed de incorruptionis perpe- „ tuæ munere lætari poſſem ſine fine! ibid. cap. 22.

ORATIO.

D*Eus innocentiæ vindex, reſtitutor, & conſervator effunde ſuper nos divini luminis tui radios, intimósq; animi noſtri receſſus illuſtra, ut contemptis mundi hujus judicijs, hoſtiúmq; noſtrorum calumnijs in te tuisque judicijs gloriemur in terra, & ad ea adſpiremus, eáque deprædicemus cum omnibus ſanctis tuis in Cœlo,*

Amen.

IN PSALMUM XXVI.

Dominus illuminatio mea, &c.

MEDITATIO XXVIII.

Antidota timoris inordinati, & puſillanimitatis.

Argumentum Pſalmi.

David puer privatim unctus à Samuele 1. Reg. 16. ob perſecutionem Saulis patriâ terra, & domo, ſacriſq; extorris apud Regem Moab 3. Reg. 22. in maximis periculis conſtitutus fiduciâ ſe excitavit divini præſidii, ad tabernaculum fœderis adſpirans, priuſquam (ut inſcribitur Pſalmus) *liniretur* ſcil. 2. publicè, & ſolenniter in Regem. 2. Reg. 2. vel etiam ad cœleſtem beatitudinem (ſenſ. lit.) Juſtus unctus gratia ſuis in afflictionibus eodem præſidio ſe animat adſpirans ad Cœlum, & unctionem gloriæ (ſenſ. mor.) quem hac meditatione amplectimur.

Punctum I.

COnſidera Juſtum, vel qui ſibi conſcius non ſit, quod verſetur extra ſtatum amicitiæ Dei, ſed qui unctione gratiæ ſit delibutus, meritò illo Chriſti ad diſcipulos ſuos Joh. 14. excitare ſe poſſe: *non turbetur cor veſtrum*, neq; formidet. Idq; hæc ob motiva.

I. Quod divino ductu ſingulari dirigatur inter quævis etiam adverſa, qui ductus divinus per illuminationem ſignificatur. *Dominus illuminatio mea*, vel Hebr. *lux mea*, quæ in nocte, & tenebroſa adverſitatum viâ me præcedit, ut columna ignis Iſraëlitas Exod. 13. ne offendam, vel Deus eſt tutela, præſidium, ſolatium, defenſio, directio, & proſperitas mea (quæ aptè per lucem deſignantur, unde ſubjungitur, *& ſalus mea*) ſicut omnis tribulatio per tenebras, quia animum confundit, & perturbat, ut, quid facto opus, non provideat; donec lumine divinitus immiſſo diſjiciantur tenebræ perplexitatum, ergò *quem timebo.* v. 1. q. d. meritò ignorantia, & infirmitas mea in tribulatione me timidum reddere, & conturbare poſſent cor meum, ſed cum Dominus illuſtret

virtute ſuâ mentem meam, & gratiæ ſuæ unguento ſanet, & corroboret infirmitatem meam, neminem timeo, quia veritas ejus tenebras, & *charitas foràs mittit timorem.* 1. Joh. 4. rectè S. Hieron. *Nullus tenebris obtegi formidat, quem Dominus illuminat ſemper, & ſalvat.*

II. Quod non ſolùm illuminet, & ſanet, ſed etiam ſingulari providentiâ ſuâ quaſi ſcuto circumdet, & protegat. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* v. 12. Cujus protectionis efficaciam, certitudinémq; prophetico ſpiritu præteritum pro futuro ponens ſeqq. vv. 3. & 4. deſcribit, *dum appropiant*, inquit, *ſuper me nocentes, ut edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei ipſi infirmati ſunt.* q. d. hâc tutelâ & protectione Dei ità ſecurus, ita defenſus, & communitus vivo, ut quamvis tum nocendi cupiditate, velut rabie in me concitati tum famelicorum inſtar canum aut leonum cruorem meum ſitientium crudeles & efferati in me irruant, & quaſi jam jámq; carnes meas devoraturi invadant, non ſolùm eorum rabies, & ferocia mihi nocitura non ſit, ſed ſuos potiùs in autores redundatura: elangueſcent enim illorum mihi intentati conatus, & in nihilum recident, ſummo dolore ipſorum, & ſic ſeipſos conficient, & cadent ante pedes meos. Pro *(infirmati ſunt)* Hebr. legit *impegerunt* in me velut in petram ſcandali, & corruent, fuſúsq; illis ipſis conatus, non mihi ruinæ, exitióq; exiſtet. Subjungit hujus conſideratæ à ſe protectionis, & providentiæ divinæ effectum ſeq. v. 5 & 6. conſtantem contra timorem animi erectionem, quâ confirmavit, atq; animatus non ſingulos modò hoſtes ſuos, ſed integra etiam eorum caſtra contemnit. *Si conſiſtant adverſum me caſtra* (ſeu quicquid terrorem incutere poteſt) *non timebit cor meum, ſi exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo*, me victoriam, & triumphum reportaturum. Hac fretus tutelâ S. Martinus apud Sulpitium. *Ego*, inquit, *ſigno crucis, non clypeo protectus aut galeâ, cuneos hoſtium penetrabo ſecurus.*

III. Motivum contra timorem adverſariorum, & rerum caducorum amittendarum, quas eripere nobis illi poſſunt, ſimillimum illud eſt, quod Chriſtus diſcipulis ſuis ſuggeſſit Luc. 12. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, &c. oſtendam autem vobis, quem timendum: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* q. d. dummodo hoſtes veſtri vobis

æterna, & immortalia bona non auferant, Deum, inquam, ejúsq; in Cœlo fruitionem, & beatitudinem, animam veſtram non occidant per peccatum, ejúsq; immortali felicitate vos privent, timendi non ſunt, ſed is qui hæc dare, & eripere poteſt. Hoc ipſum S. David. v. 7. & 8. innuit, *unum*, inquiens, vel *unam*, (rem ſcil. nam utrúmque genus per hebræam ſignificatur) *petij à Domino*, *hanc requiram* (identidem flagitando, & repetendo) *ut inhabitem* ſcil. *in domo Domini*, non illa terreſtri, ubi propitiatorium, & Arca fœderis aſſervatur, juxta quam palatium regium, etſi remotius, erat ædificatum, hæc enim habitatio temporalis, & tanta petitione Regis tam ſancti minus digna videbatur, ſed cœleſti potius, & ſempiterna, ut verbum habitandi non ad tempus ſed omnibus diebus vitæ meæ indicat, & exponit ſenſu literali etiam S. Auguſtinus: quo item intelligitur verſus ille ſimilis Pſ. 38. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Subdit, *ut videam voluptatem Domini*, objectivam ſcil. quæ eſt ipſe Deus, vel ut vox hebræa habet, *pulchritudinem Domini*, (& ita vertit S. Hieron, & Theodoretus vocem græcam τερπνότης pro eadem accepit, ſicut non minus ſignificat pulchritudinem quàm voluptatem, in qua etiam ſignificatione noſter expoſuit, verbúmq; videndi idem evincit) quo genuinè eſſentialis beatitudo exprimitur, quæ in viſione intellectuali conſiſtit, utpote actione nobiliſſima, potentiæ omnium præſtantiſſimæ erga ſummum objectum, juxta Theologiam ſolidiorem, ut benè Bellar. hic, & S. Auguſtinus eodem ſenſu, ut *contempler delectationem Domini, & viſitem templum ejus*, Sanctos nimirum, & Beatos, qui templo cœli continentur, eorum gloriam contemplando, quæ poſt eſſentialem beatitudinem accidentalis altera, eáq; præcipua eſt. Nihil enim poſt viſionem Dei jucundius, quàm ſacratiſſimum illum cœlum rectè per templum expreſſum, ut Beatiſſimam Dei parentem Virginem cum Choris Angelorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Viduarum, deniq; Sanctiſſimorum omnium in ſua gloria oculis colluſtrando obire, & quaſi viſitare.

Hanc igitur rem unicam ita unicè deſiderio, & amittere timeo, ut jacturam cæterarum, timorémq; earum perdendarum nihili faciam, dummodo morear hanc unam rem acquirere, & conſervare.

Quartum motivum. *Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me* v. 9. Hac literali ſenſu de periculo mortis

S. Da-

S. David exponunt quidam, & die malorum, è quo evaſit, quando 1. Reg. 21. Saulis declinans inſidias profugit in Tabernaculum Domini, ubi acceptis panibus propoſitionis, & gladio Goliathi ad Regem Achis ſe contulit. Verum abſconditum ibi Davidem latuiſſe non legimus, ſed panes tantùm memoratos cum Goliathi gladio accepiſſe. Credibilius, itaque eſt eum loqui de ſingulari Dei providentia, quâ ſuos erga electos præcipuâ curâ, & bonitate fertur tempore hujus vitæ, in qua dies mali ſunt, quâque eos in intima, & abditiſſima parte tabernaculi ſui, ita in ipſo corde, atq; oculis, & vulnere latens ſui Chriſtus abſcondere, & protegere dicitur propter benevolentiam, tenerrimûmq; erga nos amorem, quo ſenſu illud Pſ. 13. exponi poteſt *habitabunt recti cum vultu tuo*, unde Zacha. 2. ait, *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, qua ratione Eccleſia hujus promiſſi Deum commonefaciens orat: *Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi ſub umbra alarum tuarum* (juxta tuum cor ſcil. poſitos) *protege nos.*

Hoc ſe motivo P. Antonius Padillius, ut in vita P. Balthaſaris Alvarez narratur. cap. 26. animabat contra timores, qui animam ejus ante mortem concutiebant. Nam ſacro viatico accepto, priusquam ſupremûm inungeretur duabus horis ſolus coram crucifixo valde devotò orans, magno diversòq; cum ſenſu pietatis, cum obſervatus eſſet à Patre quodam per januæ rimas, tandem mortis inſtantis nuncio divinitùs intellecto, & confeſſario ſuo indicato, ſecum iſta voluere auditus eſt. *Quid eſt Domine, quod timeam: cum mihi dixeris, quod me intra cor tuum habeas? Si igitur intra cor tuum me habes, eamus, quocunque volueris, nihil enim eſt mihi timendum.*

Quintum motivum. *In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.* v. 10. Petram, quæ Davidi arcis inſtar, propugnaculique munitiſſimi extiterit, fuiſſe illam, quæ 1. Reg. 23. *petra dividens* dicitur, à ſenſu literali non eſt alienum, quando ſcil. Saul ex parte montis una, & David ex altera hoſtili militum Coronâ cinctus, & ferè jam deſperatus evadere non poterat, cum repente irrupiſſe Philiſtæos Sauli nunciatum eſt, quo audito receſſit, Saul, & à Davide quaſi diviſus, illi ſalvandi ſui, evadendiq; copiam divinâ diſpoſitione dare coactus eſt. Verum per metaphorâ hæc petra multò certius ſapidiúsque intelligitur ſingularis Dei providentia, quæ tum Davidi, tum aliis juſtis electiſque velut arx munitiſſima, altiſſimáque ſit, in qua exaltatus, & protectus de-

ſpectet quaſi infra ſe hoſtes ſuos tanquam victor, ac ſuperior eorum, caput ſupra illos elevet, & exaltet generoſitate quâdam è Cœlo ſibi communicata. Quâ metaphorâ Iſaias cap. 33. juſti tutelam deſcribens: *Iſte*, inquit, *in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.*

Et ſanè hæc Dei providentia petra contra omnes hoſtes, eorúmque timorem juſtis firmiſſimum præſidium eſſe debet; ac Chriſtianis nominatim Chriſtus Crucifixus ab Apoſtolo Petra dicitur (*petra autem erat Chriſtus*, 1. Cor. 10.) qui in petra montis Calvariæ, ſanctiſſimáq; cruce exaltatus, & elevatus, exaltat caput noſtrum ſuper inimicos noſtros. Sive enim peccatorum noſtrorum aculeis compungimur, eorúmq; timore lancinamur, *hæc petra refugium eſt erinaceis*, ſcil. peccatoribus. Pſ. 103. ſive venatores, canéſq; inferni nos infeſtant, & velut paventem, & conſternatum lepuſculum inſectantur: *lepuſculus plebs invalida collocat in hac petra cubile ſuum.* Prov. 30. Sive Milvi, & Vultures aërearum poteſtatum contra animam graſſentur, eámq; involent, *illa ſicut columba in foraminibus petræ hujus, & in caverna maceriæ.* Cant. 2. contra omnes eorum timores placidè conquieſcit, dum ſecum illud Joh. 3. meditatur: *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Atq; ita in *hoc ſigno* crucis *vincit* Chriſtianus, *& exaltat caput ſuum ſuper inimicos ſuos.* In ea velut loco altiſſimo, tutiſſimóq; conſtitutus: quod non modò motivum, ſed medium quoq; eſt contra timorem machinationum omnium hoſtilium, de quibus ſequenti puncto.

Affectus confidentiæ.

ECquid igitur eſt, quod expaveſcas anima mea? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. *& quis eſt, qui nobis noceat, ſi boni æmulatores fuerimus?* 1. Petr. 1. eiq; charitate, & fide conjuncti adhæſerimus, an non enim *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum?* Rom. 8. *Ingredere in hanc petram*, velut munitiſſimum contra omnes inimicorum infeſtationes præſidium, & *abſcondere in foſſo humo à facie timoris.* Iſa. 2. 10. in has *introeas*, inquam, *ſciſſuras petrarum, & cavernas ſaxorum à facie formidinis Domini, cum ſurrexerit percutere terram.* v. 21.

Punctum II.

COnſidera media comprimendæ puſillanimitatis, & timoris, qui tum in vita, tum in morte adhibenda ex parte noſtra ſunt. Quanquam enim ex parte Dei ſtimulos nobis addat, & permoveat ejus ergà nos Charitas, Miſericordia, & ſpecialis Providentia, quaſi in actu primo prompta, paratáq; ad ſuccurrendum nobis; requiritur tamen etiam ex parte noſtra, ut cooperemur nos quoq;, & ea applicemus in actu ſecundo, implorando Dei opem nobis paratam. Id, quod David vv. ſeqq. facit. Et v. 11. quidem ait: *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis.* Quod (ſenſ. lit.) vel de circuitu in tabernaculo fœderis, cum immolatione hoſtiarum, ſacrificiorúmque exponi poteſt, quibus Dei opem invocabat, indéq; *hoſtiam vociferationis* appellat, vel quod cum clangore tubarum, jubilatione, & vociferatione Cantantium hymnos Moyſis inſtituto Num. 10. eæ offerentur, quibus David Cytharas, & alia inſtrumenta adjunxit 1. Paral. 16. vel (Bellarm autore) explicatur potiùs de ſacrificio laudis, quòd à nobis Deus potiſſimùm exigit. Pſ. 49. v. 14. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? immola Deo ſacrificium laudis*, & v. 24. *Sacrificium laudis honorificabit me*, nec nõn Pſ. 115. appoſitè ad inſtitutum noſtrum. *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Hoc ergò Propheta oblaturus, per contemplationem, pericula hoſtium, in quibus fuit, beneficiáq; Dei ſe defendentis percurrit, & erumpit in admirationem operum Dei, & laudem Omnipotentis Liberatoris: *circuivi*, inquit, id eſt, mente perluſtravi omnia opera Dei, quæ ſunt in Cœlo, & in terra, præcipuéq; bonitatem, & potentiam ejus innuendo me. *Et immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis*, id eſt, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod eſt Cœlum, quod per contemplationem aſcendi, magnâ voce ex magna admiratione procedente, laudavi Deum, quæ laus ſacrificium eſt illi gratiſſimum, medicinamq; contra hoſtes, eorúmq; timorem præſentiſſimum; nam *laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* Pſ. 17. Sic ferè Bellar. Dicamus nos ſenſu ſaltem morali ab his non multùm abludente, Remedium Timoris eſſe quidem illam Dei ad nobis ſuccurrendum paratam opem precibus noſtris efflagitandam, ſed hac ſub diſtinctione, ut ea ſcil. vel immediatè ab ipſo Deo poſcatur, vel mediatè per im-

plorata

plorata Divorum cœlitum Angelorúmq; tum ſuffragia, tum patrocinia, tum auxilia. Et ab hac poſteriore S. Vates hoc verſu orditur, dum ait: *Circuivi* per Beatorum ordines, & choros tum Angelorum, tum aliorum cœlituum, & iis *immolavi hoſtiam vociferationis* magno affectu, & contentione inclamando, & implorando opem eorum (præterito pro futuro poſito more Hebr.) juxta praxin S. Auguſtini, quam cap. 24. Manual. inſinuat: *Anima,* inquit, *quæ amat,* (& timet filialiter) *aſcendit frequenter, & currit familiariter per plateas Cœleſtis Jeruſalem, viſitando Patriarchas, & Prophetas, ſalutando Apoſtolos, admirando exercitus Martyrum, & confeſſorum, chorósq; Virginum ſpeculando, ſuúmque in auxilium invocando, eáque re ſic animatur, ut experiatur idem, quod timore perculſus Eliſai miniſter expertus* eſt. 4. Reg. 6. qui dum cinctum numeroſo milite ad capiendum Magiſtrum ſuum, locum ubi morabantur ambo vidiſſet, exclamavit: *Heu, heu, heu! Domine mi quid faciemus? at poſtquam ille reſpondit, noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Oraſſétque ut Deus oculos pueri ſui aperiret, ut videre* ſubſidium ſibi paratum *poſſet: vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſai.* Cujus ſimilia exempla paſſim referunt ſacræ hiſtoriæ. Et quia medium illud tam ſuave, & facile, quàm præſens, & efficax eſt, quid enim facilius, & præſentius, quàm una imploratione hac. v. 9. *omnes S. Angeli, vel omnes S. & electi Dei ſuccurrite mihi* ſuppetias illas cœleſtes tum numero copioſas tum affectu ſtudióq; in nos pronas, in ſuccurſum auxiliúmq; noſtrum evocare, ſive mortis in diſcrimine, ſive aliis in periculis conſtitutis: Meritò illud iterare, uſq;, & uſq;, & de illo gratias cantare Deo proponit: *Cantabo, & Pſalmum dicam Domino.* v. 11. idcirco.

Tandémq; etiam tum inſigni patronorum ſtipatus comitatu ante Dei ipſius thronum immediatè ſupplicabundus proſternitur, audientiam poſtulans: *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te,* vel mediantibus patronis his, vel qua unam hanc rem petivi, *ut habitem in domo tua, miſerere mei, & exaudi me.* v. 12. utq; voto ſuo potiatur, exaudiatúrq; facilius, poſt allegatam modo ſuam miſeriam rationes alias adjungit: quarum prima eſt, quod omnis ejus timor ſit, ne deſiderato tam ardenter, & unicè conſpectu Dei privetur. *Tibi dixit cor meum* (deſiderio inflammato clamans) *exquiſivit te facies mea* oculi, & potentiæ meæ interiores, inquam, quæ facies animi ſunt, tuam pulchritudinem

dinem faſtiditis creatis omnibus, videre deſiderant. *faciem tuam Domine requiram.* v. 13. Et hoc unum ſtudium meum futurum eſt, ut conſpectu tuo potiar.

Quanquam hic verſiculus alterum remedium puſillanimitatis innuere videatur, quod eſt Deum ſibi ſemper præſentem facere, qui ſe intueatur certantem in periculis contra hoſtes, ſicut S. *Stephanus vidit cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dexteris Dei*, Act. 7. Deum ſcil. Ducem ſtantem ſuccinctum, ut prælianti militi ſuo ſuccurrat. Magnum enim laboranti in pugna militi ſolatium. & incitamentum eſt, habere ſpectatorem ducem ſuum, vel ut periclitanti præſto ſit, vel ut virtutem arbitretur, & coronas ei meritas decernat.

Quam gratiam continuari orat. *Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in via à ſervo tuo*, ſi forte fragilitate mea, cujus mihi nimis, quam conſcius ſum, vacillem, aberrem, aut prolabar in peccatum aliquod, de quo amaris Deum anima ſolicitè ſemper timet, ut in ea veriſſimum ſit illud: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor.* *Ne* ex tali inopinato lapſu *avertas faciem tuam à me* iratus, nec deſeras antiquum ſervum tuum, ſed ſicut Petrum poſt trinam negationem oculis miſericordiæ reſpicias, quod ſeq. v. 15. repetit ob affectus vehementiam, & rei petitæ momentum. *Adjutor meus eſto* (cum ſine gratiæ tuæ auxilio nihil proficiam) *ne derelinquas me, neq; deſpicias me* (græcè *ne me projicias eſcam corvis, infernalibus* ſcil.) *Deus ſalutaris meus*, ſeu Salvator jam toties, & ex tot periculis, ut ne ſinas illa eſſe fruſtranea, & quaſi gratis profuſa. Quæ beneficia, Deiq; erga ſe paternam providentiam aptiſſima ad motum ſimilitudine, & figura deſcribit. v. 16. ſeq. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* q. d. (ut Card. Bellar piè commentatur) ego ſum inſtar infantis recens nati, quem pater, & mater dereliquerunt humi jacen- „ tem, atq; omni injuriâ expoſitum. Tu autem Domine ita abjectum, „ & deſolatum benigniſſimè collegiſti, & foviſti. Non quod Davidâ „ parentibus derelictus fuerit, eorumvé ope indiguerit, quos ipſe potius „ Regi Moab commendaverat, 1. Reg. 22. ſed ut oculis ſubiciat fragilitatem noſtram inter hoſtium tot, tamq; potentium inſidias, & quàm gratia Dei in omnibus actionibus indigi ſimus. Verè enim infantibus à parentibus neglectis, & abjectis comparari eo in ſtatu rectiſſimè poſſumus. Atque *hoc eſt tertium remedium* contra puſillanimitatem,

cognitio, & diffidentia ſui, ſuperiorum fundamentum, & cauſa, cui adjungitur mox

Quartum *Confidentia in Deo* comes prioris fideliſſima, quâ confiſus cum infantulum ſe velut coram Deo ſtatuiſſet infirmum, ignarum, & ope omni deſtitutum, petit ut ſe per viam legis divinæ gradi conantem auxiliis gratiæ ſuæ manuducat, quo tantò ſecuriùs ad terminum exoptatum cœleſtis habitaculi ſcilicet pertingat. *Legem pone mihi Domine*, inquit, *in via tua*, erudiendo me, juxta Hebr. & S. Hieron. idq; non tam nudâ cognitione ejus quoad intellectum, quàm ſapidâ unctione Spiritûs S. quoad affectum, quâ obſervandæ legi eidem examuſſim intimè afficiatur, eáq; delectatur, quod ſequentibus verbis magis exprimit: *Et dirige me in viam rectam*, ſicut infantulum perfectè gradi neſcium manuducit mater, vel ancilla bajula, idq; *propter inimicos meos*. v. 17. qui in hac via inſidias mihi ſtruunt, & ab ea abducere, & avertere me moliuntur; quam petitionem continuat v. ſeq. 18. *Ne tradideris me in animam tribulantium me*, id eſt, voto, & deſiderio eorum, pro quo anima ponitur, ſeu voluutati, ac poteſtati ipſorum, ut pro ſua libidine mecum agant, *quoniam inſurrexerunt contra me hoſtes iniqui*, Hebr. teſtes falſitatis, mendaces, inquam, & deceptores, tentatores, & inſidiatores mei, qui ſub ſpecie boni fucatis rationibus, & promiſſis, quæ pro veris venditant, & mihi obtrudunt, à via ſanctiſſimæ legis me abducere moliuntur. Juxta quod Pſ. 118. ait: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua*, ſubdit, & *mentita eſt iniquitas ſibi*, ſed ſua illos ſpes eluſit, ut in proprium dedecus; & ignominiam dolos, quibus ipſi illaqueati ſunt, mihi tetenderint.

Affectus invocationis SS. in periculis, ex medit. S. Auguſt. c. 24.

„ O Felices SS. Dei omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis, & pacis: obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis, ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſolliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria, &c. ſumus námq; valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, &c. & tamen in Chriſto Confeſſione poſiti ligno crucis ferimur navigantes per hoc mare mare magnum, & ſpatioſum, ubi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus,

ubi ſunt animalia puſilla cum magnis, ubi eſt Draco ſæviſſimus ſem- „
per paratus ad devorandum, ubi ſunt loca periculoſa, Scylla, & Chary- „
bis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide du- „
bii. Orate Dominum, orate piiſſimi, orate omnia agmina Sancto- „
rum, & univerſi Cœtus Beatorum, ut veſtris precibus, meritiſq; adju- „
ti, ſalvâ nave, & integris mercibus pervenire mereamur ad portum „
perpetuæ ſalutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ „
ſeccuritatis. „

Punctum III.

EX horum conſideratione duo fructus eliciendi ſunt cum S. David; Alter eſt ſpes Theologica, vel ſupernaturalis per miſericordiam Dei, & Chriſti merita pertingendi ad æternam beatitudinem. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* v. 19. q. d. Etſi tantis periculis, & hoſtibus viâ, quâ pergimus ad cœleſtem beatitudinem, impedita ſit; firmiſſimè tamen ſpero (pro quo credo ſæpe ponitur in ſcriptura) fretus miſericordia Dei, qnam expertus ſum, ejúſq; promiſſionibus, & meritis Chriſti, me illa bona, quæ verè bona ſunt, & bona Domini, & quibus ipſe quoq; Deus beatus eſt, ſui viſione, & contemplatione, inquam, conſecuturum, in regione immortalitatis, quo mors nunquam aſcendit, ſed ubi vita perpetua viget.

Alter fructus eſt *Longanimitatis. Expecta Dominum, viriliter age, & ſuſtine Dominum.* v. 20. tres præcipuos actus exhibet hic verſiculus, primus eſt, ut quoad moram temporis, quamdiu Deo placuerit, cum patientia ſuſtineamus vitæ hujus adverſa, dum ex his eripere nos Deo viſum fuerit, *ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Habac. 2.

2. Ut interim non oſcitanter, & ſegniter depugnemus contra hoſtes noſtros, ſed viriliter, & ſtrenuè rem agamus, maſculo cordis robore perſtemus, divinâ virtute ſuffulti, ut ex Hebr. D. Hieron. legit *roboretur cor tuum.*

3. Tandem ſuſtineamus perſeveranter quæcunque, quantumvis ſpe noſtrâ divinâ à Deo in nos permiſſa, vel immiſſa, quantumvis etiam promiſſis ejus contraria nobis videantur, & *contra ſpem in ſpem credamus* cum Abraham. Rom. 4. & cum S. Job dicamus cap. 13. *et tamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.*

Affectus animoſæ perſeverantiæ.

„ EJa ergò anima mea, quæ deſideras in domo Dei habitare, quia tam „ multa pignora divini amoris habes, quia credis videre bona Do„ mini in terra viventium, noli deficere in tribulationibus, neq; terre„ nas conſolationes reſpicias, ſed patienter expecta, confortare in Do„ mino, viriliter age, dum tranſeant dies mali, & adveniant dies boni. Bellarm. hic.

ORATIO

Domine illuminatio, ſalus, protector, & adjutor noſter, corrobora divinis auxiliis gratiæ tuæ imbecilles, quos aſſumpſiſti infantulos tuos, & dirige nos in viam, & ſemitas rectas, inter medios hoſtes, & adverſitates, ut per merita Chriſti, & interceſſionem omnium Sanctorum ad videndum cum illis bona Domini in terra viventium, inoffenſo pede conſtanter vias juſtitiæ decurramus, & feliciter ad metam æternæ beatitudinis perveniamus. Amen.

IN PSALMUM XXVII.

Ad te Domine clamabo, &c.

MEDITATIO XXIX.

In gravi afflictione conſtituti Orantis
Prototypon.

Argumentum Pſalmi.

Orat vel propriâ in perſona David, ſive in perſecutione Saulis, ſive in defectione, & rebellione Seba, quando 2. Reg. 20. v. 2. dicitur, *ſeparatus eſt omnis Iſraël à David, ſecutúſq; eſt Seba filium Bochri*, vel in perſona Chriſti prophetico ſpiritu (ut cum S. Auguſt. & Hieron. multò certiùs autumat Bellarm. etiam quoad ſenſ. lit.) pro Reſurrectione, & Glorificatione poſt paſſionem, diſperditis hoſtibus, & conſervato fideli populo ſuo. Vel (ſenſ. mor.) in perſona juſti cujuscunq; in af-

in afflictione conſtituti. Nos medium, & certiorem ſenſum hîc ſequemur.

Punctum I.

EXpende primam hujus orationis partem, quâ Chriſtus auxilium à Deo Patre orat, ſicut fecerat etiam Pſ. 21. cujus hîc compendium videtur, in quo exemplum nobis prælucere voluit, ut noſtris in anguſtiis ante omnia recurramus ad Deum, ipſe enim, quamvis ſimul Deus eſſet, & omnia, quæ æterno concilio decreta erant, noſſet, voluit tamen, ſicut in vita frequentiſſimè, ita quoq; in paſſione, & morte ſuâ pro iiſdem Deum orare, adorandi nobis tum exemplar, tum formam exhibendam, puta, vel petendi, vel obſecrandi, vel gratias agendi, qui modi, ſpeciésq; orationis ſunt, juxta Apoſtoli doctrinam 1. Tim. 2. *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, & diſtinctè hic repræſentantur. Nam petitionis, ſeu obſecrationis, orationis, & poſtulationis formam primus, & ſecundus verſus referunt. *Ad te Domine clamabo*, non oſcitanter, & voce preſsâ, ſed cum fervore, qui mentis clamor eſt, quo modo Hebr. 5. Apoſtolus Chriſtum oraſſe *cum clamore valido in diebus carnis ſuæ* teſtatur. Obſecrationem addit, Deus meus, quod verbum congeminat. Pſ. 21. *Deus, Deus meus*, in Hebr. habetur, *petra mea, vel fortis meus*, obſecrando per potentiam, fidelitatémq; ſuam Deum in quo omnis fundata ejus fiducia ſit, *ne ſileas à me, ne quando taceas à me* S. Hierm. exponit, *ne obſurdeſcas* mihi (hebraiſmo) quaſi non audieris vocem meam, ſed reſponde facturum te quod flagito, ut exauditum me cognoſcam rationem addit.

Et aſſimilabor deſcendentibus in lacum, ne cæteris morientibus, & ante ſupremum Mundi totius judicium non reſurrecturis videri ſimilis poſſim, ſed glorioſam corpori meo reſurrectioenem ocyus tribue, vel ne velut impotens omnino, quales ſunt mortui, qui in ſepulchro, vel loco ſubterraneo jacent, inimicis meis videar.

Quare *exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te* (idem repetit) *dum extollo manus meas, vel in* cruce extenſas, vel more orantium, *ad templum ſanctum tuum*, ſive ad tabernaculum fœderis, ſive ad Cœlum potius, quibus nos formam geſtúmq; orantis, externam humilitatem, devotionémq; ſpirantem docet, quem Chriſtum in orationibus aſſumpſiſſe Evangeliſtæ referunt, dum elevaſſe oculos in Cœ-

Punctum III.

EXpende tertiam orationis partem, & ſpeciem, quæ duabus primo puncto poſitis, additur, quæ eſt gratiarum actio pro beneficio exauditæ orationis, & impetrato, eo quod oraverat, quam cum certâ fiducia orantibus inſpirat ſæpe Deus inſignum conceſſæ petitionis: & prophetia in perſona Chriſti glorioſam reſurrectionem prævidens, de ea gratias Deo agit. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ*, v. 8. quia nimirum *Dominus adjutor meus, & protector meus*. Hebr. *fortitudo, & ſcutum*, interius corroborans per auxilia gratiæ, & exterius protegens per aſſiſtentiam, & defenſionem contra hoſtes meos mortem atq; Diabolum, ideóq; *in ipſo ſperavi, & adiutus ſum*. v. 9.

Et refloruit caro mea per reſurrectionem depoſitis corruptelis „ corporalis, ut inquit S. Ambr. exuviis, aſſumptiſq; redivivi corporis „ glorioſis dotibus. Quamobrem enim floruit caro Domini (ſubjungit idem S. Pater) cum primum de Beatæ Virginis illibata vulvâ proceſſit, ſicut ait Eſaias: exibit *virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Ita refloruit, cum ſucciſo per Judæos corporis flore, rediviva „ de ſepulchro reſurrectionem gloria germinavit, & in floris modum, „ odorem pariter, & nitorem cunctis hominibus immortalitatis illu- „ vit, odorem, bonorum operum ſuavitatem circumferens, nitorem, „ in corruptelam perpetuæ divinitatis oſtendens. Hæc S. Ambr.

Et ea propter *ex voluntate mea confitebor ei* v. 10. promptiſſima alacritate, & toto corde, & animo hanc laudem illi accinam: *Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt*. Hæc inquam materia laudis, & carminis gratiarum erit, quod ſcil. Dominus potentiam, & fortitudinem ſuam in protegendis electis populis ſuis demonſtraverit (quemadmodum Regina Prophetarum in ſuo, quoq; carmine cecinit) *fecit potentiam in brachio ſuo*. Luc 1. dum ſalutem Chriſti ſui, & capitis à quo ſalus, & fortitudo populi totius dependet, tam valide defendit, & ſalvationes ejus, tot ex hoſtibus, tot in periculis, ut cum beneficiis, tot cum gratiis, eximiiſq; dotibus tam potenter, tam admirabiliter, tamq; glorioſè in victoria de hoſtibus, & reſurrectione ejus operatus eſt.

Tandem efficaciſſimam precem pro dilecto populo ſubjungit v. 12. *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & [illegible]*

...., & extolle eos usq; in æternum. q. d. Aliud non ſupereſt nunc, quàm ... Chriſto Capite Eccleſiæ ſic glorificato, ejus quoq; hæreditas, & corpus, qui eſt populus Chriſtianus, cum eo ſalvetur, & glorificetur. Hoc ... *benedic* huic hæreditati tanto pretio conquiſitæ, Pater æterne, ... juſtificando *rege* eos conſervando, & ab hoſtibus protegendo in ... vita, & tandem *extolle illos* glorificando, idq; per immortalem beatitudinem, *usque in æternum.*

Affectus laudis, gratiarum actionis, petitionis ex ipſo textu, vel ipſius Chriſti, vel Prophetæ in perſona ejus.

ORATIO.

S... clamorem dilecti filii tui æterne Pater clementer exaudi, ... benedic hæreditati tuæ, quam tibi pretioſo ſanguine ſuo acquiſivit, ... ab omni adverſitate protegas, & poſt reſurrectionem in gloria ... tecum æternum regnare concedas.

IN PSALMUM XXVIII.

Afferte Domino Filii Dei, &c.

MEDITATIO XXX.

Supremi Opificis in condenda, & dotanda Eccleſia Præconium.

Vel

Glorificandus à fidelibus Deus ob beneficia, & magnalia, quæ in Eccleſia ſua ex Chriſto exhibet.

Argumentum Pſalmi.

David invitat, & adhortatur populum Judaicum occaſione ... Arcæ poſt ... Paralip. ... laudandum, colendumq; ... Deum propter ... quam vel in ... elementis ... vel in prodigiis ratione Arcæ olim oſtendit (ſenſ. lit.) Ut ex ...

 culo

ſpectet quaſi infra ſe hoſtes ſuos tanquam victor, ac ſuperior eorum, caput ſupra illos elevet, & exaltet generoſitate quâdam è Cœlo ſibi communicata. Quâ metaphorâ Iſaias cap. 33. juſti tutelam deſcribens: *Iſte*, inquit, *in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.*

Et ſanè hæc Dei providentia petra contra omnes hoſtes, eorúmque timorem juſtis firmiſſimum præſidium eſſe debet; ac Chriſtianis nominatim Chriſtus Crucifixus ab Apoſtolo Petra dicitur (*petra autem erat Chriſtus*, 1. Cor. 10.) qui in petra montis Calvariæ, ſanctiſſimáq; cruce exaltatus, & elevatus, exaltat caput noſtrum ſuper inimicos noſtros. Sive enim peccatorum noſtrorum aculeis compungimur, eorúmq; timore lancinamur, *hæc petra refugium eſt erinaceis*, ſcil. peccatoribus. Pſ. 103. ſive venatores, canéſq; inferni nos infeſtant, & velut paventem, & conſternatum lepuſculum inſectantur: *lepuſculus plebs invalida collocat in hac petra cubile ſuum.* Prov. 30. Sive Milvi, & Vultures aërearum poteſtatum contra animam graſſentur, eámq; involent, *illa ſicut columba in foraminibus petræ hujus, & in caverna maceriæ.* Cant. 2. contra omnes eorum timores placidè conquieſcit, dum ſecum illud Joh. 3. meditatur: *ſic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Atq; ita in *hoc ſigno* crucis *vincit* Chriſtianus, *& exaltat caput ſuum ſuper inimicos ſuos.* In ea velut loco altiſſimo, tutiſſimóq; conſtitutus: quod non modò motivum, ſed medium quoq; eſt contra timorem machinationum omnium hoſtilium, de quibus ſequenti puncto.

Affectus confidentiæ.

ECquid igitur eſt, quod expaveſcas anima mea? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. *& quis eſt, qui nobis noceat, ſi boni æmulatores fuerimus?* 1. Petr. 1. eiq; charitate, & fide conjuncti adhæſerimus, an non enim *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum?* Rom. 8. *Ingredere in hanc petram*, velut munitiſſimum contra omnes inimicorum infeſtationes præſidium, & *abſcondere in foſſo humo à facie timoris.* Iſa. 2. 10. in has *introeas*, inquam, *ſciſſuras petrarum, & cavernas ſaxorum à facie formidinis Domini, cum ſurrexerit percutere terram.* v. 21.

Punctum II.

COnſidera media comprimendæ puſillanimitatis, & timoris, qui tum in vita, tum in morte adhibenda ex parte noſtra ſunt. Quanquam enim ex parte Dei ſtimulos nobis addat, & permoveat ejus erga nos Charitas, Miſericordia, & ſpecialis Providentia, quaſi in actu primo prompta, paratáq; ad ſuccurrendum nobis; requiritur tamen etiam ex parte noſtra, ut cooperemur nos quoq;, & ea applicemus in actu ſecundo, implorando Dei opem nobis paratam. Id, quod David vv. ſeqq. facit. Et v. 11. quidem ait: *Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis.* Quod (ſenſ. lit.) vel de circuitu in tabernaculo fœderis, cum immolatione hoſtiarum, ſacrificiorúmque exponi poteſt, quibus Dei opem invocabat, indéq; *hoſtiam vociferationis* appellat, vel quod cum clangore tubarum, jubilatione, & vociferatione Cantantium hymnos Moyſis inſtituto Num. 10. eæ offerentur, quibus David Cytharas, & alia inſtrumenta adjunxit 1. Paral. 16. vel (Bellarm autore) explicatur potiùs de ſacrificio laudis, quod à nobis Deus potiſſimùm exigit. Pſ. 49. v. 14. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? immola Deo ſacrificium laudis,* & v. 24. *Sacrificium laudis honorificabit me*, nec non Pſ. 115. appoſitè ad inſtitutum noſtrum: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Hoc ergò Propheta oblaturus, per contemplationem, pericula hoſtium, in quibus fuit, beneficiáq; Dei ſe defendentis percurrit, & erumpit in admirationem operum Dei, & laudem Omnipotentis Liberatoris: *circuivi*, inquit, id eſt, mente perluſtravi omnia opera Dei, quæ ſunt in Cœlo, & in terra, præcipuéq; bonitatem, & potentiam ejus intuendo me. *Et immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis*, id eſt, in hoc ingenti tabernaculo Dei, quod eſt Cœlum, quod per contemplationem aſcendi, magnâ voce ex magna admiratione procedente, laudavi Deum, quæ laus ſacrificium eſt illi gratiſſimum, mediúmq; contra hoſtes, eorúmq; timorem præſentiſſimum; nam *laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* Pſ. 17. Sic ferè Bellar. Dicamus nos ſenſu ſaltem morali ab his non multùm abludente; Remedium Timoris eſſe quidem illam Dei ad nobis ſuccurrendum paratam opem precibus noſtris efflagitandam, ſed hac ſub diſtinctione, ut ea ſcil. vel immediatè ab ipſo Deo poſcatur, vel mediatè per im-

plorata

plorata Divorum cœlitum Angelorúmq; tum ſuffragia, tum patrocinia, tum auxilia. Et ab hac poſteriore S. Vates hoc verſu orditur, dum ait: *Circuivi* per Beatorum ordines, & choros tum Angelorum, tum aliorum cœlituum, & iis *immolavi hoſtiam vociferationis* magno affectu, & contentione inclamando, & implorando opem eorum (præterito pro futuro poſito more Hebr.) juxta praxin S. Auguſtini, quam cap. 24. Manual. inſinuat: *Anima*, inquit, *quæ amat*, (& timet filialiter) *aſcendit frequenter, & currit familiariter per plateas Cœleſtis Jeruſalem, viſitando Patriarchas, & Prophetas, ſalutando Apoſtolos, admirando exercitus Martyrum, & confeſſorum, chorósq; Virginum ſpeculando, ſuúmque in auxilium invocando, eáque re ſic animatur, ut experiatur idem, quod timore perculſus Eliſæi miniſter expertus* eſt. 4. Reg. 6. qui dum cinctum numeroſo milite ad capiendum Magiſtrum ſuum, locum ubi morabantur ambo vidiſſet, exclamavit: *Heu, heu, heu! Domine mi quid faciemus? at poſtquam ille reſpondit, noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Oraſsétque ut Deus oculos pueri ſui aperiret, ut videre ſubſidium ſibi paratum poſſet: vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi.* Cujus ſimilia exempla paſſim referunt ſacræ hiſtoriæ. Et quia medium illud tam ſuave, & facile, quàm præſens, & efficax eſt, quid enim facilius, & præſentius, quàm una imploratione hac. v. 9. *omnes S. Angeli, vel omnes S. & electi Dei ſuccurrite mihi* ſuppetias illas cœleſtes tum numero copioſas tum affectu ſtudioq; in nos pronas, in ſuccurſum auxiliúmq; noſtrum evocare, ſive mortis in diſcrimine, ſive aliis in periculis conſtitutis: Meritò illud iterare, uſq;, & uſq;, & de illo gratias cantare Deo proponit: *Cantabo, & Pſalmum dicam Domino.* v. 11. idcirco.

Tandémq; etiam tum inſigni patronorum ſtipatus comitatu ante Dei ipſius thronum immediatè ſupplicabundus proſternitur, audientiam poſtulans: *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te*, vel mediantibus patronis his, vel qua unam hanc rem petivi, *ut habitem in domo tua, miſerere mei, & exaudi me.* v. 12. utq; voto ſuo potiatur, eáq; audiatúrq; facilius, poſt allegatam modo ſuam miſeriam rationes alias adjungit: quarum prima eſt, quod omnis ejus timor ſit, ne deſiderato tam ardenter, & unicè conſpectu Dei privetur. *Tibi dixi cor meum* (deſiderio inflammato clamans) *exquiſivit te facies mea* oculi, & potentiæ meæ interiores, inquam, quæ facies animi ſunt, tuam pulchritu-

ſanoliq dinem

dinem faſtiditis creatis omnibus, videre deſiderant. *faciem tuam Domine requiram*. v. 13. Et hoc unum ſtudium meum futurum eſt, ut conſpectû tuo potiar.

Quanquam hic verſiculus alterum remedium puſillanimitatis innuere videatur, quod eſt Deum ſibi ſemper præſentem facere, qui ſe intueatur certantem in periculis contra hoſtes, ſicut S. *Stephanus vidit cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dexteris Dei*, Act. 7. Deum ſcil. Ducem ſtantem ſuccinctum, ut prælianti militi ſuo ſuccurrat. Magnum enim laboranti in pugna militi ſolatium . & incitamentum eſt, habere ſpectatorem ducem ſuum, vel ut periclitanti præſto ſit, vel ut virtutem arbitretur, & coronas ei meritas decernat.

Quam gratiam continuari orat. *Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in via à ſervo tuo*, ſi forte fragilitate mea, cujus mihi nimis, quam conſcius ſum, vacillem, aberrem, aut prolabar in peccatum aliquod, de quo amans Deum anima ſolicitè ſemper timet, ut in ea veriſſimum ſit illud: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor*. *Ne* ex tali inopinato lapſu *avertas faciem tuam à me* iratus, nec deſeras antiquum ſervum tuum, ſed ſicut Petrum poſt trinam negationem oculis miſericordiæ reſpicias, quod ſeq. v. 15. repetit ob affectus vehementiam, & rei petitæ momentum. *Adjutor meus eſto* (cum ſine gratiæ tuæ auxilio nihil proficiam) *ne derelinquas me, neq; deſpicias me* (græcè *ne me projicias eſcam corvis, infernalibus* ſcil.) *Deus ſalutaris meus*, ſeu Salvator jam toties, & ex tot periculis, ut ne ſinas illa eſſe fruſtranea, & quaſi gratis profuſa. Quæ beneficia, Deiq; erga ſe paternam providentiam aptiſſima ad motum ſimilitudine, & figura deſcribit. v. 16. ſeq. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me*. q. d. (ut Card. Bellar piè commentatur) ego ſum inſtar infantis recens nati, quem pater, & mater dereliquerunt humi jacen- „ tem, atq; omni injuriâ expoſitum. Tu autem Domine ita abiectum, „ & deſolatum benigniſſimè collegiſti, & foviſti. Non quod David à „ parentibus derelictus fuerit, eorumvé ope indiguerit, quos ipſe potius „ Regi Moab commendaverat, 1. Reg. 22. ſed ut oculis ſubiciat fragilitatem noſtram inter hoſtium tot, tamq; potentium inſidias, & quàm gratia Dei in omnibus actionibus indigi ſimus. Verè enim infantibus à parentibus neglectis, & abjectis comparari eo in ſtatu rectiſſimè poſſumus. Atque *hoc eſt tertium remedium* contra puſillanimitatem,

cognitio, & diffidentia ſui, ſuperiorum fundamentum, & cauſa, cui adjungitur mox

Quartum *Confidentia in Deo* comes prioris fideliſſima, quâ confiſus cum infantulum ſe velut coram Deo ſtatuiſſet infirmum, ignarum, & ope omni deſtitutum, petit ut ſe per viam legis divinæ gradi conantem auxiliis gratiæ ſuæ manuducat, quo tantò ſecuriùs ad terminum exoptatum cœleſtis habitaculi ſcilicet pertingat. *Legem pone mihi Domine*, inquit, *in via tua*, erudiendo me, juxta Hebr. & S. Hieron. idq; non tam nudâ cognitione ejus quoad intellectum, quàm ſapidâ unctione Spiritûs S. quoad affectum, quâ obſervandæ legi eidem examuſſim intimè afficiatur, eáq; delectatur, quod ſequentibus verbis magis exprimit: *Et dirige me in viam rectam*, ſicut infantulum perfectè gradi neſcium manuducit mater, vel ancilla bajula, idq; *propter inimicos meos.* v. 17. qui in hac via inſidias mihi ſtruunt, & ab ea abducere, & avertere me moliuntur; quam petitionem continuat v. ſeq. 18. *Ne tradideris me in animam tribulantium me*, id eſt, voto, & deſiderio eorum, pro quo anima ponitur, ſeu voluutati, ac poteſtati ipſorum, ut pro ſua libidine mecum agant, *quoniam inſurrexerunt contra me hoſtes iniqui*, Hebr. teſtes falſitatis, mendaces, inquam, & deceptores, tentatores, & inſidiatores mei, qui ſub ſpecie boni fucatis rationibus, & promiſſis, quæ pro veris venditant, & mihi obtrudunt, à via ſanctiſſimæ legis me abducere moliuntur. Juxta quod Pſ. 118. ait: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua*, ſubdit, & *mentita eſt iniquitas ſibi*, ſed ſua illos ſpes eluſit, ut in proprium dedecus; & ignominiam dolos, quibus ipſi illaqueati ſunt, mihi tetenderint.

Affectus invocationis SS. in periculis,
ex medit. S. Auguſt. c. 24.

„ O Felices SS. Dei omnes, qui jam tranſiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis, & pacis: obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis, ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſolliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria, &c. ſumus námq; valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, &c. & tamen in Chriſto Confeſſione poſiti ligno crucis ferimur navigantes per hoc mare magnum, & ſpatioſum, ubi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus,

ubi ſunt animalia puſilla cum magnis, ubi eſt Draco ſæviſſimus ſem- „
per paratus ad devorandum, ubi ſunt loca periculoſa, Scylla, & Chary- „
bis, & alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, & in fide du- „
bii. Orate Dominum, orate piiſſimi, orate omnia agmina Sancto- „
rum, & univerſi Cœtus Beatorum, ut veſtris precibus, meritíſq; adju- „
ti, ſalvâ nave, & integris mercibus pervenire mereamur ad portum „
perpetuæ ſalutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ „
ſeccuritatis. „

Punctum III.

EX horum conſideratione duo fructus eliciendi ſunt cum S. David; Alter eſt ſpes Theologica, vel ſupernaturalis per miſericordiam Dei, & Chriſti merita pertingendi ad æternam beatitudinem. *Credo videre b na Domin in terra viventium.* v. 19. q. d. Etſi tantis periculis, & hoſtibus viâ, quâ pergimus ad cœleſtem beatitudinem, impedita ſit; firmiſſimè tamen ſpero (pro quo credo ſæpe ponitur in ſcriptura) fretus miſericordia Dei, qnam expertus ſum, ejúsq; promiſſionibus, & meritis Chriſti, me illa bona, quæ verè bona ſunt, & bona Domini, & quibus ipſe quoq; Deus beatus eſt, ſui viſione, & contemplatione, inquam, conſecuturum, in regione immortalitatis, quo mors nunquam aſcendit, ſed ubi vita perpetua viget.

Alter fructus eſt *Longanimitatis. Expecta Dominum, viriliter age, & ſuſtine Dominum.* v. 20. tres præcipuos actus exhibet hic verſiculus, primus eſt, ut quoad moram temporis, quamdiu Deo placuerit, cum patientia ſuſtineamus vitæ hujus adverſa, dum ex his eripere nos Deo viſum fuerit, *ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Habac. 2.

2. Ut interim non oſcitanter, & ſegniter depugnemus contra hoſtes noſtros, ſed viriliter, & ſtrenuè rem agamus, maſculo cordis robore perſtemus, divinâ virtute ſuffulti, ut ex Hebr. D. Hieron. legit *roboretur cor tuum.*

3. Tandem ſuſtineamus perſeveranter quæcunque, quantumvis ſpe noſtrâ divinâ à Deo in nos permiſſa, vel immiſſa, quantumvis etiam promiſſis ejus contraria nobis videantur, & *contra ſpem in ſpem credamus* cum Abraham. Rom. 4. & cum S. Job dicamus cap. 13. *etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.*

Affectus animoſæ perſeverantiæ.

„ EJa ergò anima mea, quæ deſideras in domo Dei habitare, quia tam „ multa pignora divini amoris habes, quia credis videre bona Do- „ mini in terra viventium, noli deficere in tribulationibus, neq; terre- „ nas conſolationes reſpicias, ſed patienter expecta, confortare in Do- „ mino, viriliter age, dum tranſeant dies mali, & adveniant dies boni. Bellarm. hic.

ORATIO

Domine illuminatio, ſalus, protector, & adjutor noſter, corrobora divinis auxiliis gratiæ tuæ imbecilles, quos aſſumpſiſti infantulos tuos, & dirige nos in viam, & ſemitas rectas, inter medios hoſtes, & adverſitates, ut per merita Chriſti, & interceſſionem omnium Sanctorum ad videndum cum illis bona Domini in terra viventium, inoffenſo pede conſtanter vias juſtitiæ decurramus, & feliciter ad metam æternæ beatitudinis perveniamus. Amen.

IN PSALMUM XXVII.

Ad te Domine clamabo, &c.

MEDITATIO XXIX.

In gravi afflictione conſtituti Orantis Prototypon.

Argumentum Pſalmi.

Orat vel propriâ in perſona David, ſive in perſecutione Saulis, ſive in defectione, & rebellione Seba, quando 2. Reg. 20. v. 2. dicitur, *ſeparatus eſt omnis Iſraël à David, ſecutúſq; eſt Seba filium Bochri*, vel in perſona Chriſti prophetico ſpiritu (ut cum S. Auguſt. & Hieron. multò certiùs autumat Bellarm. etiam quoad ſenſ. lit.) pro Reſurrectione, & Glorificatione poſt paſſionem, diſperditis hoſtibus, & conſervato fideli populo ſuo. Vel (ſenſ. mor.) in perſona juſti cujuſcunq; in af-

in afflictione conſtituti. Nos medium, & certiorem ſenſum hic ſequemur.

Punctum I.

EXpende primam hujus orationis partem, quâ Chriſtus auxilium à Deo Patre orat, ſicut fecerat etiam Pſ. 21. cujus hîc compendium videtur, in quo exemplum nobis prælucere voluit, ut noſtris in anguſtiis ante omnia recurramus ad Deum, ipſe enim, quamvis ſimul Deus eſſet, & omnia, quæ æterno concilio decreta erant, noſſet, voluit tamen, ſicut in vita frequentiſſimè, ita quoq; in paſſione, & morte ſuâ pro iisdem Deum orare, adorandi nobis tum exemplar, tum formam exhibendam, puta, vel petendi, vel obſecrandi, vel gratias agendi, qui modi, ſpeciéſq; orationis ſunt, juxta Apoſtoli doctrinam 1. Tim. 2. *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, & diſtinctè hic repræſentantur. Nam petitionis, ſeu obſecrationis, orationis, & poſtulationis formam primus, & ſecundus verſus referunt. *Ad te Domine clamabo*, non oſcitanter, & voce preſſâ, ſed cum fervore, qui mentis clamor eſt, quo modo Hebr. 5. Apoſtolus Chriſtum oraſſe *cum clamore valido in diebus carnis ſuæ* teſtatur. Obſecrationem addit, Deus meus, quod verbum congeminat. Pſ. 21. *Deus, Deus meus*, in Hebr. habetur, *petra mea, vel fortus meus*, obſecrando per potentiam, fidelitatémq; ſuam Deum in quo omnis fundata ejus fiducia ſit, *ne ſileas à me, ne quando taceas à me* S. Hierm. exponit, *ne obſurdeſcas* mihi (hebraiſmo) quaſi non audieris vocem meam, ſed reſponde facturum te quod flagito, ut exauditum me cognoſcam rationem addit.

Et aſſimilabor deſcendentibus in lacum, ne cæteris morientibus, & ante ſupremum Mundi totius judicium non reſurrecturis videri ſimilis poſſim, ſed glorioſam corpori meo reſurrectioenem ocyus tribue, vel ne velut impotens omnino, quales ſunt mortui, qui in ſepulchro, vel loco ſubterraneo jacent, inimicis meis videar.

Quare *exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te* (idem repetit) *dum extollo manus meas, vel in* cruce extenſas, vel more orantium, *ad templum ſanctum tuum*, ſive ad tabernaculum fœderis ſive ad Cœlum potius, quibus nos formam geſtúmq; orantis, externam humilitatem, devotionémq; ſpirantem docet, quem Chriſtum in orationibus aſſumpſiſſe Evangeliſtæ referunt, dum elevaſſe oculos in Cœ-

 lum

lum, ut Lazari reſuſcitatione Joh. 11. & alibi narrant, quo animæ oculos, quod eſt cor noſtrum per intentionem ſanctam affectúmque fervoris, & puras manus per pia opera, à creaturis ad Deum ſuſtollere debere erudiamur.

Affectus orationis.

O Cœleſtis Magiſter, qui & verbo diſcipulos tuos docuiſti orare, & exemplo, excita, in nobis fervoris in oratione ſtudium, & mitte ſpiritum tuum in cor noſtrum, in quo clamemus: *Abba Pater* Rom. 8. filiali cum amore, & quia quod oremus ſicut oportet, neſcimus *ipſe ſpiritus tuus* rogo, *poſtulet pro nobis gemitibus in enarrabilibus.*

Punctum II.

EXpende alteram orationis hujus partem, quoad ſubſtantiam rei petitæ, in qua pro ſe, ſuiſque membris glorioſam reſurrectionem petit, ſibi quidem tanquam ſed omni peccato immuni debitam, ſuis verò fidelibus à ſe promeritam, ſibi, quàm mox à morte, ſuis verò membris Chriſtianis in univerſali anaſtaſi, in qua reprobi peccatores, & infideles reſurgent quidem, ſed non ad vitam, verùm ad ſecundam mortem eamque æternam, uti Pſ. 1. dicitur, ideo *non reſurgent impij in judicio, neque peccatores in Concilio juſtorum*, quam ſuis promeruerunt peccatis, & in fidelitate.

Ne ſimul trahas me cum peccatoribus in mortem, talem ſcil. quæ victrix mei ſit, ſed ut moriendo à me mors per reſurrectionem vincatur. quemadmodum canit Eccleſia, *qui mortem noſtram moriendo devicit vel vitam reſurgendo reparavit*. Altera enim mors velut peccati pœna, *nam per peccatum mors intravit in hunc mundum.* Rom. 5. peccatoribus debetur. Verùm, quia Chriſtus ab omni peccato, immunis erat, non alia ei conveniebat, quàm ab eo ſponte ſuſcepta pro redemptione mundi, & quàm mox ſequi glorioſa reſurrectio debebat, communicanda à ſe redemptis, & morte pro iis obita, à peccato, & morte vindicatis, ſi ejus ſe gratiæ capaces, & participes facerent, quod cùm infideles, & peccatores, non præſtent, meritò orat. *& cum operantibus iniquitatem, ne perdas me, in membris meis*, v. 3.

Et licet impii, & infideles jam memorati externis cum juſtis ita converſentur, ut pacem colere videantur quoad politicam apparentiam, in animo tamen, quem Deus intuetur, omni genos dolos, & ſcelera

 fovent.

ſovent. *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.* v. 4.

Ideo Prophetico ſpiritu juſtam Dei in eos vindictam denunciat, ſic enim exponitur ſcripture more conſueto illa Imperativi modi apparens imprecatio S. Auguſt. & Hieron. teſte, qui in tit Pſ. benè ait, *quæ inimicis optantur non malitia eſt, ſed ratio prophetiæ prædicentis, quæ eis pro malis ſuis immineant. Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam inventionum ipſorum tribue illis, redde retributionem illis* v. 5. & 6. q. d. Juſtâ Dei vindictâ illis eveniet, ut ſicut ex malitia varios vexandi, & opprimendi juſtos invenerunt modos, ita per talionem æquiſſimum retribuatur ipſis quod machinati in alios, & Deum ipſum impiè fuerunt.

Horum porrò peccatorum unicam cauſam, & radicem affert infidelitatem, & craſſam, affectatámq; ignorantiam, vel inconſiderationem, v. 7. *Quoniam non intellexerant*, id eſt intelligere obſtinatè noluerunt, ſive Judæi, ſive gentiles, ſive Chriſtiani etiam peccatores, *opera Domini, & in opera manuum ejus* ubi (in) hebraiſmo ſuperfluum eſt, ea inquam, quæ in redemptione præſertim generis humani incarnatione, & prædicatione Evangelii admirabiliter patrata ſunt, quæ rectè opera manuum ejus, & ab ipſo immediatè confecta dicuntur, ſive ad intra tantum ſint, ſive ad extra etiam, ut vocant, quam ignorantiam Judæorum Chriſtus liberrimis lacrimis deploravit, ſuo in urbem Hieroſolymitanam triumphato ingreſſu. Luc. 19. *quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi*, & Moyſes dudum ante de eodem Judæorum populo dequeſtus fuit. Deut. 32. *gens abſq; conſilio eſt, & ſine prudentia, utinam ſaperent, & intelligerent; & noviſſima providerent, ideo deſtrues illos, & non ædificabis eos.* v. 7. ſine ulla pœnitentia ex parte tua, & ſine ulla ſpe reſtaurationis ex parte illorũ, ſive in perpetuum, & irremediabili, irreparabiliq; ruina, illos involves, & conſepelies in ſua perditione, eosq; ita deſtrues, ut cum deſtruxeris, non te pœniteat, ideoq; nunquam reædificandi eos cogitationem ſuſcipias.

Affectus Zeli gloriæ Chriſti.

P*Ater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Joan. 17. per glorioſam reſurrectionem, ut ſic nobis fratribus ſuis, & filiis tuis adoptivis partem gloriæ ſuæ communicet, *& quod dediſti ei, det eis vitam æternam.*

Punctum III.

EXpende tertiam orationis partem, & ſpeciem, quæ duabus primo punćto poſitis, additur, quæ eſt gratiarum actio pro beneficio exauditæ orationis, & impetrato, eo quod oraverat, quam cum certâ fiducia orantibus inſpirat ſæpe Deus in ſignum conceſſæ petitionis: & propheta in perſona Chriſti glorioſam reſurrectionem prævidens, de ea gratias Deo agit. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ*, v. 8. quia nimirum *Dominus adjutor meus, & protector meus*. Hebr. *fortitudo, & ſcutum*, interius corroborans per auxilia gratiæ, & exterius protegens per aſſiſtentiam, & defenſionem contra hoſtes meos mortem atq; Diabolum, ideóq; *in ipſo ſperavi, & adiutus ſum*. v. 9.

Et refloruit caro mea per reſurrectionem depoſitis corruptionis „ corporalis, ut inquit S. Ambr. exuviis, aſſumptisq; redivivi corporis „ glorioſis dotibus. Quamobrem enim floruit caro Domini (ſubjungit idem S. Pater) cum primum de Beatæ Virginis illibata vulva proceſſit, ſicut ait Eſaias: exibit *virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Ita refloruit, cum ſucciſo per Judæos corporis flore, redivivus „ de ſepulchro reſurrectionem gloria germinavit, & in floris modum, „ odorem pariter, & nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflavit, odorem, bonorum operum ſuavitatem circumferens, nitorem „ in corruptelam perpetuæ divinitatis oſtendens. Hæc. S. Ambr.

Et ea propter *ex voluntate mea confitebor ei* v. 10. promptiſſima alacritate, & toto corde, & animo hanc laudem illi accinam. *Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt*. Hæc inquam materia laudis, & carminis gratiarum erit, quod ſcil. Dominus potentiam, & fortitudinem ſuam in protegendis electis populis ſuis demonſtraverit (quemadmodum Regina Prophetarum in ſuo, quoq; carmine cecinit) *fecit potentiam in brachio ſuo*. Luc 1. dum ſalutem Chriſti ſui, & capitis à quo ſalus, & fortitudo populi totius dependet, tam validè defendit, & ſalvationes ejus, tot ex hoſtibus, tot in periculis, tot cum beneficiis, tot cum gratiis, eximiisq; dotibus tam potenter, tam admirabiliter, tamq; glorioſè in victoria de hoſtibus, & reſurrectione ejus operatus eſt.

Tandem efficaciſſimam precem pro dilecto populo ſubjungit v. 11. *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege*

eos

eos, & extolle eos usq; in æternum. q. d. Aliud non ſupereſt nunc, quàm ut Chriſto Capite Eccleſiæ ſic glorificato, ejus quoq; hæreditas, & corpus, qui eſt populus Chriſtianus, cum eo ſalvetur, & glorificetur. Hoc uſus, benedic huic hæreditati tanto pretio conquiſitæ, Pater æterne, eos juſtificando rege eos conſervando, & ab hoſtibus protegendo in terris, & tandem extolle illos glorificando, idq; per immortalem beatitudinem, usque in æternum.

Affectus laudis, gratiarum actionis, petitionis ex ipſo textu, vel ipſius Chriſti, vel Prophetæ in perſona ejus.

ORATIO.

Supplicis vocis clamorem dilecti filii tui æterne Pater clementer exaudi, & benedic hæreditati tuæ, quam tibi pretioſo ſanguine ſuo acquiſivit, ut nos & ab omni adverſitate protegas, & poſt reſurrectionem in gloria tecum æternum regnare concedas.

IN PSALMUM XXVIII.

Afferte Domino Filii Dei, &c.

MEDITATIO XXX.

Supremi Opificis in condenda, & dotanda Eccleſia Præconium.

Vel

Glorificandus à fidelibus Deus ob beneficia, & magnalia, quæ in Eccleſia ſua ex Chriſto exhibet.

Argumentum Pſalmi.

David invitat, & adhortatur populum Judaicum occaſione translationis Arcæ poſt perfectum tabernaculum ab eo (1. Paralip. 15.) ad laudandum, colendumq; ſanctiſſimum Deum propter potentiam ejus quam vel in elementis demonſtrat, vel in prodigiis ratione Arcæ olim oſtendit (ſenſ. lit.) Ut ex titulo

tulo Pſalmi *in conſummatione tabernaculi* colligit S. Hieron. Etſi Bellarm. eod. ſenſu velit de Eccleſia Novi Teſtamenti, quæ tabernaculum Dei cum hominibus dicitur. Apoc. 21 David enim prophetico ſpiritu ſublimiori hæc ceciniſſe, nec ei minus ſervit titulus: *Conſummatio* enim tabernaculi potius Eccleſiæ, tanquam vero, & perfecto, quàm umbratico veteri tabernaculo convenit; de quo quidquid ſit, ſaltem ſenſu allegorico Pſalmum explicari de Eccleſia, ejúsq; admirandis operibus, quæ per prædicationem Evangelii, & 7. Sacramenta patrantur, non [illegible] bium, ob quæ omnis laus, & cultus Deo exhibendus ſit. Cujus ſcopus, & titulus meditationis eſt, conformis Eccleſiæ, quæ pro primitiis gentium ad fidem vocatis, Tribus Magis ſcil. extraordinario ritu hunc Pſalmum decantandum proponit feſto Epiphaniæ.

Punctum I.

COnſidera ſi regius Pſaltes populum Judaicum ad laudandum [illegible] lendumq; Deum invitat, & adhortatur occaſione conſummationis tabernaculi, & tranſlationis Arcæ propter Dei potentiam, quæ vel in Elementis elucet, vel quam prodigiis ratione ejusdem arcæ olim perpetratis oſtendit. v. 1. & 2.

Afferte Domino filii Dei (ſeu fideles populi, quibus ſe Deus [illegible] exhibet) *filios arietum* (ſeu agnos, poëticâ deſcriptione) in [illegible] laudis; victimis illis cruentis, quæ tunc in uſu erant, eum [illegible] *Afferte Domino gloriam & honorem*, tum intellectu agnoſcendo ejus [illegible] tentiam, & magnalia profitendo, tum voce eam deprædicando, [illegible] pere perficiendo, quæ ad illum magnificandum, & proteſtandam [illegible] gloriam, honorémq; ſpectant; adoratione ſcil. corporis inclinatione, manuum, & oculorum elevatione, ſimilibusq; ſignis. In Hebr. [illegible] ponitur, *afferte potentiam, fortitudinem, imperium*, ea [illegible] profitendo: iſte enim verus honor Dei eſt, ejus imperio ſe [illegible] ejus potentiam profiteri, & proteſtari coram omnibus. *Afferte* [illegible] *gloriam nomini ejus*, ſeu nomen, famam, & notitiam Dei celebrando, & divulgando ubiq;. *Adorate Dominum in atrio Sancto ejus*, [illegible] bulo [illegible] tabernaculi ſive Laicorum, ſive Mulierum, ſive Gentium [illegible] triplex enim veſtibulum fuit, ad quod omnibus patebat [illegible] Sacerdotum, quo ſoli Sacerdotes ingrediebantur. Hoc [illegible] erat atrium.

Si autem hæc, inquam, ratione tabernaculi adhortari David Iſraëlitas voluit, quantò magis ſpiritu prophetico ſublimiori elevatus ad Eccleſiam cognoſcendam Novi Teſtamenti, & magnalia, quæ in illa futura erant deprædicanda invitare voluiſſe fideles Chriſtianos credendus eſt, tanquam veros filios Dei per Chriſtum adoptivos, & ſub lege gratiæ conſtitutos. Ut non agnos illos arietum filios, *ſed agnum* Dei immaculatum, *qui tollit peccata mundi.* Joh. 1. & per cujus ſanguinem facti ſunt filii Dei, in ſacrificium laudis, & gratiarum actionis Deo Patri offerant, ejus gloriam, & honorem deprædicando amplificent, teſtatámq; toti mundo reddant Potentiam, Miſericordiam, Sapientiam, Charitatem, Liberalitatem, cæteráq; attributa, & nomina Dei, quæ in lege gratiæ, & Eccleſia manifeſtavit, agnoſcant, & profiteantur palàm omnibus, & in templo ſuo ſanctiſſimo Dominum caſtiſſimè venerentur, humillimè adorent?

Affectus laudis, & glorificationis.

O Ergo ſanctæ hujus Jeruſalem, & Sionis Eccleſiæ, inquam, indigenæ laudate Deum veſtrum, qui ita filiis *ſuis benedixit. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Pſ. 144. quæ eſt enim *alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Deut. 4.

Punctum II.

COnſidera laudis materiam, & cauſas, ob quas Deum meritò glorificandum nobis proponit S. David, eo quod ſc. potentia Dei mirabilia operata ſit ſolâ voce, & verbo, (nam *ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* Pſ. 148.) imò nutu, & voluntate ſua, vel *in* [illegible], velut Arca fœderis.

Experimur quidem in elemento aquæ, quam in prima orbis creatione mirabiliter per firmamentum diviſit, & eam, quæ ſub Cœlo eſt, à ſuperiore aqua ſeparatam in unum alveum congregavit. Gen. 1. [illegible] *faceret aquas, & dixit Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Ibidemq; iterum *dixit Deus: congregentur aquæ, quæ ſub Cœlo ſunt in locum unum, & appareat arida.* Cùm enim tunc vox Domini ſuper aquas audita eſt.

Verùm ad prodigia referamus, quæ per arcam perpetrata ſunt. Eadem

vox Domini ſuper aquas extitit Joſue 3. quando per Arcam fœderis à Sacerdotibus per medium Jordanem Dei juſſu portatam [illegible] co veſtigio fluvium *tempore meſſis, quo ripas alvei ſui repleverat,* [illegible] *mitteret omnis populus Iſrael*, dum ad ingreſſum Sacerdotum Arcam portantium & præcedentium *ſteterunt aquæ deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis apparebant intumeſcentes, quæ autem inferiores* [illegible] *rant in mare ſolitudinis deſcenderunt, usquequo omnino deficerent,* [illegible] *tum Sacerdotes, tum populus omnis ſtarent ſupra ſiccam humum in medio Jordanis.*

O magna potentia vocis Domini ſuper aquas! Hinc [illegible] æquiparatur. *Deus Majeſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas* [illegible] v. 3. quod ad imperium Dei aquæ elementum quaſi perterritum [illegible] ſtratúmq; mox obtemperaverit nutui Majeſtatis Divinæ, ſive [illegible] quæ illæ copioſiſſimæ terram inundantes mox alveo ſe incluſerint [illegible] Pſ. 103. diſtinctiùs inſinuat, *ſuper montes ſtabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt*, ſive dum quaſi [illegible] [illegible] aliquæ dilapſæ profugerunt, aliæ murorum inſtar conſtiterunt [illegible] cum tranſitum Sacerdotibus, populoq; univerſo permittendo. [illegible] eadem vox dicitur *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia* v. 5. græce in fortitudine, & violentia.

Niſi quis velit alterum per hæc prodigium ſignificari, [illegible] Deus Exod. 19. & 20. in monte Sinai locuturus, daturúsq; legem Decalogi tabulis inſcriptam lapideis (quæ in arca etiam aſſervabantur) cum tonitru, & fulmine advenit, & *cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórq; buccinæ vehementius perſtrepere*, quæ profectò vox Domini in virtute, & magnificentia extitit.

Ab admirabili operatione Dei in elemento aquæ tranſit ad operationes in elemento aeris, unde non minor Dei apparet ſapientiæ [illegible] materia ſuppetit. *Vox Domini* [illegible] *Cedros,* [illegible] *Cedros Libani, & comminuet eas*. Hebr. [illegible] *vitulum Libani,* [illegible] v. 5. & 6.

[illegible]

[illegible] robuſtiſſimæq́, arbores, & nusquam majores, profundiſq; fixæ [illegible] quam Libano in monte excelſiſſimo ſint) leviſſimo quaſi [illegible], proſternant, atq; confringant non majori difficultate, [illegible] recens [illegible] ex utero Matris Vitulus Cervæ ad ſonitum [illegible] [illegible]ur, vel à fulmine tenera ejus membra comminuuntur. Fa[illegible] infractos ramos, ac truncorum fragmenta huc illuc diſſilire fa[illegible] facilitate, quâ Vituli Cervorum laſcivientes, aut Capreæ ſive [illegible], vel *tanquam dilectus filius unicornium*, ſeu luſ[illegible] pullus aliquis Monocerotis, qui dilectus dicitur, vel quia per[illegible] formoſus, ideoq; tam parentibus quàm hominibus in amoribus [illegible] laſciviente curſu ſubſiliens, & luſitans ſpectatoribus eſt ob[illegible].

[illegible] (*tanquam dilectus*) hebræa habent, *tanquam Sirion*, qui eſt [illegible] Libano vicinus, aliàs Hermon cognominatus. q. d. non ſolum Ce[illegible] Libani, ſed ipſos quoq; montes, Libanum, & Hermon per terræ [illegible] concutiendo ſubſilire quaſi faciet, velut Vitulum Unicornium. [illegible] quod Pſ. 113. dicitur: *Montes exultaverunt ut arietes, & colles* [illegible].

Quod ſi hæc ipſa prodigia per Arcam perpetrata accommodare [illegible], quid ſunt aliud proceræ, robuſtæq́; Cedri radicitus evulſa, mon[illegible] proſtrati, quàm fortiſſimi Reges, & populi bellicoſiſſimi, [illegible] Moyſe, & Joſue, vel perterrefecit, concuſſitque, ut refertur Joſ. [illegible] *audierunt omnes Reges Ammorrhæorum, & cuncti Re*[illegible] *quod ſiccaſſet Dominus fluenta Jordanis*, [illegible] *non remanſit in eis ſpiritus, timentium introitum filiorum* [illegible] vicit, contrivitq; per Iſraeliticum populum Deus ſuo in ta[illegible], & Arcæ fœderis præſentiam, conſpicuamque præbens [illegible] quidem per nubem, noctu verò per ignem. *Nubes* [illegible] *per diem tabernaculo, & ignis in nocte videntibus* [illegible] *per cunctas manſiones ſuas*. Exod. 6. de quibus [illegible] Pſ. 135. *qui percuſſit Reges magnos* [illegible] [illegible].

[illegible]

rem e nubibus, velut è cœleſtibus caminis in terras evibrantur quibus nihil terribilius, & ad Dei iram ſignificandam accommodatius, nihil etiam ſubtilius, & acutius; unde intercidi dicuntur, ſive ad ſubtilitatem redigi, & acui. Ut Deut. 32. *ſi acuero ut fulgur gladium meum.*

Talis etiam potentia, & terrefactio in Arca fœderis accidit. Num. 16. quando 250. viros complices rebellium Core, Dathan, & Abiron, (quos dehiſcens terra vivos glutiverat) *ignis egreſſus a Domino, ſeu tabernaculo* interfecit, & murmurantis idcircò multitudinis contra Moyſen & Aaron ad tabernaculum profugientes, quatuordecim millia, & ſeptingentos egreſſum *vaſtavit incendium.*

Tandem potentiam Dei in elemento terræ etiam celebrat. *Vox Domini*, inquit, *concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades.* Quod duplici ſenſu intelligi poteſt: vel quod vox tonantis [illegible] in deſerto magis reſonet, eóq; terrore concutiantur feræ illic habitantes, ut continens pro contento ponatur, iſtóq; tonitruorum fragore [illegible] ne terræ motu, & concuſſione commoveantur, & concidant etiam [illegible] quæ in deſolato maximè Arabiæ deſerto Cades reperiuntur, vel ut [illegible] rabilius ex hebræo legatur. *Vox Domini parturire faciet deſertum Cades.* Bellarm. ita ut mirabilis Dei potentia per hoc ſignificetur, quæ ſicut montem Libani nutu, voceq; ſuâ Cedris, arboribusq; aliis viduum, deſertumq; reddit, ita è contrario ipſum deſertum Cades etiam, [illegible] ſci ſolet, concuſſione vocis, & nutu ſuo parturire, & progerminare [illegible] arbores, aliaq; quæ ad vitæ ſuſtentationem illic habitantibus [illegible] ſimili prorſus modo, quo Pſ. 106. ait idem Propheta: *Poſuit [illegible] deſertum & terram frugiferam in ſalſuginem.* Et paulò poſt: *Poſuit deſerta in ſtagna aquarum, & collocavit illic eſurientes, & conſtituerunt civitatem habitationis, & ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas.*

Prior ſenſus Arcæ fœderis quadrat, & prodigio ejus [illegible] poſterior Eccleſiæ, de qua puncto ſequenti. Et de Arca quidem [illegible] planè prodigioſum illud narratur Joſue cap. 6. quòd tranſito Jordane eius beneficio exſiccato, ut ſupra memoratum eſt, poſitiſq; caſtris in Galgalis ad deſertum Jericho, urbem ipſam Jericho munitam [illegible] ductâ Dei voce, ac juſſu, [illegible] Arcâ per Sacerdotes cum clangore tubarum ſeptimo die, ſeptimóq; eius circuitu ad clamorem populi muri ſponte mox corruentibus occupaverint Iſraelitæ, [illegible]

omni-

[illegible], urbe ipſa ſuccenſa, ac in ſolitudinem redacta, ita ut in anathema eſſet, & maledictus ille, qui eam reſtauraret, quæ fuſius recenſentur Joſ. 6.

Nec ſolùm ex elementis inanimatis, ſed animatis etiam atq; viventibus laudis divinæ materiam ſibi ſumit, aliisq; præſcribit ſacer Vates. [illegible] *præparantis Cervos*, inquit, vel ut S. Hieron. legit ex hebræo, [illegible] fœmininum Cervas, *Obſtetricans Cervis*. Cervi enim teſte Job. 39. difficillimi partus ſunt, ut non niſi horrendo fragore tonitrus [illegible] fœtum effundant, in quo miranda Dei providentia iterum laudanda venit. Subdit: *& revelabit condenſa* ſc. ſilvarum, ut nihil Deo [illegible] apertúmq; ſit; vel ut virtutem, efficaciamq; plantarum, [illegible] borumq;, quæ inter condenſa nemorum abſcondita latent, [illegible]ur hominibus, ut cum Salomone 3. Reg. 4. *diſputent ſuper* [illegible], *quæ eſt in Libano, usq; ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete*, [illegible] *jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus*. Hæc omnia inter condenſa, & tenebras ignorantiæ latitantia, per infinitam ſuam potentiam, quam communicat hominibus, revelat, & manifeſtat.

[illegible] *in templ[o] ejus omnes dicent gloriam*. v. 8. non ſolùm inanimata elementa, aqua, aer, ignis, & terra, ſed creaturæ aliæ quoque, [illegible], ſive ſentiente anima præditæ, adducendæ ad templum [illegible] laudem ipſius dicant, ſeu homines potius ex illis, & pro illis [illegible] pueri in fornace babylonica ad Deum benedicendum creaturas [illegible] invitarunt. Dan. 3. additurq; hujus Deum laudandi, glorificandi [illegible] v. 9. ſequenti. *Quia Dominus diluvium inhabitare* [illegible] *ſedebit Dominus Rex in æternum*, id eſt, Deus ad hæc omnia largo [illegible] benedictionis ſuæ quaſi diluvio hunc orbem infundet, ex [illegible] alimentum, vis, vigor, virtus, proveniunt, atq; hæc [illegible] providentiâ ſuâ, quâ orbem univerſum Rex in Cœlis [illegible]er[ne]tur.

H[illegible] applicare voluerimus, inveniemus in ea prodigioſam [illegible], quæ ad voce, virtutemq; Domini præſtitutio velut [illegible] virgas aliarum tribuum, una nocte quaſi parturit, protulitque [illegible] fructus amygdalorum, nam, ut refertur Num. 17. cum [illegible] præceptumq; Dei Moyſi *dediſſent* [illegible] *ſcil.* *duodecim* [illegible]

[illegible]

[illegible] *ſequenti die regreſſus*

invé-

invenit germinaſſe virgam Aaron in domo levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt, quo miraculo ipſe cum filiis, & omni ſtirpe ſua præparati, & à Deo deſtinati ſunt, qui ſanctuario ſacerdotes deſervirent.

Inveniemus in ea, & Manna, quo quaſi imbre quodam, diluvio panis Cœleſtis inundare fecit terram in deſerto. Exod. 16. ſeq; oſtendit Deus Cœli Regem, & proviſorem populi immortalem.

Cui idcirco ob hæc prodigia coram Arca recolenda in templo, & tabernaculo ejus omnes dicant gloriam. Ex quibus etiam porro permiſit populo Judæo virtutem, & robur contra hoſtes ſuos in bello, devictiſq; adverſariis ſuaviſſimam pacem, & quietem omni benedictionum genere affluentem. *Dominus ait*, v. 10. *Virtutem populo ſuo dabit* (ſeu fortitudinem contra hoſtes) *Dominus benedicet populo ſuo in pace.*

Affectus admirationis, & laudis, ex S. Auguſt. cap. 10. ſoliloque.

„ O Quam admirabilis es Domine Deus noſter in operibus, & ſi-
„ gnalibus tuis, laudent te iſta opera tua ſecundum multitudinem
„ magnitudinis tuæ, laudet te, Domine Deus, incomprehenſibilis po-
„ tentia tua, incircumſcriptibilis ſapientia tua, & ineffabilis bonitas tua.
„ Laudet te omnipotentiſſima fortitudo tua, ſumma quoque benigni-
„ tas, & charitas tua, per quam tam miranda patrâſti.

Punctum III.

COnſidera quàm luculentiora hæc evenerint prodigia in nova lege, & Eccleſia, vera Arca fœderis, quam S. Vates excelſiori ſpiritu Prophetico præcognoviſſe, præſignâſſeq; videtur, ob quæ à fidelibus idcirco magis glorificandus ſit Deus. Nunquid enim vox Domini ſuper aquas intonuit, quando Chriſtus legem ſuam Evangelicam populis univerſis annunciavit, annunciariq; fecit, ut S. August. hunc locum exponit? Nam *aquæ multæ* Apoc. 17. *populi multi*, ſuper has aquas vox Domini, & Deus Majeſtatis ex humana carne aſſumpta velut tonitruum ex nube intonuit, vel certè juxta ſenſum.

P. P. Græcorum literaliorem, quando Chriſto in Jordane à Joanne baptizato æternus Pater Jeſum eundem filium ſuum, & in eo novam legem,

legem, Evangeliúmq; orbi univerſo primus propoſuit, & evangelizavit. Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* Tunc enim *Deus majeſtatis intonuit, & vox Domini ſuper aquas multas* extitit, & *vox Domini in virtute*, quia tum primò baptiſma inſtitutum eſt, cujus virtute aquæ omnes totius mundi ritè cum legitima forma, intentionéque uſurpatæ, ab omni peccati originalis, alteriúsq; macula eluerent, filiosq; Dei regenerarent.

Eadem *vox Domini in virtute* apparuit in prædicatione Evangelii per Apoſtolos facta, quæ *non fuit in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* 1. Cor. 2. ſeu ut idem Apoſtolus 1. Theſſ. 2. ait: *Evangelium meum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed in virtute, & Spiritu ſancto.*

Eadem *vox Domini* ſuper Chriſtum *in magnificentia* in Transfiguratione ejus extitit, quando Matth. 17. ut loquitur S. Petrus 2. Epiſt. cap. 1. *accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsâ ad eum hujuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite, reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.*

Hæc vox Domini ſuâ virtute, & magnificentiâ per prædicationem Evangelii à Chriſto, Apoſtolisq; factam Cedros Libani, ſive homines magnitudine potentiæ robuſtos, altitudine honorum, & dignitatum proceros, æſtimate ſapientiæ illuſtres, divitiis, & cupiditatibus ſolo altè radicatos, duritie obſtinatos, odorum deliciis, quos Cedri ſpirant, voluptuoſos. Has omnes Cedros prædicatio Evangelii, per modeſtiam, & humilitatem Chriſtianam ſolo ſtravit, per pœnitentiam comminuit; & tanquam vitulorum inſtar cervinorum, pullorumq; unicornium ludibundos ſalire per viam mandatorum, conſiliorúmq; divinorum fecit, terrenisq; ab affectibus avulſos ad angelicam vitam tranſtulit: nec ſingulas Cedros modò, ſed ipſos montes, Libanum, & Saron, integras dico communitates ad fidem, Religionem, & perfectionem adductas jucundiſſimè, placidiſſiméq; in eis conquieſcere fecit.

Eadem *vox Domini intercidentis flammam ignis* extitit in die pentecoſtes, quando apparuerunt in promulgatione Evangelii, & novæ legis *diſpertitæ linguæ tanquam ignis ſupra credentes.* Act. 2. ad ſignificandum evangelicâ prædicatione per Spiritum S. divini amoris ignes, gratiasq; multimodè dividendas ſingulis Chriſtianorum.

Hæc ipſa etiam *vox Domini* in prædicatione legis Evangelicæ *concutientis deſertum* dicitur, barbaras, inquam, deſertáſq; nationes, quæ culturâ ante ſpirituali, & cœleſtis gratiæ irrigatione deſtitutæ, & deſolatæ jacebant; mox autem prædicatione Apoſtolorum, & virorum Apoſtolicorum intimis medullis commotæ, & concuſſæ in paradiſos amœniſſimos effloruerunt, de quibus Iſa. cap. 35. prædixit: *Lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans, gloria Libani data eſt ei decor Carmeli, & Saron*, & rectè in exemplum ſubditur: *& commovebit Dominus deſertum Cades*, quod unum ex ſteriliſſimis eſt, ideoq; minimè habitatam, poſt autem in lege nova, tempore S. Hieronymi multis illuſtre monaſteriis extitit, ipſo eodem teſte in vita S. Hilarionis, atque ita hæc ipſa deſerta, infinita agmina monachorum, ut loquitur idem S. Epiſtola ad Heliodorum tanquam amœniſſimos Chriſti flores progerminarunt.

Deniq; eadem ipſa *vox Domini* in lege gratiæ *præparantis Cervos* dicitur, quaſi Apoſtolos, & Doctores Eccleſiæ tum agiles ad prædicandum Evangelium reddiderit, tum præparatos ad pariendum Chriſtum, Eccleſiæq; plurimas gentes, *revelando* illis ante abſcondita, *& condenſa* ſcripturarum, fideiq; myſteria, ut *in templo*, & Eccleſia *ejus omnes* [illegible] *laudem, & gloriam Deo.*

Nec minus aptè Cardin. Bellarminus: Vox Domini præparat Cervos, cùm evangelica prædicatio præparat homines ſpirituales, alta petentes, & venenatos ſerpentes ſpiritu ſuo occidentes, ad partum mirabilium operum, quid enim majus & mirabilius, quàm ut homo infimus operetur opera meritoriæ vitæ perpetuæ? Sic ille.

Tandem ut omnia verbo complectatur. *Dominus diluvium* omnium bonorum, gratiarúmq; cœleſtium *inhabitare facit* in Eccleſia, copioſiſſimóq; omnis generis donorum imbre eum infundet, & velut diluvio quodam ſupernaturalium bonorum inundabit.

Et ſuper hæc omnia *ſedebit Dominus* in ea *Rex in æternum*, ſingulari providentiâ eam gubernans, protegens, & promovens, juxta promiſſionem illi factam. Matth. 28. *Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi.* Unde affectus ille nobiliſſimus, pulcherrimúſq; fructus exiſtet. *Dominus virtutem populo ſuo dabit.* Robur ſcil. fortitudinem contra hoſtes ejus in hac vita, *Dominus benedicet*

populo ſuo in pace, ſive in altera benedictionem, & pacem ſempiternam.

Porrò inter has gratias, muneráq; cœleſtia à Chriſto Eccleſiæ ſuæ communicata, cumprimis ſunt SS. 7. ſacramenta, quæ aliqui per repetitum ſepties (vox Domini) ſignificari volunt: Et ut primum *Vox Domini ſuper aquas* deſignet *Baptiſmum*, uti ſupra explicatum eſt. 2. *Vox Domini in virtute Confirmatiouem*, quâ virtus, & robur acquiritur. 3. *Vox Domini in Magnificentia Euchariſtiam* ſacramentorum omnium præcipuum, & nobiliſſimum, in quo omnis Munificentia, & Magnificentia Dei nobis exhibetur. 4. *Vox Domini confringentis* Cedros, *Pœnitentiam*, quâ, quantumvis duritie obſtinati, & animo elati peccatores confringuntur, & contritione comminuuntur. 5. *Vox Domini intercidentis flammam ignis Matrimonium*, quo concupiſcentiæ carnalis flamma per gratiam, quæ iſto in ſacramento confertur, interciditur, & in ſpiritualem quaſi amoris conjugalis ignem attenuatur. 6. *Vox Domini concutientis deſertum Ordines ſacros*, quibus Miniſtri Eccleſiæ diſponuntur, ut præparent viam Domini ſicut S. præcurſor Chriſti Johannes Baptiſta Vox clamantis in deſerto dictus eſt. Deniq; 7. *Vox Domini præparantis Cervos. Extremam unctionem*, quâ ex hâc vita emigraturi non ſine metu ad edendum partum æternitatis præparantur, & condenſa viarum, vitæq; alterius aditus aperiuntur, ut in templo cœleſti dicant laudem Deo, & gloriam.

Affectus admirationis, & glorificationis.

O *Quam magna multitudo gratiarum*, munerúmque divinorum. Pſ. 30. *quæ abſcondiſti* fidelibus in Eccleſia tua Deus, *O Iſraël* genuinus, & verus Dei Chriſtianus populus, *quàm magna eſt*, quámq; admirabilis, & ſancta *domus Dei*, Chriſtiana Eccleſia! & quàm *ingens*, & auguſtus *locus poſſeſſionis*, & habitationis *ejus*! Baruc. 3. *Lauda ergò Jeruſalem*, ſancta, inquam, Eccleſia Chriſti. *Dominum lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit ſeras portarum tuarum*, ut portæ inferi non poſſint prævalere adverſus eam. Matth. 16. *Benedixit filiis tuis in te, qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.* In SS. Euchariſtiæ ſacramento præſertim (ut nunc cætera taceam) qui *annunciavit verbum ſuum*, divináq; myſteria, plus quàm *Jacob*, & juſtitias, & judicia ſua, plus quàm olim *Iſraël*. Pſ. 147.

ORATIO.

Ecclesia tua DEUS Sanctificator, & Rector, da fidelibus populis, & filiis ejus, ut beneficia, & magnalia, quæ in illa ipſis præſtas devotâ mente ſemper cognoſcant, & ab illis deprædicandis, tuáque nunquam laudare ceſſent.

IN PSALMUM XXIX.

Exaltabo te Domine, &c.

MEDITATIO XXXI.

MNEMOSYNON EUCHARISTICUM.

Sive

Grata recordatio, tum beneficiorum divinitus acceptorum, tum diſcriminum evitatorum.

Argumentum Pſalmi.

David variis periculis ereptus, variíſq; beneficiis affectus, atq; in regno ſtabilitus, in dedicatione (ut præfert titulus) domus regiæ. 2. Reg. 5. & 7. à ſe magnificentiſſime extructæ, poſt conſummationem tabernaculi (de quo ſuperiori Pſ.) Deo bonorum omnium auctori hoc laudis tributum ſolvit. (ſenſ. hiſtoric.) Chriſtus in Reſurrectione, & dedicatione per gloriam corporis ſui (ſenſu prophetico vel allegorico) Juſtus in reſurrectione ſpirituali per gratiam (ſenſ. mor.)

Punctum I.

CONſidera quot, quantíſq; titulis electi teneantur Deo ſemper gratias agere, dicendo cum David: *Exaltabo te Domine* Confeſſione laudis, in prædicatione beneficiorum tuorum, tam apud me animumque meum, quàm apud alios ea exaltando.

1. *Titulus eſt Creationis, & prædeſtinationis: quia ſuſcepiſti me,* vel in tuam ſingularem tutelam, & providentiam è nihilo per creatio-

nem producendo, vel de imo terræ, & profundo vilitatis, & miſeriarum mearum educendo. *Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Pſ. 112. & *de post fætantes* cum David, extrahendo me, & ad ſolium regni evehendo, paſcere *Jacob ſervum tuum, & Iſraël hæreditatem tuam.* Pſ. 77. juxta hebræum. *Quia exaltaſti me,* prædeſtinando me ad vitam æternam, & gloriam immortalem.

2. *Protectionis.* Idq; contra tot adverſantes mihi, & hoſtes in interitum meum conjuratos, qui votis ſuis nequaquam potiti, nec gaudere de pernicie mea potuerunt, quod eſt, *nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* v. 1.

3. *Conſervationis.* Et licèt afflixerint me, ut animi ægritudine aliquâ ideò contabeſcerem: *Domine Deus clamavi ad te, & ſanaſti me.* v. 2. hanc mihi miſercordiam, & gratiam præſtitiſti, ut per orationem ad te clamarem, quam tu mox benigniſſimè exaudiſti, & ærumnas animi mei conſanaſti, in quo duplex beneficium continetur.

4. *Reparationis, vel ſalvationis. Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum.* Hæc, quæ de morbo Corporis S. David memorat, quo illum correptum lethali, ereptúmque Dei munere aliqui autumant, vel ut alii à ſtrage Angeli percutientis 2. Reg. 24. (quæ nolim hic in controverſiam adducere) Vel certè erutum ex vitæ periculis, & ipſis quaſi mortis faucibus, atq; ſepulchro (pro quo infernus, & laus ponitur) Rectius intelligi poſſunt de morbo, & morte animæ per peccatum originale, à quo ſe extractum, poſtquam illud omnes incurriſſemus, vel præſervatum, ut Beatiſſima Virgo, cum ejus in periculo conſtituta, ob debitum illud contrahendi fuiſſet, meritò Deo in acceptis referre, gratiáſq; agere quivis electus poteſt, & dicere: *Eduxiſti ab inferno animam meam*, & quod non permiſeris, ut in infernum damnatorum, quem promerueram peccato illo in Adam admiſſo descenderem; & *ſalvaſti* me (hebraicè) *vivificaſti me à deſcendentibus in lacum ac ſepulchrum* inferni.

Ob quæ invitat omnes Sanctos, & Electos, quibus eadem Dei miſericordia obtigit, ut ſecum Deum glorificent: *Pſallite Domino Sancti ejus, & confitemini memoriæ ſanctitatis ejus.* v. 4. Memoriæ, inquam, Sanctæ (hebraiſmo uſitato) id eſt, vel ſenſu activo memoriæ tam paternæ, & memoriæ tam piæ, quâ Deus, *qui bonorum noſtrorum non eget.* Pſ. 15. recordatus noſtri eſt, quantumvis ſui immemorum, ad ſuccur-

rendum nobis in malis noſtris, cum nos, qui ejus ope ſummè ſemper indigemus, ipſius tamen obliviſcamur, ipſe contra nunquam noſtri velut oblitus nos deſerat. Vel ſenſu paſſivo, id eſt, Dei ſanctitatem, pietatem & miſericordiam memoriâ æternâ colite, laudate, & celebrate *ſanctum nomen ejus* cum SS. Deipara Luc. 1. Addit cauſam, laudis titulum

5. *Clementiæ in caſtigando citra condignum, ut miſericordia ſuperexaltet judicium.* Jac. 2. *Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus*, id eſt: quia in puniendo tam lenis, in benefaciendo verò tam copioſus, & profuſus eſt. Nam ira furor brevis dicitur, quâ dum ad indignationem provocatus ſceleribus noſtris, pro juſtitia ſua, ea plectit tum id paternè, & quaſi obiter agit, ut mox iterum placetur nobis, quod hebræus expreſſit: *momentum in naſo*, qui furoris, & indignationis ſignum, & ſymbolum eſt, & S. Hieron. vertit, *momentum eſt ira ejus.* Contra verò *vita in voluntate ejus*, id eſt, ſalus, proſperitas, benedictio, & omnis beatitudo ſecundum voluntatem ejus eveniunt nobis, & in his nobis conferendis conſtans, ejus perpetuaq; voluntas eſt: ſive quod iratus nos caſtiget ex juſta indignatiõe ob peccata noſtra oritur, atq; ex meritis noſtris; quod verò vitam, & gratiam tribuat ex voluntate ipſius, meraq; bonitate. Itaq; punit ex præviſis meritis eligit, & ſalvat ex ſola miſericordia; quod v. ſeq. repetit: *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* q. d. fletus enim & luctus ex pœna, & caſtigatione peccatorum profectus, tanquam temporis veſpertini brevis eſt, quod quies mox nocturna excipit, oblivionémq; ejus cum ſomno inducit: poſt quæ noctis nubila Phœbus ſerenior exoritur, & candidos lætitiæ dies nobis revehit, quorum determinatus finis non eſt, ut brevis crepuſculi veſpertini. Quod in Chriſto ad literam impletum eſt, cujus mors, & apud diſcipulos inde conſecutus dolor veſpere uno terminata ſunt; gloria verò Reſurrectionis ſummo manè mox conſequenti cœpit, duravitq; huc uſq; durabitq; in omnes ſæculorum æternitates.

Affectus laudis ex S. Aug. ſolil. c. 7.

„ Miſer ego, Deus meus, quantum teneor diligere te, oſtende mihi, „ quantum debeo laudare te, demonſtra mihi quantum debeo „ placere tibi! innoteſce mihi, O verbum, per quod facta ſunt omnia, „ aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia „ tua.

Punctum II.

Conſidera quintum, eúmq; ex præcipuis laudis Deo à nobis decantandæ titulum in beneficio Juſtificationis, & reductione Electorum per pœnitentiam ad viam, vitámq; cœleſtem, ſi quando ab ea per peccatum deflexerint, apparere evidentiùs: cujus modum, tam ex parte noſtra, quam ex parte Dei proponit S. Vates in paradigmate exempli proprii. *Ego autem*, inquit, *dixi in abundantia mea*, vel poſt cædem Goliath. 1. Reg. 18. (ſenſ. hiſt.) cùm gratus eſſem tum Sauli Regi, tum omni populo, vel cum deletis hoſtibus, regnóq; firmato omnia ad votum fluerent. Vel (ſenſ. mor.) cùm ambularem coram Deo in corde perfecto. *non movebor in æternum* (v. 7.) à ſtatu illo feliciſſimo, qua in re ſuam præfidentiam, & præſumptionem confitetur, quâ viribus ſuis pluſculum tribuit arrogantiæ, & propriæ immemor infirmitatis, atq; in ſui cognitione minus exercitatus, facto prorſus gemino S. Petri Apoſtoli, qui ſimili affectu præſumptuoſius Chriſto ad paſſionem ituro promittebat: *etiamſi oportuerit, me mori tecum, non te negabo*, &c. Matth. 26. quando ſcilicet non ſatis expendit, quod ſubjungit, malo pòſt ſuo edoctus: *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* v. 8. q. d. & hoc totum à tua in me voluntate benevolentiſſima proficiſcebatur, ut tuæ gratiæ efficacia, & virtute hunc ſecundum rerum mearum ſtatum, quo decoraſti me, ita ſtabilires, firmiſſimi montis inſtar: ſic enim hebræus pro *decori meo* habet monti meo.

Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. v. 9. propter illam igitur præſumptionem, & ſtultam arrogantiam ex animo meo e[illegible]odam, quam meritò averſaris, (*oculi enim tui in pauperes*, ac humiles *reſpiciunt*. Pſ. 10.) *Quoniam excelſus Dominus es, & humilia reſpicis*, elata verò *& alta vix à longe cognoſcis.* Pſ. 137. *idcircò avertiſti faciem tuam à me, favorémq.* efficacis gratiæ tuæ, *& factus ſum conturbatus*, vel conturbata in me ſunt omnia, dum per deordinationem peccati, nec concupiſcentia rationi, nec ratio Deo ſubjecta manſit. In quo ſtatu infelici conſtituto, hanc tamen gratiam adhuc præſtitiſti, *ut ad te Domine clamarem, & ad Deum deprecarer.* v. 10. (ſic enim futuro *clamabo & deprecabor*, per hebraiſmum, pro præteritis ponuntur) allegatâ apud te hâc ratione, & argumento. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem.* v. 11. ſeu quid proderit tibi, ſi ego, qui

ad gloriam, laudémq; tuam creatus ſum in terra æternùm viventium decantandam, æternâ morte peream, deſcendámq; in corruptionem damnationis perpetuæ irreparabilem: *Nunquid enim confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam?* v. 2. q. d. quomodo enim tuam laudem deprædicabit in pulverem, & nihilum quaſi redactus, quales moraliter loquendo ſunt, qui in inferno morte æternâ perierunt? ac quomodo veritatem promiſſorum tuorum aliis annunciabit, qui ſpe omni totâ æternitate excidit?

Affectus gratitudinis.

„ TIbi ſancti, & humiles corde, tibi ſpiritus, & animæ juſtorum, tibi „ ſuperni Cives, & Electorum tuorum mentes gloriam, & hono- „ rem ſuppliciter adorantes, concinant (S. Aug. cap. 33. medit.) O beata Trinitas, quos ad gloriam æternam ſic prædeſtinaſti, ſic juſtificaſti, ut licèt gratiâ tuâ abuſi fuerint, ab iis tamen oculos penitus non averteris, ſed ut ad te clamarent, gratiâ tuâ eos præveneris. *Benedictus Deus, qui non amoviſti orationem, & miſericordiam tuam ab illis.* Pſ. 65.

Punctum III.

COnſidera ſextum titulum *Juſtificationis* ex parte Dei conſummatæ. Et ſeptimum *Glorificationis. Audivit Dominus, & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adjutor meus.* v. 13. audivit ſcil. gemitus, & vix dum effuſas preces pœnitentis, velut filii prodigi pater. Luc. 15. qui cum adhuc *longè eſſet, vidit illum omninò pius Pater, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum:* ita prodigo *miſertus eſt mei Dominus*, & præveniendo me per gratiam, velut amoris oſculum. *Factus eſt adjutor meus, ut fructus dignos pœnitentiæ faceremus.* Luc. 3. dicerémq; cum eodem prodigo. ibid. *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Et mox: *Convertiſti planctum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ.* v. 14. agendo mecum iterum, ut cum prodigo ſuo egiſſe narratur benignus pater. Luc. cit. cap. qui auditâ filii pœnitentis deprecatione, *dixit ad ſervos ſuos: Citò proferte ſtolam primam* (gratiæ) *& induite illum, & date annulum* (amoris) *in manu illius, & calceamenta* (libertatis, ingenuitatiſq;) *in pedibus ejus, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Ecce qualis mutatio!

Luctus

Luctus in gaudium, lugubrisq; cilicii, in veſtimentum jucunditatis, & lætitiæ: Quæ eſt conſummata illa, de qua dixi, peccatoris juſtificatio ex parte Dei. Quanquam per illam ſacci conciſſionem, & quæ ſequuntur, rectè etiam intelligitur.

7. Titulus *glorificationis*, per quam conſciſſo mortalitatis ſacco, & corpore noſtro immortali gloriæ Cœleſtis, lætitiæq; ſempiternæ ſtola circumdabimur undiq;, & ex omni parte, tam animæ, quam corporis, *ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.* v. 15. ut aſſecutus ultimum finem meum, qui eſt gloria Cœleſtis, propter illam laudes tibi æternùm decantem, ſine ullo ab ea excidendi timore, qui compungere animum, & lætitiam meam interturbare, ſeu interrumpere poſſit. Ita fiat, Domine Deus meus, ut nunquam deficiam à laude tua, *ſed in æternum confitebor*, & laudabo miſericordiam tuam, juxta illud Pſ. 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

Quam porrò hæc de Chriſto reſurgente in glorioſo corpore per paſſionem ante conſciſſo prædicta aptè intelligantur: ſens lit. videri poſſunt apud Bellar.

Affectus laudis ex S. Auguſt.

cap. 32. medit,

TE decet laus, te decet honor, te decet hymnus tibi omnes Angeli, tibi Cœli, & univerſæ poteſtates hymnos dicant, & laudes indeſinenter concinant: Utpote creatori creaturæ, Domino ſervi, Redempti in libertatem aſſerti, prædeſtinatori ſuo omnes electi, conſervatori conſervati, vindici, ab hoſtibus erepti, & vindicati, deniq; ſuæ beatitudini immortali, & gloriæ, in eam vocati, & adſcripti,

ORATIO.

DEus noſter Prædeſtinator, Creator, Protector, Conſervator Redemptor, Juſtificator, Glorificator, tribue nobis tecũ ineffabilia hæc tua omnia beneficia, quibus nos exaltaſti, dignis laudibus exaltare, eaque grata memoria recolere in hac vita, et in altera miſericordias tuas in æternum decantare mereamur,

Amen.

IN PSALMUM XXX.

In te Domine ſperavi, &c.

MEDITATIO XXXII.

GEMITUS COLUMBÆ

Animæ piæ ſcilicet in afflictionibus.

Argumentum Pſalmi.

In perſecutione Abſalon velut ectaſi quádam timoris correptus (ſic enim inſcribitur *pro ectaſi*) quando inopinatus ei nuncius allatus eſt: *toto corde univerſus Iſraël ſequitur Abſalom.* 2. Reg. 15. ad Deum vario affectu ſuſpirat David (ſenſ. hiſtoric. ac lit.) Chriſtus in cruce (ſenſ. alleg.) Eccleſia, ejúsq; fideles, & juſti (ſenſ. mor.) exaudiuntúrque, ac gratias agunt. Et quia Pſalmus devotiſſimus eſt, varioq; affectu plenus, ut pro omni preſſura ſerviat, ejus affectus in poſterius ſenſu morali proſequemur, & exponemus.

Punctum I.

COnſidera fundamentum omnis recurſus ad Deum in afflictionibus tam publicis, quàm privatis eſſe eximiam ſpem, & fiduciam in eundem Deum. Hujus affectus tum aliis in Pſalmis paſſim, tum hoc præſertim præclaros admodum exponit S. David, ab eóq; orationem ſuam in Pſalmo hoc orditur. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum,* q. d. Etſi cætero auxilio humano omni deſtitutus, profugus, & ſobole meo ejectus ſpei reliquum nihil habeam in ulla re mundi hujus: in te tamen Domine uti ſemper ſperavi, ita nunc ſpero, quamvis deſperatis penè in rebus meis: atq; ita certò, ut ſciam, me non fruſtrandum ſpe mea, nec à te eſſe confundendum (ſic enim aſſeverando explicari hæc & ſequentia poſſunt, præſenti pro futuro poſito hebr. more.) Vel etiam deprecando, ſic ſcil. ne hac etiam vice confundar ſpe fruſtratus. *ſed in juſtitia tua libera me.* v. 1. id eſt, primo ſenſu: Certus enim ſum, te juſtiſſimum in promiſſis, fideliſſimumq; eſſe, & pro tua iſta in ſervandis promiſſis juſtitia me liberaturum, ſi ita ex voluntate tua rectiſſima expediat,

pediat,

pellat, tum ad honorem tuum, tum ad ſalutem meam. Vel ſenſu deprecantis, oro igitur, ut pro juſtitia tua, quâ non ſinis opprimi innocentes, nunc quoq; vindices me ex perſecutione hac mea.

Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me. v. 2. q. d. ſenſu primo: Unde mox ut ad te clamâro, non ſolùm benignâ, ſed etiam pronâ, & ſolicitâ aure inclinando te quaſi, excipies orationem meam, eáq; perceptâ non cunctaberis præconſiderando, ſed accelerabis mihi auxilium tuum, tanquam periculum in mora ſit, ut jam penè circumdatum ab hoſtibus, mediíſq; ex periculis eripias, quæ ſenſui deprecativo facilè etiam aptari poſſunt.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut ſalvum me facias. v. 3. q.d. Senſu primo (nam deprecativus per ſe clarus eſt) & quamvis omni ſubſidio nudus, inermis, profugióq; deſtitutus, & undiq; expoſitus telis hoſtium meorum ſim, confido tamen, te mihi fore in clypeum, cujus umbone protegar, & (ut Hebræus habet) *in petram fortiſſimam, & in arcem* munitiſſimam, ad quam me tutò recipere poſſim, ut ſalvus ſim. Vel, eodem ſenſu, confidant alii tum in ſuis armis, quibus teguntur, tum in valida, copioſáq; præſidiariorum manu, & agmine, quo cinguntur, tum in fortalitiis, & munitiſſimis caſtris, & urbibus, quo ſe recipere poſſint, ego in tua protectione confido. *Quoniam fortitudo et refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* v. 4. &c. Lxx. expoſuerunt metaphoras, quæ in hebræo itidem ita habent: *quoniam petra mea*, ſeu præciſa undiq; rupes, natura ſua inacceſſibilis, *& munitio mea* arte vallata propugnaculis firmiſſimis *tu es*; & propter gloriam nominis tui, quæ ex mei liberatione reſultabit in fideliſſimam tuam providentiam à me, aliíſq; deprædicandam, per avia, & deſerta, per ignota, & inhoſpita locorum, non ſolùm comitatum, ducatúmq; certiſſimum, fideliſſimúmq; præbebis, ſed etiam, ne deficiam in via, alimenta, commeatúmq; reſtaurandis fatigatis viribus meis ſubminiſtrabis: uti Davidi accidit. 2. Reg. 16. quando ob ſubitam fugam, cum neq; quo iturus eſſet, ſciebat, neq; unde neceſſaria alimenta haberet, factum eſt, ut Dei providentia Siba ei occurreret *cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, & utre vini ad ſublevandum iter per deſertum.*

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi, quoniam tu es

protector meus. v. 5. neq; ſolùm apertis in diſcriminibus, ſed occultis etiam infidelium ſimulatorum inſidiis, & technis me liberabis, quas ſtruxerunt, & *ceu rete* (ut Hebr.) abſconderunt mihi callidiſſimè fucati amici. Unde

In manus tuas commendo ſpiritum meum, ſeu vitam, cujus in diſcrimine verſor adhuc (ut Hebr. habet) *deponam in manus tuas*, velut ſolet, qui depoſitum pecuniarium fideli amico committit, non dubitans conſervandam illam à te, reſtituendámq; fideliſſimè, ut S. Paulus ajebat. 2. Tim. 1. *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illam diem.*

Cauſam porrò addit, tum experimentum non infrequens antea habitum. *Redemiſti me*, vitámq; meam ex ſimilibus periculis ſæpe alias liberaſti. Tum veracitatem, & fidelitatem Dei, *Domine Deus veritatis*, id eſt, veraciſſime in ſervandis promiſſis (Hebraiſmus) cui idcirco confidi ſecurè poſſit. Hoc verſiculo, Chriſtus in cruce moriturus uti voluit *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Luc. 23. & S. Nicolaus cœptum in mortis agone Pſalmum hunc in verſu eodem una cum vita finiit, quæ fortè cauſa eſt, ut Eccleſia eundem in completorio publicum ad hunc usq; verſum etiam recitari tantùm voluerit; & Chriſtiani exemplo Chriſti Ducis ſui eundem ſupremo mortis articulo ſibi ſæpe ſolent inculcatum, & prælectum. *Hoc exemplum*, inquit Hieron in Commentar. *accepit Eccleſia à Chriſto. Hoc S. Stephanus fecit. Hoc & multi orant, quando exeunt de corpore.*

Affectus idem ex S. Auguſtini Soliloq. c. 11.

„ EGo autem Creatura tua ſub umbra alarum tuarum ſperabo in bo-
„ nitate tua, quia creâſti me, adjuva creaturam tuam, quam creavit
„ benignitas tua. Non pereat in malitia mea, quod operata eſt bonitas
„ tua, non pereat in miſeria mea, quod fecit ſumma clementia tua.

Punctum II.

COnſidera alterum fundamentum facilioris ad Deum recurſus, quod eſt, deteſtari ea, quæ adverſantur fiduciæ in Deum, Deóq; ipſi. Ut eſt

1. Ipſo poſtpoſito ad auxilia inania, vel Dæmonum, vel hominum prius recurrere, cujuſmodi ſunt ſuperſtitioſæ artes, aut obſervationes

magica, ſomnia, auguria, reſponſa Dæmonis, miniſtrorumq; ejus, Veneficorum ſcil. ac Magorum, uti Saul fecit 1. Reg. 28. Vel auxilium hominum, ſive aliorum, ſive propriæ virtutis, viriumq; quibus vaniſſimè confidunt, de his pronunciat. v. 7. *Odiſti obſervantes vanitates ſupervacue*, ſive ut Hebræus habet, *odivi obſervantes &c.* qui in his vaniſſimis obſervationibus opem ponunt, inani planè irritóq; conatu, ac ſupervacuè, temeréq; iis præfidunt.

Ego autem in Domino ſperavi, deſpretis inaniſſimis egenarum creaturarum auxiliis. Unde ſuo tempore *Exultabo, & latabor in miſericordia tua*, quia neminem in te ſperantem deſeris, aut triſtem à te recedere permittis. Alterum, quod Deo diſplicet, auxiliúmq; ejus retardat, ſpem noſtram eludit, & elidit, Præſumptio eſt, de propriis viribus, aut arrogantia, ob quam ſe Deus ſubtrahit, & in hoſtium manus, anguſtiáſq; ſinit incidere, atq; ideo animo humiliato, cum diffidentia in ſe, timore [illegible] ad Deum aliis cum acceſſiſſet, Dei protectionem expertus eſt. [illegible] *reſpexiſti humilitatem meam*, ideoq; *ſalvaſti de neceſſitatibus* ſive anguſtiis animam, vitámq; meam. v. 9. *Nec concluſiſti me in manibus inimici* Saulis, vel Abſalonis. & cæterorum hoſtium, ut captivus carceris anguſtiis concludere, ſed *ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*. Ut ex inſidiis inimicorum extractus ſecuro, & ad me recipiendum quocunq; vellem libero, ſpatioſóq; loco conſiſterem, ſive ſalvus ex anguſtiis, adverſariorumq; ſtructis inſidiis providentia tuâ Duce evaderem. Atq; hæc allegat beneficia, ut *Tertium impedimentum* promptiorem ad Deum recurſus, confidentiæq; removeat, *quod eſt Ingratitudo*; quæ ſicut ventus urens eſt, & obſtruens fontem miſericordiæ divinæ; ne ab eo in nos beneficia ulteriora profluant: non enim meretur ampliora accipere, qui acceptorum animo ingrato obliviſcitur. Ita è contra, qui memorem, gratumq; ſe oſtendit, Deum provocat ad ſimilia, majoráq; conferenda.

Idem ſpei, gratitudiniſq; affectus. Ex S. Auguſtini S. lib. 9. cap. 26.

" **A**[illegible] ad quem anceps animi, & auxilii confugiam, niſi ad
" te unice DOMINE DEUS meus! Sic in hac nocte tenebroſa,
" [illegible] ac tremor venerunt ſuper me, dum video mihi undique
" imminere multa pericula, à multis quoque hoſtibus venari, multi-

„ tudinéque innummerarum miſeriarum in hac vita me [illegible]
„ Et niſi in his tantis malis adforet mihi tuum adminiculum, deſpera-
„ rem. Sed ſpes mihi *unica* ſubeſt, de te mitiſſime Princeps Deus
„ meus. Et conſideratio multitudinis miſerationum tuarum, quæ
„ apud te ſunt, ſublevat mentem meam. Et præcedentia ſigna miſe-
„ ricordiæ tuæ, quæ me prævenerunt, & nunc ſpecialiter in me [illegible]
„ ſerunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus, & perfectioribus mu-
„ neribus, quæ amicis tuis reſervas, ſpem meam admonent, ut in te læte-
„ tur Domine Deus meus lætitia ſancta & viva, qua ſemper lætificas ju-
„ ventutem meam.

Punctum III.

Poſitis fundamentis ſeu incitamentis ſpei, & remotis ejuſdem obſtaculis ac impedimentis, nunc ipſe gemitus conſiderandus, & applicandus eſt: ut quæ David de ærumnis ſuis externis queritur, ea [illegible] accommodatio, & morali, devota anima de ſpiritualibus neceſſitatibus ſuis Deo exponat, quibus inſpectis, & non ſine dolore coram Deo penſis, ad ejus dein miſericordiam implorandam convertatur. Oratione igitur ſummaria, & efficaci exorditur. *Miſerere mei Domine*, [illegible]quiens, *quoniam tribulor.* q. d. Ecce ante oculos tuos ſtatum meum in quo verſor, afflictiſſimum, omniq; plenum ærumna, & miſeria, qui te miſericordiſſimum Deum non poſſit non ad miſericordiam commovere! Enumerat porrò tribulationes ſuas: *Conturbatus eſt in ira oculus meus*, ſqualore caligans, & mœrore turbidus factus, lacrymiſque tabeſcens: Vel, apparet ex oculis meis dolor, & mœror, idq; propter iram tuam, juſtámq; vindictam, quam per peccatum meum [illegible] *& anima mea*, quaſi conſtricta metu, & mœrore eſt, *et venter meus* (v. 11.) ſeu interiora mea, viſceráq; omnia concuſſa ſunt, quæ interioribus animæ potentiis tribus rectè accommodari poſſunt. De quibus primus animæ ad Deum gemitus eſt, quod intellectus oculus animæ interior per peccatum obtenebratus ſit. Voluntas verò, quæ per animam intelligitur, debilitata, & inconſtans reddita, memoria, quæ quaſi bonarum cogitationum receptaculum, & venter animæ [illegible] poteſt, extenuata, evacuatáq; piis inſtinctibus, eorúmq; loco vanitatum flatulentiis, alióq; corrupto terrenarum ſolicitudinum humore repleta ſit, & diſtenta. Et ſicut David queritur v. 12.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Ob ſenectutem ſc. ætatem, conſumptamq; vitæ melioris partem præcipuam in dolore, & gemitu, propter continuas perſecutiones tam ante ſuſcepta gubernacula, quàm ipſo in regno, hoſtéſq; quibuſcum [illegible] vario cum diſcrimine geſſit.

Secundus ad Deum gemitus animæ eſſe poteſt de ſpirituali ſenio, ſeu ob attritas multiplici in certamine vires, nec non lapſus, & vulnera, quibus de cauſis dolore, gemitúq; propè contabuit, ut dicere poſſit [illegible] Pſalmi 101. *Defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.*

Cui Tertius ſuccedit egeſtatem, & inopiam ſuam ſpiritualem, quâ [illegible] David 2. Reg. 15. & ſeqq. Abſalonem fugiens ſine commeatu in ſolitudinem [illegible] pedibus præ virium imbecillitate elanguit: *infirmata eſt in paupertate,* Hebræus legit *iniquitate, virtus mea;* græcè contritum eſt fortitudo mea, vel fracta animi alacritas, *& oſſa mea conturbata ſunt* v. 13. ſeu ut vertit D. Hieron. *emedullata contabuerunt*, ſenſim [illegible] Ita *anima exaruit, ut fœnum.* Pſ. 101. *quia oblita fuit*, vel e[illegible] [illegible] potius debilitata non potuit *comedere panem ſuum*, orationis [illegible] meditationis, & SS. Sacramentorum. Unde *aruit tanquam teſta virtus ejus* Pſ. 21. Sequitur

Gemitus Quartus: *Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis.* v. 14. quibus verbis, [illegible] David ſe in ultima eadem ab inſurgente contra ſe filio ſuo Abſalone fuga, queritur apud hoſtes contemptum, & opprobriis, [illegible] eorum expoſitum, exploſúmq; fuiſſe (ita enim per ly *ſuper* [illegible] Lxx legit *apud*) imò etiam apud vicinos, & ſubditos [illegible] Semei exemplo patet; notos verò amicóſq; ſolicito in metu [illegible] ſe fuiſſe verſatos, ne de ſuis quoq; fortunis, [illegible] periclitarentur, [illegible] apud Abſalonem ſi fortè is victor evaderet, ipſiq; Davidi ad[illegible] Sic anima Dæmoni, & mundo hoſtibus externis, quin etiam Carni propriæ, velut viciniori, & inteſtino adverſario, quibus ſuc[illegible] [illegible] exiſtit. Amici verò SS. Angeli, & divi [illegible] in Cœlo præſidibus; ſeu de ſecuram [illegible] in terra ſoli[illegible] [illegible] ne forte in ſtatu illo afflicto periiſſet, atque [illegible] Id quod ſeq. v. 15. declaratur amplius.

Qui videbant me, foras fugerunt à me, oblivioni datus ſum tan-

quam

quam mortuus à corde. q. d. qui me viſere ante ſuâ ſponte ſolebant, ac velut familiares mei omnia mea intima perſpecta habebant, jam ab oc- currente me ſibi utro ſeſe proripiunt foraſquam longiſſimè, velut S. Hieron. qui me videbant in plateis, fugiebant à me, occurſúmq; meum deſtinabant, & ne quidem è longinquo me reſpicere, nedum ſalutare, multo minus amoris reverentiæq; ante conſueta ſigna exhibere audent. Unde ſicut mortuus vel qui procul ex oculis, procul etiam ex corde mox tollitur, ita oblivioni traditus ſum, effluxitque exanimis omnium memoria mei. Id quod in animam bellè quadrare, tum viſio illa viri cujuſdam ſancti demonſtrat, qui circa hominem in ſtatu peccati Mor- talis hærentem cum tripudiantes Dæmones conſpexiſſet, Angelum ve- rò cuſtodem ejus à longe mœſto vultu ſubſequentem. Qui mox, ut è templo, ubi forte compunctus de peccatis fuerat, rediit, aliam illi ſcenam exhibuit, nam comitabantur cum eo viciniſſimè lætantes Angeli, Dæ- mones verò ejulantes procul arcebantur, unde illum à longè ſequeban- „ tur: Tum quæ ad idem propoſitum appoſitè. D. Auguſt. cap. 2. ſo- „ lo q. quoties, inquit, bene agimus, gaudent Angeli, & triſtantur Dæ- „ mones, quoties à bono deviamus, Diabolum lætificamus, & Angelos „ ſuo gaudio defraudamus, gaudium enim eſt eis ſuper uno peccatore „ pænitentiam agente: Sed Diabolo ſuper uno juſto pœnitentiam de- „ ſerente.

Subjungitur gemitus quintus. *Factus ſum tanquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* v. 16. Quod enim ſua in perſona David queritur, ſe non ſolum ab ami- cis ſui oblitis deſertum fuiſſe, ſed à vicinis inſuper contemptui habitum, veluti quod nullius potentiæ ultra futurus eſſet, ſuo pulſus è regno, ſed tanquam inſtrumentum ad omnia inutile, & vas confractum abjicien- dus: quod cum Semei. 2. Reg. 16. alii quoq; complures in vicinia habi- tantes, maledicâ ei linguâ exprobrare potuerunt: Iſtud animo, quod dolori, cauſæq; gemitus eſſe poteſt, quod inhabile divinæ manui, [illegible] utile inſtrumentum Dei gloriæ procurandæ, ad quam ante propagan- dam à Deo aſſumebatur, ſuâ ſe culpâ reddiderit (vas enim pro inſtru- mento ſumitur non rarò in ſcriptura. Unde inſtrumenta muſica di- cuntur vaſa pſalmi Pſ. 70. vaſa mortis, arma, ſagittæ Pſ. 7. vas electionis, inſtrumentum electum, Act. 9. ut portet nomen meum &c. Dei glori- am, fidémq; Chriſtianam gentibus evulget) ex tali ergo inſtrumento,

vas

vas ſe inutile, & ineptum redditum eſſe, ingemiſcit, non immerito, quando præſertim ſordere ob defectus exemplumq; ſuum vicinis. & quibus præeſt, nomen exiſtimatióq; ejus cœpit ut eorum vituperationem detractionesq; non injuſtas de ſe cogatur audire, ac velut ſaltatuatum pedibus hominum conculcetur, ejus authoritas virtuti ante ſubnixa.

Ad hæc ſicut Davidis afflictus ſtatus augebatur ex eo quod dam in præſentia maledicebatur, vituperationésq; audiebat, in abſentia de interficiendo eo coram Abſalone haberetur Conſilium Hieroſolymis. 2. Reg. 17. *In eo dum convenirent ſimul adverſum me* (in conventiculo ſcil. conſultationéq; de me habita coram Abſalone,) *accipere animam meam conſiliati ſunt*. v. 17. eripere mihi vitam malitioſè, neq; perdere decreverunt. Hoc etiam afflictæ animæ multò majorem dolendi, & ingemiſcendi materiam præbet, dum ſe ab hoſtibus ſuis non modo privatam meritis cognoſcit, benéq; operandi exutam facultate, ſed eos [illegible] inſuper mortis interitum ſibi machinari. Qui ſextus gemitus eſt.

His ad Deum effuſis gemitibus columba mærens tandem pennis ſolutis, & reſignationis ad eundem per orationem devolat, in ejúsque protectione confidens, conquieſcit cum S. Vate. v. 18.

Ego autem in te ſperavi Domine, ſubjiciens duplex motivum ſc. quia dixi: *Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes mea*, vel ut hebræus habet, *tempora mea*, tum quia, inquam, magnum protectorem habeat, nempe *Deum meum* qui meus eſt, quaſi totum me haberet curandum, ita mihi attendit, *veluti enim* (ut in ſolilo q. cap. 14. Deum S. Auguſt. alloquitur) *[illegible] tius creaturæ Cæli, & terræ oblitus, tantùm me ſolum conſideras, & nihil tibi ſit cura de alÿs, & ſic ſuper cuſtodiam meam ſtas, ſicut qui omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis.* Tum quia ſors mea non pendet aut ab hominibus ſeu hoſtibus, & inimicis, ſeu amicis, aut à ſorte ipſa, nec caſus, ſtatusq; rerum mearum à cauſa, & fortuna reguntur, ſed ſortes hæ meæ, ſeu vitæ, ſeu mortis diſpenſantur à manibus tuis, quæ manus ſunt omnipotentia, & ſanctiſſima clementiſſimáq; voluntas tua, ab his diriguntur *tempora mea*, ſive proſpera ſive adverſa, atq; in tuæ providentiæ diſpoſitione mors, & vita mea ita conſtituta ſunt, ut nec vivam, niſi quamdiu tu volueris, nec moriar, niſi quando tu volueris.

Quare *eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me*. v. 19. aut ſaltem *illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum*, vel ſe-

reno, amicóq; me vultû reſpiciendo juxta hebr. *lucere fac faciem tuam*, id eſt favorem ac benevolentiam tuam, vel averſum ex ira juſta propter peccata mea vultum tuum iterum ad me per reconciliationis gratiam convertendo. Sicut enim propter peccata noſtra nobis iraſcitur, & avertere dicitur faciem á nobis, ita è contra quando recónciliatur, dicitur convertere faciem, nósq; reſpicere, & illuminare vultum ſuum, ut nos luminoſos efficiat, iuquit Bellarm. cujus etiam motiva ſubjungit: Partim, *quod ſervus ejus* ſit, ad omne ejus obſequium, obedientiámq; deſtinatus, & paratus, partim propter *miſericordiam ſuam*, & non ob mérita noſtra, partim *propter gloriam ſuam*, & fidelitatem, ne cunfundatur apud hoſtes is qui ſpem in Deo poſuit, & eum cum confidentia invocare non ceſſat, *ſalvum me fac in miſericordia tua Domine, non confundar, quoniam invocavi te* v. 20.

Queri potius, *erubeſcant impii* (hoſtes mei) *& deducantur in infernum* (ſepulchrum, vel æcum etiam, quæ prophetica imprecatio eſt, pro erubeſcent, & deducentur) quod in conſultore malo Achitophel 2. Reg. 19. adimpletum eſt, dum ob diſſipatum à Deo conſilium ejus contra Davidem, nec ab Abſalone acceptatum confuſus laqueo ſe ſuſpendit: expertus illud: malum conſilium conſultori peſſimum, & ſic *muta fiant labia doloſa*. v. 21. *quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem in ſuperbia, & in abuſione*. v. 22. ubi pro abuſione, tam in hebræo, tam in græco ponitur in *contemptu*, quo modo etiam legunt S. Auguſt. & pſalterium S. Petri, ut ſignificetur non ſimplex abuſio bonitatis juſtorum vel Davidis in Achitophel aliíſq; impiis juſtorum perſecutoribus, ſed quæ ex arrogantia, & contemptu orta ſit, quo Davidem aſpernabatur velut ſimplicem, & minus prudentem, vel alios etiam præ ſe.

Affectus deſiderij.

QUis dabit mihi* tam vocem ac gemitum, tam *pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam*. Pſ. 54. è tot periculis ereptus, & in Deo
„ ſolo ſecurus? Hoc enim confiteor, hoc ſcio Domine Deus meus, quia
„ ubicúnq; ſum ſine te, malè eſt mihi præter te, non ſolúm extra me,
„ ſed etiam intra me, quia omnis copia, quæ non eſt Deus meus, mihi eſt
„ egeſtas, ſatiabor tunc, cum apparuerit gloria tua. S. Auguſt. cap. 13.
„ ſoliloq; & in te uno confiſus ſecurus conquieſcam.

Punctum

Punctum IV.

CONſidera affectus, quos S. Rex dicit, dum expendit admirabiles divinæ bonitatis favores, erga eos, qui in ſuis eam neceſſitatibus implorant, eiq; confidunt, quos David expertus ipſe exclamat cum admiratione

1. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* v. 23. Hebr. *quàm multa bonitas ſive dulcedo*, quod in idem recidit. Vult enim S. Vates exprimere Dei favores erga confidentes ſibi, ſeq; invocantes quorum.

Primus eſt ſacriſſimæ conſolationis ſenſus, quo vel ipſis in adverſitatibus, vel poſt eas animus delibutus tenerrimè afficitur, ſed exauditum præſentiens. Hæc porrò dulcedo conſolationis eſt, velut *manna abſconditum* in corde eorum, qui filiali timore Deum perſequntur, *quod nemo ſcit, niſi qui accipit*. Apoc. 2. *nec niſi expertus poteſt credere, quid Deo ſit* unicè confidere, & ſuis in tribulationibus ad eum confugere. Expertus idem S. David Pſ. 93. ait. *Secundum multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Expertus Apoſt. 2. Cor. 7. exclamat, *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Hæc ſolatia juſtorum, & filiorum Dei, etſi filii hominum & mundi hujus, experimentaliter ignorent, & velut manna abſconditum, ut dixi, non deguſtent. Vident tamen ante oculos ſuos ex oppoſito ut græcum ἐναντίον ſonat, quo Lxx. utuntur, & è regione ſui conſtitutos eorum effectus, qui admirabiliter à Deo perficiuntur, & palam mundo exhibentur, qui tantam patientiam, cum tanta æquitate, & lætitia in tribulationibus juſtorum admirantur, quod v. 24. exprimitur.

Perfeciſti eis (multitudinem ſcil. dulcedinis, exaggeraſti, & plenè abſolutam perfectámque tribuiſti) *eis, qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum*: Niſi forte argumento à minori ad majus ratiocinari Davidem velimus q. d. ſi tanta multitudo dulcedinis tuæ, etiam in tribulationibus, locòque miſeriarum eſt eorum, qui te timent, & in te ſperant, ac invocant, quanta erit illa quàm in altera vita glorioſa, & loco conſolationibus, & gaudiis deputato, ita perfectam, & cumulatam exaggeraſti, *ut oculus non viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis aſcenderit, quæ, o Deus, præparaviſti, &*

perfeciſti iis, qui diligunt te. 1. Cor. 2. & ſperant in te; eámq; in conſpectu filiorum hominum univerſorum in die judicii univerſalis illis addices, & adjudicabis. Quo ſenſu rectè ſequentia his quadrant, *abſcondes eos* (tum) *in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* v. 25. quando ſcil. in cœleſti Hieruſalem, quæ eſt viſio pacis, de qua dicitur Pſ. 147. *qui poſuit fines tuos pacem*, perviſionem, & contemplationem divini vultus, fruitionémq; beatificam abſcondentur velut in facie Dei, tanquam in abditiſſimo, tutiſſimóq; latibulo, ſecuri ab omni *conturbatione*, vexationéq; *hominum*, ibiq; *proteges eos in tabernaculo tuo*, quod eſt ipſum quaſi cor Dei, ac intimum conclave majeſtatis divinæ, nam Deus nullum tabernaculum habet ſecretius præter ſeipſum, cui per amorem & gaudium beatum conjunguntur tuti *à contradictione linguarum* v. 26.

Verum melius exprimi videtur per hæc, alter in hac vita favor ſperantium in Deo, ipſúmq; invocantium, quæ eſt *ſingularis*, ſecretiſſimáq; *Dei providentia*, quâ illis conſulit, & intentos ſemper in eorum cuſtodiam oculos habet. Velut, ſi Rex, quem ſecuriſſimum eſſe velit ab impetu, & inſidiis inimicorum, regio conclavi ſuo recipiat, ad ſalutem ejus non ſolùm parietibus cubiculi, ſed propriis etiam oculis cuſtodiendam: quâ quidem tutelâ, uti nihil ſecurius, ita nec amantius fieri poteſt, ut ideò dicatur rectiſſimè abſcondi juſtos in faciei abſcondito, tabernaculóq; Dei à conturbatione. Cernimus enim viros juſtos hujus providentiæ peculiaris contemplatione, virtutéq; defenſos, nullâ nec vexatione improborum, nec contradictione calumniantium linguarum de tranquillitate mentis depelli poſſe.

Affectus ſecundus eſt laudis, & gratiarum actionis.

B*Enedictus Dominus, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in civitate munita.* v. 27. applicans enim ſibi in particulari, quæ ſupra in genere dixerat, agnoſcénsq; miſericordiam erga ſe Dei admirabilem, ſeu miraculoſam propè, quam diverſis in periculis expertus ſuit, in quibus ſub Dei protectione à ſe implorata delituit ſecurus, ſicut in munitiſſima civitate, Deum benedicit: *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit*, miram erga me oſtendit *miſericordiam ſuam mihi in civitate munita.* Symmachus vertit, ſicut in civitate munita; inſinuando

ſe in apertis campis, mediiſq; periculis Dei providentiâ tutum fuiſſe, ac ſi munitiſſimo eſſet in fortalitio; quin etiam dum non ſolùm deſperatis omnibus naturalibus mediis, ſed etiam ſua ob peccata divinis, ad Deum tamen confugeret, exauditum, ſalvatumq; eſſe.

Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, ſeu, ut eſt in vulgata, *in ſtupore*, vel *alienatione mentis* perculſæ præ terrore, & tot malis extra ſe poſitæ, ut non ſignificetur per ecſtaſin, vel exceſſum hic laudabilis in oratione extra ſe mentis raptus, ſed fuga potius; nam Græcus, & Hebræus habent: in *diſceſſu, & feſtinatione*, cùm fugam accelerarem in perſecutione Abſalonis. *Projectus ſum à facie oculorum tuorum.* v. 28. ob peccata ſcil. mea à te relictus, vel projectus excidi à favore tuo, ne regnem, vel vivam amplius. Cujus diffidentiæ veſtigium extat. 3. Reg. 15. dum ſic loquitur: *Si meruero gratiam in conſpectu ejus, reducet me; ſi dixerit mihi, non places; præſtò ſum, faciat mihi, quod bonum eſt coram ſe. Ideò exaudiſti vocem orationis meæ dum clamarem ad te.* v. 29.

Ideò nempe, quia rebus deſperatis in ſpem erectus precandi, téq; invocandi ſtudium non deſerui, neq; fiduciam erga te magnitudine periculi labefactari funditus paſſus ſum. *Sed contra ſpem in ſpem credidi.* Rom. 4. cum S. Job 13. *Si occiderit me, in ipſo ſperabo*; ideò, inquam, preces meas exaudivit, & auxilio mihi fuit miſericors Deus, qui ſolet aliquando pios, etiam cum minus ſperant, è maximis anguſtiis eripere, quo benignitas ejus illuſtrior fiat.

Tertius affectus eſt exhortatio ad omnes juſtos ad diligendum Deum, ipſiq; in adverſis conſtanter fidendum. *Diligite Dominum omnes Sancti ejus.* Cauſam ex dictis ſubnectit, *quoniam veritatem requiret Dominus*, veraces, & fideles: abſtracto poſito pro concreto, ut S. Hieron. vertit: *Fideles ſervat Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.* v. 30. ſeu ut S. Auguſt. *qui multum ſuperbiunt*, ut referatur (*abundanter*) ad participium facientibus, non ad verbum referet, juxta græca.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum omnes, qui ſperatis in Domino. Maſculam, inquam, robuſtámq; fiduciam veſtram oſtendite, & confirmate, rebus maximè deſperatis, quicunq; confidentiâ erga Deum eximiâ eſſe vultis.

Affectus jam explicati.

ORATIO.

IN manus paternæ providentiæ, dulciſsimúmq; Sinum miſericordiæ tuæ commendatum ſpiritum noſtrum protege, ut in tot tantiſq; adverſitatum anguſtiis in abſcondito faciei, cordiſq; tui tabernaculo ſecuri, tanquam munitiſsimâ in arce deliteſcamus; dulciſsimóſq; providentiæ tuæ fructus cum magnâ conſolationis tuæ dulcedine, quam abſcondiſti timentibus te, deguſtemus. Amen.

IN PSALMUM XXXI.

Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c.

MEDITATIO XXXIII.

Perfectus animi nitor quantum bonum!

Ejúsq;

Comparandi, & conſervandi media.

Argumentum Pſalmi.

Edoctus malo proprio admiſſi à ſe peccati, quantum bonum ſit innocentia, & puritas conſcientiæ, ad eam alios inſtruit, & hortatur, ſuum interim caſum deplorans.

Punctum I.

EXpende quid, quantúmq; bonum ſit innocentia, & immunitas à peccato, quod his vv. explicat S. David: *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* v. 1. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus.* v. 2. quibus perfecta puritas exprimitur. Nam

Primus Gradus eſt poſt lapſum in peccatum tum per gratiam actualem ad pœnitentiam rediiſſe, & remiſſionem, indulgentiámq; conſecutum eſſe, quod eſt, *quorum remiſſa ſunt iniquitates*, tum per gratiam ſanctificantem abolitam peccati eſſe maculam. *Quorum tecta*

ſunt peccata, quo ſenſu Apoſt. Paulus hunc locum explicat Rom. 4. ad probandum neminem ſine gratia opera noſtra præcedente juſtificari. Non quidem per ſolam imputatam Chriſti meritorum applicationem, quâ absque actu ullo noſtro remitti peccata nobis, & tegi, quæ maneant ſolum extrinſecè, ſomniant Heterodoxi, contra quos Bellarm. pluribus hic agit SS. PP. epoſitione adductâ, ſed per veram eorum abolitionem, gratiæq; ſanctificantis infuſionem. Si enim adhuc remanerent, profectò dici non poſſent, oculis Dei tecta eſſe, *omnia enim* (quæ ſunt) *nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Hebr. 4. Rectè igitur S. Hieron. *quod tegitur, non videtur: quod non videtur, non imputatur, quod non imputatur, non punietur*. Expuncta itaq; ex libro rationum Dei, & obliterata velut ex tabulis ceratis debitorum nomina ſunt, quæ hic remiſſa dicuntur, & ablutis maculis, tetráq; nigredine abſterſa, & emundata (ut alibi Pſ. 50. loquitur idem S. Pſaltes, *mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*) quæ hic tecta leguntur.

Secundus Gradus eſt nulla peccata commiſiſſe, quæ à divino judicio imputentur. Dei *enim judicium eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt*. Rom. 2. Ut ex S. Hieron. ſupra dictum eſt: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*, ubi non ſine cauſa, numero ſingulari hoc verſu utitur cum ſuperiori uſus plurali fuerit, ut nempe innuat remiſſionem, ac indulgentiam peccatorum convenire multis, innocentiam vero & immunitatem à peccatis perpaucis, quibus videlicet Deus ſingulari ſuâ gratiâ poſt remiſſum in Baptiſmo originale, illud beneficium indulſit, ut candidam primæ innocentiæ in baptiſmo acceptæ ſtolam, nullâ maculâ actuali contaminarent, graviori ſcil. quâ maculari illa cenſetur: quibus propterea non imputari peccatum dicitur alienâ voluntate contractum, utpote per baptiſmum perfectè remiſſum. Nam etſi omnis innocentia humana remiſſionem aliquam peccati annexam habeat: *omnes enim peccaverunt, & egent gloria, vel gratia Dei*. Rom. 3. Cum vel ipſi puriſſimæ Dei parenti, ſi non debitum incurrendi originale, certè ipſa incurſio, & contractio anticipativè remiſſa ſint, eſt tamen hoc remiſſionis genus omnium excellentiſſimum, & ſoli ſingulariter Chriſto convenit, nullum illi absq; remiſſione omni imputari peccatum.

Sequitur tertius gradus. *Nec eſt in ſpiritu ejus dolus*. Ut omnes

illius

illius interiores affectus paſſiones, motus ordinatiſſimi, abſq; omni va-nitate, dolóq; amoris proprii immunes ſint adeò, ut non ſolùm à ſermo-ne, & verbis, ſed ab animo etiam, & cogitationibus omnis abſit inſince-ritas. Hæc ſanè puritas tam nobile, & eximium bonum eſt, ut in ea meritò beatitudinem vitæ hujus conſtituat. Quæ tunc in altera vita, tum ſuo modo in hac etiam in Dei viſione conſiſtit. *Beati mundo cor-de, quoniam ipſi Deum videbunt*, Matth. 5.

Affectus deſiderij puritatis.

O Ergo felices illos, & térque quatérq; beatos, *quorum peccata* (in quæ ſuâ fortè fragilitate corruerunt,) *per confeſſionem, & pœni-tentiam* à Domino diluuntur, inquit S. Hieron. Beatiores innocentes, qui nihil commiſerunt, quod imputare eis Deus poſſit ad peccatum. Beatiſſimi deniq;, qui neq; in ſpiritu dolum, ſeu cogitatum aliquem, ſe-quiorem, minúsq; ſincerum admiſerunt.

Punctum II.

EXpende media hujus Innocentiæ, & puritatis.

Primum eſt ſincera peccatorum, tentationum, imperfectionum-que aliarum tum coram Deo, tum coram hominibus confeſſio, & ma-nifeſtatio. Coram Deo enim ſuas has miſerias non agnoſcere, ſibi puritatem arrogare, & condonatione ſibi delictorum opus non eſſe exi-ſtimare, vel eam à Deo frequenter non exorare juxta precis Dominicæ formulam: *Et dimitte nobis debita noſtra*, inſolentiſſima ſuperbia, & ignorantia eſt. Eadem vero etiam coram hominibus celare, hypocri-ſis eſt, longè perniciofiſſima, nam, *qui abſcondit ſcelera ſua non dirige-tur*. Prov. 28. Veriſſimè ait ſpiritus S. Quare non ſolùm pro remiſſione peccatorum, ſalutéq; conſequenda S. Jacobus Apoſtolus inculcat illud, & à Chriſto medico animarum peritiſſimo inſtitutum, ab Eccleſia præ-ceptum, ſuíſq; filiis præceptum, & à SS. omnibus frequentiſſimè uſur-patum puritatis, imò ſalutis comparandæ, conſervandæ, amplificandæq; remedium: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invi-cem ut ſalvemini*. Jac. 5. Verum etiam ad conſequendam perfectiſſi-mam munditiem, imò ſanctitatem, illud ab omnibus tam antiquis PP. quàm recentioribus Aſcetis Magiſtriſq; ſpiritualibus, velut perfectio-nis principium nunquam ſatis commendatum eſt, ut omnes [illegible]

de-

datum eſt, ut omnes internas debilitates, imperfectiones, & tentationes manifeſtentur illi, quem conſcientiæ, animæq; noſtræ ducem ac præſidem habemus, tum conſilii, ac directionis, tum conſolationis, certæq; liberationis ergo velut multo experimento comprobatum. Quemadmodum inter alios Climacus gr. 23. refert de religioſo, qui cum à ſpiritu blaſphemiæ tentatus ipſos viginti annos jejuniis ſe fruſtrà idcircò maceraſſet, mox ut ſeniori aperuit, moleſtam, diuturnámq; turbationem illam ſuam, ea actutum evanuit. Nam ut bene S. Abbas Moyſes apud
„ Caſſ. coll. 2. c. 10. obſervavit; Illicò ut patefacta fuerit cogitatio ma-
„ ligna, marceſſit, & antequam diſcretionis judicium proferatur, ſer-
„ pens teterrimus velut è tenebroſo, ac ſubterraneo ſpecu virtute con-
„ feſſionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehone-
„ ſtatus abſcedit.

Hoc medium beatitudinis, quod in aliis deprædicat, ſe neglexiſſe deplorat. *Quoniam tacui*, non modo non pœnitendo de peccato, & pro veniæ impetrando, illud coram Deo confitendo, ſed abſcondendo quin & variis artibus celare conando ſcelus adulterii, mediiq; anni toto ſpatio, ut Salianus obſervat, dum Uriam multis modis ad lectum conjugalem fruſtrà perſuaſum, & inductum, ut filius adulterinus ipſius eſſe legitimus putaretur, tandem alio aſtu occidi feci homicidio ad crimen adulterii addito, viduámq; in uxorem jungi, ut ex legitimo thoro progenitus à me ſpurius videretur, ſed nec ſic quidem peccati reum coram Deo me ſtatui; donec tandem nato poſt 9. Menſes puero, ablegatus ad me Nathan Propheta ex parte Dei ſceleris commiſſi deformitatem ſuam expoſuit, ut illud ultrò abſcondere, & excuſare non potuerim, exemplo è vivis etiam puero adulterino in pœnam à juſtiſſimo Deo.

Interim *inveteraverunt oſſa mea*, interiores, inquam, vires, & robur animi cum dulcium ſpiritu, & devotione emarcuit, vel amarore, & ægritudine animi conſumptus penè contabui, *dum clamarem tota die.* v.g. dum totos dies ejularem, vel ut Hebr. ſignificantius, *rugirem totâ die* præ magnitudine doloris propter peccata occultata, diverſorúmque malorum ſupplicia à vindice dextera tua mihi meritiſſimè inflicta.

Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua; multa enim graviaq; mala incubuere ſupra David ex hoc peccato adulterii, & homicidii; nam infans ex adulterio natus, ut dixi, mortuus eſt. Filia Da-

vid Thamaris ab Ammone fratre per inceſtum violata, idem Ammon ab Abſalone fratre interfectus, & Abſalon filius in parentem proprium impia arma ſumpſit, atq; in prælio quamvis invito Patre occiſus eſt, quibus malis afflictus à Deo ad cor rediit.

Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina, reſipui, dum punitionem tuam quaſi ſpinam mihi infixam ſenſi, & pungentem vermem conſcientiæ, vel ex Hebr. *Converſus eſt ſuccus, & viror meus in ſiccitates æſtatis*, ut ſicut Solis ardore in æſtate viror, ſuccúsq; gramineus [illegible] exſiccatus perit, ita bonus, felixq; rerum mearum ſtatus defloruit, & [illegible] aruit. Quocirca

Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. v. 5. non quod Deo incognitum illud, abſconditúmq; ante [illegible], cum ſapientiam ejus infinitam latere nil poſſit, ſed quod ignotum [illegible] in ordine ad remiſſionem, humano modo loquendi, ſicut Judex, inquit Bellarm. Juridicè ignorare dicitur rei delictum, etſi illud ipſe [illegible] fortaſſis, donec vel teſtibus, vel proprii oris confeſſione, per [illegible] v. 9. de eo convincatur legitimè. Sic viderat quidem Deus Davidem peccantem, ſed cum, uti debebat, ultrò illud non confiteretur, [illegible] quaſi quæſtionem adhibuit, quibus adactus, ſalutare illud conſilium propoſitúmq; iniit.

Dixi confitebor adverſum me, tanquam accuſator ipſe meus, & teſtis, & reus, injuſtitiam meam *Domino*, ſeu coram te Judice, [illegible] miniſtro Sacerdote perſonam Dei tenente, & vix cum animo [illegible] ſtatueram, cum effectus ejus optatiſſimus conſecutus mox eſt. *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei.* v. 6. Hanc verò confeſſionem non ſolum inſtituit privatim coram Propheta Nathan: quando 2. Reg. [illegible] exprobranti ſibi delictum Dei nomine dixit: *peccavi Domino*, [illegible] mox: *Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Sed publicè etiam coram toto mundo, in Pſalmis ſuis, iis præſertim, quos [illegible] pœnitentia ſua evulgavit, de eo ſe identidem accuſando. Fortè etiam coram Sacerdote offerendo hoſtiam pro peccato, ex lege Levit. [illegible] Num. 5. præſcriptam. v. 7. *Confitebuntur peccatum ſuum*, quod [illegible] tinctè commemorandum fuiſſe ſub hoc ritu, & formula Hebræi [illegible] dunt, ut ex Cornelio à Lapide hic refert Heſerus, ut offerens hoſtiam pro peccato, manus ſuas intra victimæ cornua collocaret, [illegible] *Obſecro Domine: peccavi, inique egi, prævaricatus ſum*, [illegible]

[illegible]

[illegible] me, & pudet me operum: nunquam revertar ad rem iſtam. Nec profuiſſe ſacrificia, nec expiaſſe peccata, niſi hæc confeſſio cum pœnitentia acceſſiſſet. Scribitq; idem Autor Hebræos etiamnum ſpecialem peccatorum confeſſionem facere in die expiationis, & loco ſatisfactionis ſibi plagas infligere, ut ex ipſiſmet audiverit P. à Lapide. Unde tum Orthodoxorum confirmatur ſententia, & uſus confeſſionis particularis, quâ Heterodoxorum contra eam oblocutiones erroneæ vel [illegible], vel ſaltem confundantur, quod ſeq. v. 7. & 8. prædixiſſe S. [illegible] videtur.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. q. d. hoc [illegible] exemplum ſecutus, vel miſericordiâ tuâ in condonandis ob [illegible] factam offenſis permotus omnis ſectator veræ *ſanctitatis*, vel primum acquirendæ, vel recuperandæ per pœnitentiam, ſimiliter [illegible] te orabit, dum verſatur in ſtatu conſequendæ à te veniæ, & [illegible], quod eſt tempus vitæ hujus planè opportunum, de quo Apoſtolus [illegible] Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* de quo ipſo Deus ait: *tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* [illegible]

[illegible] ſapienterq; id faciet: *veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* v. 8. Certè (ſic veruntamen exponitur) [illegible] die noviſſimo, vel mortis articulo; vel die judicii, quando tempore gratiæ, & miſericordiæ evoluto tempus juſtitiæ tantum [illegible] quando velut diluvium quoddam tempore Noe omnia genera [illegible], atque pœnarum ſuper impios inundabunt, ab [illegible] involvatur, vel ingruentes tribulationum, malorum [illegible] vitæ hujus, Deo illos dimovente, in eum non [illegible]

[illegible] puritatis tum conſequendæ, tum conſervandæ medium [illegible] puritatis contra hoſtes, tentationesque omnes v. 8. & 9. innuitur: *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, [illegible] mea, erue me à circumdantibus me.* Nempe Dei [illegible], quâcunque efficacem contra eaſdem tentationes, hoſtesque [illegible] implorare, & ad eum tanquam certiſſimum refugium (hebraicè, *tu es latibulum meum*) recurrere, cujus & præſidio [illegible] lateat, & auxilio victoriam cum exultatione & gaudio ab hoſtibus quantumvis validis, magnoque agmine ſe cir-

cum vallantibus reportet. *Mox* enim reſponſum divinum reapſe illud experietur. v. 10.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, quâ gradieris, firmabo ſuper te oculos meos quibus gratiæ efficacis auxilium promittitur quod partim in illuminatione intellectus conſiſtit, *intellectum tibi dabo*: partim in pio motu voluntatis, cæterarúmque facultatum, & circumſtantiarum, tum applicatione, tum remotione ad effectum intentum infallibiliter illæſâ ſemper libertate conſequendum juxta ſcientiæ divinæ mediæ certiſſimas directiones.

Inſtruam te in via hac quâ gradieris, græcè, *comitabor te in via*, *ſimul tecum gradiar*, manuducendo quaſi te gratia cooperante in omni via actionum tuarum, & non ſolùm velut dux itineris præcedendo, ſed apprehenſâ velut manu te poſt me trahendo, juxta illud. Cant. 1. *trahe me poſt te, curramus in odorem unguentorum tuorum*, ut non tantaxat in via morum non erretur, ſed inter pericula etiam, & inſidias hoſtium virtute quâdam efficaciâque ſingulari corroboratus inoffenſo pede, tutóque tramite progrediaris ſecurus, partim in perſeverantiæ bonorum favorum continuatione, quæ propria electorum gratia perſeverantiæ eſt, *firmabo ſuper te oculos meos*: nec enim bene incepiſſe ſatis eſt, niſi ad finem feliciter pertingas.

In eundem fere ſenſum recidit explicatio Bellarm. qui his verbis tria promitti vult 1. per intellectum, prudentiam interiorem, qua poſſis cavere inſidias hoſtium, & diſcernere amicos ab inimicis, & internoſcere verumque à fucato ac falſo. 2. per *inſtructionem*, auxilium extraordinarium ſingularis providentiæ Dei, ſine quo in multis periculis homines etiam prudentiſſimi verſantur, per quod directio, & ducatus in omnibus actionibus ſignificatur. 3. per oculorum firmitudinem vel robur, gratiæ perſeverantiam, *firmabo ſuper te oculos*, non avertam à te illos, ſed perſeveranter, & ſtabiliter oculo benignitatis te aſpiciam. Hæc ſic doctè, & piè.

Tertium medium pro tertio puritatis gradu aſſequendo continetur v. 11. & 12. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus. In camo, & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te*, Nimirum mortificatiò, nam præter medium orationis ſuprà poſitum, addenda quoque neceſſario illa eſt, & cum auxilio gratiæ Dei, jungenda cooperatio ſimul noſtra. Mortificatio

enim

enim eſt, interior illa inquam, lupati, & capiſtri ad inſtar, quo appetitus tum interni, tum ſenſus externi à ratione domantur, continentur, & aſtringuntur, ne obbruteſcant effrenatâ licentiâ, tanquam equus ad immundâ cupiditate, ad vicinam equam, vel ut Davidi quoad Berſabeam Uriæ uxorem accidit, *aut mulus* morſu, & calce invadens, & eſſedens obvios debiliores, & ſubditos, præſertim, quâ ratione ab eodem Urias proſtratus eſt. Eſt enimverò nobis intellectus, & ratio, quibus ab animantibus cæteris differimus, quorum dictamen velut frenum eſſe debet, quo appetitus brutales coërceantur, & in gyrum rectæ rationis flectantur. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Gen. 4. Cain dicebat Deus, hoc lupato infrænandi concupiſcentiæ, motus, & inclinationes noſtræ ſunt, quando à recta ratione recedunt, vel non approximant ad æternam Dei legem, quæ nobis per legem rationis noſtræ promulgatur, atque ita evenit, ut ſi deſideria, & appetitus noſtri ſubdantur rationi, & ratio voluntati, legique Dei, exurgat placidiſſima illa in animo tranquillitas, puritatiſque ſupremus gradus ſine omni mentis turbatione, & inquietudine.

Affectus deſiderii.

O Deſideratiſſima mentis puritas, atq; tranquillitas, quis mihi det, ut tempore perfruar. Confitere imperfectum tuum, anima mea, coram Deo & hominibus, ad hanc obtinendam crebris ad Deum ſuſpiriis geminis flagris, motus tuos omnes, & appetitus in gyrum rationis coge, ſtude, ut ea perfrui jucundiſſimè poſſis.

Punctum III.

Expende effectus, hinc peccati, inde innocentiæ oppoſitos, qui ad puritatis ſtudium permovere nos poſſint. v. 13. & 14. *Multa flagella peccatoris*, quibus atteritur in hac vita, tum à Deo, tum à ſe ipſo, tum ab aliis creaturis in ejus perniciem conſpirantibus, & multo magis in alterâ. Enim verò fucatæ felicitati, quæ in peccatoribus interdum ſoris apparet, credendum neutiquam eſt, nam mera felicitatis larva eſt, ſub qua omnes latent infelicitates abſconditæ, ipſum enim peccatum infelicitas ſumma, & malorum omnium maximum eſt, & lerna malorum, quæ ex eo magno agmine ſine numero

progenerantur, tot inquam ſolicitudines, tot anxietates, timores, tot pericula, tot conſcientiæ vermes, & remorſus ſimiliáq; quàm plurima, quibus Deus juſtus vindex flagella flagellis accumulat, eorumque ictus, plagásq; ita ingeminat in hac vita, ut niſi iis correptus peccator tempore opportuno reſipiſcat, & ad Deum convertatur, ad flagella graviſſima æterno tempore ſine ceſſatione ullâ unquam infligenda [illegible]dus ſit.

E contra *ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit*, vel *tanquam ſcuto bonæ voluntatis eum coronans.* ut Pſ. 5. ait, quo communi adverſitatum hoſtiúmq; tela protegatur, vel tanquam cumulo bonorum omnium undiq; eum ſtipans, quibus abundatiſſime perfruatur, vel tanquam vallo beatitudinis omnigenæ eum circum vallans, ut multitudinem flagellorum, quæ peccatores conſequuntur, multitudo miſericordiarum juſtis præparatarum longiſſimis intervallis ſuperet.

Tandem alterum effectum puritatis, qui eſt proprius illi peculiariter ſc. lætitia, & exultatio bonæ conſcientiæ inter utriúſq; fortunæ caſus (de qua ex Thom. Kemp. cap. 6, l. 2. alibi nonnulla) in ſinuatim concludit per apoſtrophen ad juſtos, & quos initio pſalmi beatos dixerat, illiſque gratulatur hic felicitatem ſuam, & ad lætitiam, laudémq; Deo dandam adhortatur. *Lætamini in Domino*, non in vaniſſimis mundi hujus bonis, & *exultate juſti*, *& gloriamini* non in vobis, aut meritis veſtris, ſed in Dei bonitate, & miſericordia, *omnes recti corde*, ſc. qui ſincerâ intentione coram Deo converſantur, & in conſpectu ejus cum ſimplicitate cordis incedunt, verbo *juſti*, ex cordis enim rectitudine oritur rectitudo verborum, & operum, & illi deniq; ſunt juſti, quorum corda voces, & opera ſunt conformia rectiſſimæ regulæ, quæ & voluntas, léxq; divina.

Affectus congratulationis idem.

O Ergo beati inſontes, & immunes à peccatis, magnam omnino habetis gaudendi, & exultandi materiam in Domino, qui voluit eſſe cauſa tantorum bonorum, quibus affluitis, fruimini illis cum lætitia, & Deum omnium bonorum fontem benedicite, & collaudate in æternum.

ORATIO.
vel
SUSPIRIUM.

Juſtificationis nobis quæſumus Domine, puritatisq; perfectæ gratiam clementer infunde, ut per confeſſionem, & veram pœnitentiam deletis peccatis noſtris, appetitibúsq; refrænatis mereamur in hac peregrinationis via, firmatis ſuper nos charitatis tuæ oculis à te inſtrui, & peccatorum [illegible] cum juſtis miſericordiam, lætitiam, & exultationem conſequi ſempiternam.

IN PSALMUM XXXII.
Exultate Juſti in Domino, &c.
MEDITATIO XXXIV.
Contemplatio, & Laus Divinæ Veracitatis, Potentiæ, Bonitatis, & Sapientiæ, &c.

Argumentum Pſalmi.

Hortatur Juſtos ad laudem Dei, præſertim propter ipſius Fidelitatem, Miſericordiam, Potentiam, Bonitatem, & Providentiam in operibus ejus elucentem.

Punctum I.

CONſidera honoris, & gloriæ Dei, qui finis creaturarum omnium, actionúmq; noſtrarum, & religionis omnis fundamentum eſt, eximium Zelum in S. David; cujus ſtudio ſingulari ita rapiebatur, ut ſatis non eſſet, ſi Deum ipſe laudaret per ſe, ſed ad hoc omnes etiam hoc Pſalmo invitat, & adhortatur. Conformiter S. Auguſtini monito piiſſimo: Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem ejus & dicite: *Magnificate Domino mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.* Pſ. 33. Hic Zelo incitatus prorumpit in hanc Parænesin: *Exultate juſti in Domino: rectos decet collaudatio.* v. 1. *Juſtos* autem & *rectos* potiſſimum ad collaudandum Deum non ſigillatim ſolùm, ſed conjun-

junctim etiam invitat, tum quia pluribus à Deo gratiis, & beneficiis affecti, potiori etiam jure ad laudem, & gratiarum actionem obligantur; tum quia eorum in ore maximè decora laus Dei eſt. Unde pro ly *decet*, Hebræus habet, *ſpecioſa laus eſt*; ad quod attuliſſe videtur Eccl. cap. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum*, Pſ. 49. Ut meminerint, qui ad laudandum Deum ex officio, & vitæ ſtatu tenentur, ad juſtitiæ, puritatiſq; ſtudium non minus teneri.

Quare ſubdit: *Confitemini Domino in cythara, in pſalterio decem chordarum pſallite illi.* v. 2. quibus inſtrumentis potiſſimùm laudari vult Deum, ut quæ in uſu tunc erant, & quæ myſtico ſenſu S. Baſilius & S. Auguſt. ſic explicant: Ut per cytharam, quæ ſonat ex parte inferiori, intelligatur laus Dei, quæ per cognitionem ejuſdem Dei ex creaturis hauritur, per Pſalterium verò, quod ſonat ex parte ſuperiori, ſignificetur eadem laus Dei, quæ ex revelatione divina in ſcripturis ſanctis percipitur. Quanquam per idem pſalterium decem chordarum decalogi, præceptorúmq; Dei obſervatio ſenſu eodem explicatur, non incongruè ad ſignificandum, non voce ſolùm, ſed opere ipſo, & perfectâ maximè legis obſervatione Deum laudari. Ut bene Bellarm. nec minus ſubtiliter S. Ambr. enarrat in Pſ. 11. per decachordum pſalterium, de quo Pſalmiſta hic, & Pſ. 103. canit: *In decachordo pſalterio pſallam tibi*:
„ Hominem conſummatum in Chriſto intelligit: in quo ſicut arte con-
„ cinentium fila chordarum, ita convenientium reſonant opera cano-
„ ra virtutum. Quia, inquit, quinq; ſenſibus homo exterior vivifica-
„ tur, & rurſus quinq; ſpiritualibus ſenſibus ille abſconditus cordis ho-
„ mo noſter conſummatur interior, qui ſolus ante Deum locuples Pe-
„ tri Apoſtoli teſtimonio reperitur. Ergo quoniam decem ſenſus ho-
„ mini ineſſe manifeſtum eſt, ideò David, qui & foris, & intus canebat,
„ foris corpore, intus corde, dicit in Pſalmo: *In decachordo pſalterio pſallam tibi.* Pergit S. Vates. *Cantate ei canticum novum, bene pſallite ei in vociferatione.* v. 3. quibus tria exigit.

1. *Canticum novum*, id eſt, excellens, rarum, exquiſito, novoq; ſtudio compoſitum, non ante uſitatum, atq; vetus. Quod SS. Baſilius, & Auguſt. ſenſu morali exponunt de illo, quod canitur *exuendo veterem hominem cum actibus ſuis* ad Col. 3. *qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, & priſtinam converſationem, & induendo novum hominem*

qui

qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Ephſ. 4. *vel qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus qui creavit illum* ad Col. 3.

Alterum quod requiritur eſt, *bene pſallite,* vel pſallite *ſapienter.* Pſ. 46. ſcitè, concinnè, voce mentéq; attentâ.

Tertium additur *cum vociferatione*, ſeu plenis vocibus, magno ſonitu, non ſummiſsè, & frigidè, vel ut S. Hieron. & S. Auguſt. *cum jubilo, ac jubilatione*, quibus magnus devotionis affectus exprimitur, docetúrq; modus, quo coram Deo nobis pſallendum, divínæq; laudes decantandæ ſunt: accuratè ſcilicet, attentè, & devotè magno cum affectu,
„ & cordis jubilo. Quod ſuos monet S. Bern. ſerm. 47, in Cantic. vos
„ inquit, moneo dilectiſſimi, purè ſemper, & ſtrenuè divinis intereſſe
„ laudibus. ſtrenuè quidem, ut ſicut reverenter, ita & alacriter Domino
„ aſſiſtatis: non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes
„ vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes,
„ non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quidquam balbâ de nare ſo-
„ nantes, ſed virili, ut dignum eſt, & ſonitu, & affectu voces. S. Spiritus
„ depromentes.

Affectus humilis deſiderii laudandi Deum
ex S. Aug. ſolil. cap. 10.

„ LAus æterna, Domine Deus meus, à quo omnis laus, ſine quo nulla
„ eſt laus. Non valeo laudare te ſine te, habeam te, & laudabo te,
„ quid enim ego ſum per me, ut laudem te? pulvis, & cinis ego ſum, ca-
„ nis mortuus, & fœtens ego ſum. Vermis, & putredo ego ſum, nun-
„ quid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? tu lux, ego tenebræ,
„ tu vita, ego mors, quod ſi laudari à me vis, da quod jubes, & jube quod
„ vis.

Punctum II.

COntemplare diverſos laudandi Dei titulos, & nomina, quæ propheta recenſet, ut eſt 1. *Veritas, & fidelitas ejus, quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.* v. 4. quicquid enim ab ore Dei, diviniſſimámq; per revelationem proceſſit, aut ſacris in ſcripturis Deus elocutus eſt, ſive prædictiones illæ ſint, ſive promiſſiones, ſive commi-nationes, ſive prohibitiones, atq; mandata, omnia non ſolùm rectiſſima,

juſtiſſima, ſanctiſſimáq; ſunt, verum etiam fideliſſima, veraciſſimáq; ſine omni dolo, fraude, mendacio, adeóque ipſi Deo, qui veritas ipſa eſſentialis eſt, & non ſicut Dii gentium falſi, ſed veriſimus eſt, conformia, *& omnia opera ejus in fide*, dum factis ſinceriſſimè, & fideliſſimè implet, quod verbis promiſit, & opere præſtat, quod pollicitus eſt, ut verba, & opera maximè ſibi conformia, fideliſſima, ſanctiſſimáq; ſint, velut Pſ. 144. dicitur: *fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*, quibus innuitur præcipuum Dei nomen. *Ego ſum, qui ſum.* Exod. 3. quod quaſi radix eſt cæterorum attributorum, & conceptus velut Dei eſſentialis.

Secundum nomen, & Dei cognoſcendi laudandíq; titulus è primo, profluens, ex gemina rectiſſimæ voluntatis perfectione, conſtituitur, *juſtitia* nimirum, *& miſericordia*, de quibus v. 5. ait: *Diligit miſericordiam, & judicium*, præveniendo per illam nos primum donis gratiæ ſuæ, remunerando per iſtud poſtmodum unius cujusque merita, & opera ſive, quæ bona ſunt, præmio, ſive quæ mala, ſupplicio, vel per miſericordiam nobis benefaciendo, per judicium improbos ulciſcendo. In hæbreo legitur, *diligit juſtitiam, & judicium miſericordia Domini plena eſt terra*, ita ut primâ verſiculi parte ſanctitas voluntatis divinæ declaretur per juſtitiam in 2. vero per miſericordiam: quæ non diſcrepant admodum quidem, verum inhærendo ordinariæ verſioni, meliùs dicitur prima parte bonitatem voluntatis divinæ ex gemino attributo deſcribi, primò quidem miſoricordiæ, deinde verò juſtitiæ, per illa verò quæ ſubjunguntur. *Miſericordia Domini plena eſt terra*, ſignificari miſericordiam præ juſtitia latius diffundi per omnes creaturas, præſertim in terra, & ut Jacobi dicitur cap. 2. *quod ſuperexaltet miſericordia judicium*: veriſſimè autem miſericordiâ plena eſſe terra dicitur, eò quod miſericordia tollendis à rebus creatis imperfectionibus ſuccurrat, majores verò pluresvè imperfectiones ſunt in rebus ſublunaribus, utpote, quæ corruptibiles ſunt, ideóq; obnoxiæ amplius alterationibus, & defectibus præ incorruptibilibus cœleſtibúsq;, atq; in illis homo præſertim eſt, qui non ſolùm communi cum cæteris miſericordiâ indiget creante, conſervante, movente, nutriente, reparante, ſed peculiari inſuper præveniente, comitante, ſubſequente, indulgente, peccata, armante contra dæmones, dirigente, protegente &c. ut benè Card. Bellarm. cumq; univerſos

verſos à creaturis defectus tollere non poſſit, niſi quod defectu omni caret, ac perfectionis infinitæ eſt, actùsque purus: rectè miſericordia Deo propria dicitur: Juxta quod canit Eccleſia *Deus cui proprium eſt miſereri* &c. *& miſerationes ejus* eſſe *ſuper omnia opera ejus* Pſ. 144.

Tertium attributum contemplandi laudandíque Dei *potentia ejus* eſt, quæ ad voluntatem refertur, utpote ab ea indiſtincta, & per quam ens illud eminentiſſimum operari dicitur: Nam *omnia quæcunque voluit fecit*, Pſ. 113. Cujus voluntas opus eſt, inquit S. Auguſt. man. cap. 2. cujus velle poſſe eſt, quia omnia quæ ex nihilo creaſti, ſolâ voluntate feciſti. Illam porrò Dei potentiam contemplatur per effectus, inter quos nobiliſſimus, & maximè conſpicuus eſt Cœlorum ornatus, & fabrica ſolo Dei nutu, ſine labore, ſine inſtrumentorum machinis, ſine mora temporis, ſine auxiliaribus miniſtris, æternâ incorruptibilitatis firmitate fabrefacta, & ita conſtabilita, ut eundem ſemper curſum teneat. *Verbo Domini Cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus, omnis virtus eorum*, v. 6. Hebr. pro *(virtus)* habet *omnis exercitus eorum*, vel *ornatus*, ut vertit. Hieron. ſive is ſit Angelorum, qui ſunt quaſi caſtrorum acies ordinata, in quibus virtus, & potentia *Dei apparet*: ſive ſtellarum, quæ velut in aciem diſpoſitæ exercitum exhibent, & ornatus Cœlorum ſpecioſiſſimus ſunt, ſimúlque virtus eorundem, quæ varios per influxus in hæc inferiora diffunditnr. Hæc omnia Deus *verbo, & ſpiritu oris ſui* condidiſſe dicitur, ita ut non ſolùm ſignificetur, ut dixi, facta ſolo nutu, imperio, voluntate, aut verbo *(fiat)* ſed etiam, quod per hæc verba S. ſpiritus inſinuare voluerit Myſterium SS. Trinitatis, in lege nova perfectè revelatum: Cujus opera ad extra ſunt indiviſa, quæ pater cum verbo, & ſpiritu S. operatus eſt.

Subditur. v. 7. alius effectus divinæ potentiæ: *Congregans ſicut in utre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos*: Quibus ſignificatur Deum aquas, quæ ab exordio conditi orbis terram inundabant, & ad Cœlos usq; pertingebant, uno maris in alveo quaſi in utre congregatas concluſiſſe, & occultis, profundiſſimíſq; terræ concavitatibus ac receptaculis ſine fundo, quæ abyſſi dicuntur, tanquam theſauros abdidiſſe facilitate ſumma, qua homines utrem implent, aut pecuniam in theſauro recondunt, ex qua potentiæ divinæ contemplatione ad affectum timoris

 horta-

hortatur Propheta: *Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes terram.* v. 8. vel contremiſcant coram tantæ potentiæ Majeſtate, eámq; revereantur, timeántq; offendere omnes mortales: rationem ſubnectit. v. 9. *quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.* q. d. cum univerſa ipſius nutu facta ſint, & ab eo dependeant, uti nihil nocere nobis poterit ipſo non permittente, ita nihil ab ejus ira defendere poterit, ipſo nos perſequente. Vel nihil dictu tam mirabile, nihil cogitatu noſtro tam inopinatum, nihil tam remotum ab omni hominum opinione, memoriáq; omni inauditum, quin ad Dei voluntatem, nutúmq; ſtatim exiſtat, & nobis accidat, ſi ille ita velit.

Affectus Reverentiæ, & Timoris,
ex S. Aug. Solil. c. 34.

„ SAncte Sanctorum Deus inæſtimabilis majeſtatis, Deus Deorum, „ & Dominus Dominantium, mirabilis, inenarrabilis, inexcogitabilis, quem contremiſcunt in Cœlo Angelicæ poteſtates, quem adorant Dominationes, & Throni, & omnes virtutes pavent in conſpectu tuo, cujus potentiæ non eſt numerus, qui fundaſti mundum ſuper nihilum, & mare congregaſti in aëre quaſi in utre, à cujus conſpectu fugit Cœlum, & terra, ad cujus nutum omnia ſe ſubjiciunt elementa, &c. Te adorent, & glorificent omnes creaturæ tuæ, & cum illis ego filius ancillæ tuæ per fidem tuam flecto cervicem cordis mei ſub pedibus majeſtatis tuæ profundiſſimâ cum reverentia clamans, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.

Punctum III.

COntemplare poſt *eſſentialia*, & *voluntatis* Dei attributa, alia, quæ ad *intellectum* divinum ſpectant, & ad laudandum Deum permovent, ut ſunt infinita ejus ſapientia, ſcientia, providentia, quæ collata cum humano conſilio, & prudentia velut contraria juxta ſe poſita clariùs elucidantur à S. Propheta ſeqq. vv. *Dominus*, inquit, *diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum.* v. 10. *Conſilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione, & generationem.* v. 11. ac ſi dicat:

cat: Tametſi omnium gentium ſapientia in unam quaſi conflata coëat, hominúmq; omnium cogitationes, & conſilia prudentiſſima coacerventur, inſtituantúrq; conſultationes ab iis ſapientiſſimæ; ſupereminet his tamen ſine comparatione infinities ampliùs Dei Sapientia, ſic ut momento ea infatuare, diſſoluere, & irrita reddere poſſit: adeoq; omnis humana prudentia divinæ comparata ſtultitia potiùs dicenda ſit. Atq; ita diſſipare, & reprobare dicitur Deus gentium conſilia, & populorum cogitationes tanquam fatuas, & ſtultas, nec populorum ſolùm, ſed Principum etiam, Regúmq; deliberationes, quantumvis ſuis cum conſiliariis, omni ſcientiâ, prudentiáq; iuſtructiſſimis, expertiſſimíſq; inſtitutas reprobat velut inutiles, inanes, & inſipientes: ſapientéſque in ſua aſtutia comprehendit, eorum conſilia ita infatuans, ut quæ utiliſſima ſibi fore perſuadebant, in illorum perniciem recidant. Econtra verò *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Proverb. 21. Sicut enim inſcrutabilis Dei ſapientia diſſolvit humana conſilia, ut in nihilum recidant, ita ècontra adverſus conſilium Dei nihil poteſt humana cogitatio, atque prudentia: *Conſilium autem Domini in æternum manet.* Quicquid enim ſemel decreverit, ſtabile in æternum erit. *Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas fiet, dicit Dominus.* Iſa. 45.

Ex quibus rectè infert S. Propheta. v. 12. *Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem ſibi.* Felices, & beatos illos, qui divinæ ſapientiæ, & providentiæ totos ſe ſubjiciunt, ejusque diſpoſitioni fallere, & falli neſciæ, ſe penitùs committunt. Et quos viciſſim Deus in peculiarem poſſeſſionem, & hæreditatem, vel peculiarem ſub curam ſuſcepit, favorum, & gratiarum peculiarium velut ex aſſe hæredes! Hæc enim duo conſequuntur, ut qui ſe paternæ Dei providentiæ penitùs tradunt, eos ipſa ſuſcipiet in filios, & hæredes. *Beata,* inquit, *gens iſta.* Sicut enim beatitudo vitæ alterius, & hæreditas noſtra cœleſtis in eo ſita erit, ut Deum cognoſcamus, & videamus ſua in eſſentia: ita vitæ hujus beatitudo, & felicitas præcipua conſiſtit in eo, ut Deus ſingularis ſuæ providentiæ, oculo benevolentiori ſemper intueatur nos in hac vita, atq; dirigat.

Confirmat verò partim propoſitionem præcedentem, partim quæ de ſapientia dixit univerſim. vv. ſeqq. 13. & 14.

De Cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De præparato taberuaculo reſpexit ſuper omues, qui habitant terram. Eò quod nihil Deum lateat, nihil temerè, & fortuitò accidat, quod ipſe non prævideret, qui continuò de Cœlo, tanquam altiſſimâ ex ſpecula ad id præparata intentos ſupra mortales oculos habeat, ejusq; *palpebræ interrogant filios hominum.* Pſ. 10. *& in omni loco oculi Domini multò plus lucidiores ſuper Solem circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Eccl. 23. Contemplatur bonos, & malos. Prov. 15. ut effugere ejus ſcientiam nil quicquam poſſit, etiam eorum, quæ intimis cordium penetralibus abditiſſima latent, atq; geruntur. Utpote *qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* v. 15. & qui ſingulorum mentes non modò firmavit, & conſervat, ſed ad omnes etiam operationes, & cogitatus ſuum concurſum præſtat, ideoq; omnia opera eorum perſpicit.

Hanc Dei in ſuos curam, atq; providentiam anteponit S. David omnibus viribus, & auxiliis, quæ poſſint hominem eripere ab omni diſcrimine, & periculis, quibus vita noſtra expoſita eſt, ſive ad reſiſtendum illis per vires aut alienas, ut eſt robur exercitus, & copiæ militares, aut proprias, ut eſt fortitudo propria Herculea, ac Gigantea, ſive ad fugiendum, ut eſt generoſi equi perniciosiſſima velocitas, id quod v. ſeq. aſſerit: *Non ſalvatur Rex per multam virtutem* (Hebr. *per multum exercitum*, multitudine copiarum, & robore bellatorum præſtantem) *& gigas non ſalvabitur iu multitudine virtutis ſuæ.* v. 16. viribus, & lacertis giganteis, quibus prævalet cæteris inſtar Goliath: *Fallax equus ad ſalutem*, fallit, inquam, ſpes quæ in equi velocitate collocatur, quaſi illâ ſalutem conſequi quis poſſit. *In abuudantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur.* (Hebr.) *non ſalvabit*, vel non eruet equus ſeſſorem ſuum ſcilicet, multâ licet generoſitate bellator eximius, & pernice velocitate præditus ſit; In his, inquam, fidendum nemini eſt, nec enim numeroſus exercitus, nec giganteum robur, neq; pernicitas generoſi equi liberare aliquem poteſt? Quid ergo? *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* v. 18. Hæc nimirum Dei vigilans cura ſuper timentes ſe, confidentésq; ſibi, hi providentiſſimi, paterniq; oculi infinities certius, ſecurius, meliúsq; iſta præſtabunt iis, qui cum caſto, filialiq; timore fiduciam in Deo collocant, juſti ſcil. *ut eruat*

à morte

à morte animas eorum, & alat eos in fame. v. 19. ad duo nempe præſtanda confidentibus in ſe beneficia, providentiæ ſuæ oculos in illos intentos habeat, tum ut eos à periculo mortis liberet, tum ut vitâ hâc ſuperſtite alimenta, aliáq; neceſſaria ad eam conſervandam, egeſtatis, famisq; tempore præſertim paternâ curâ proſpiciat, ne deficiant in via vitæ hujus, quæ duo beneficia non tam de corporali vita, ejúsq; ſuſtentatione, quàm de ſpirituali, ſempiternáq; intelligenda ſunt: *Eruit enim animas eorum à morte*, dum vel non ſinit eos labi in peccatum, inquit Card. Bellarm. quod eſt mors animæ, vel ſi forte peccaverint, mox illos per ſalubrem pœnitentiam ad gratiam, quæ eſt vita animæ, revocat, & utroq; modo animas eorum à morte ſempiterna liberat. Viventes autem per inhabitantem Spiritum ſanctum alit in fame, dum in hoc deſerto, per quod ad terram promiſſionis tendimus, deſerto planè ſterili, & inaquoſo, alit mannâ pluente de Cœlo, & potat aquâ de petra ſcaturiente, id eſt, cœleſtibus conſolationibus reficit, ac ſuſtentat: alit autem, non ſatiat, & ſitim temperat, non extinguit: quia ſaturitas ſervatur in aliam vitam, in qua *ſatiabimur, dum apparuerit gloria Domini, & inebriabimur ab ubertate domus Domini, & torrente voluptatis potabimur.* Sic ille.

Affectus Laudis, Sapientiæ, & Providentiæ Dei,

ex S. Aug. Soliloq. cap. 13.

„ O Lux (ſapientiæ increatæ) quæ obtenebrat omnem lucem, & lu-
„ men, quod excæcat omne extraneum lumen, lux, à qua omnis lux,
„ lumen, à quo omne lumen. Lumen, ad quod omne lumen eſt tene-
„ bræ, ad quod omnis lux obſcuritas. Lux ſuprema, quam cæcitas non
„ obnubilat, quam caligo non hebetat, quam tenebræ non obſcurant,
„ quam nulla obſtantia claudit, lux quæ illuminas omnia tota, ſimul
„ ſemel & ſemper: abſorbe me in claritatis, charitatis, & providentiæ
„ tuæ abyſſum, ſine te omnia ſunt mihi tenebræ, omnia mala, quia ni-
„ hil bonum, ſine te vero, ſolo, & ſummo bono, &c. Ubicunq; ſum ſine
„ te, malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed etiam in me, quia
„ omnis copia, quæ non eſt Deus meus, mihi eſt egeſtas, ſatiabor tunc,
„ cum apparuerit gloria tua.

Punctum IV.

CONſidera tres fructus, & practica quaſi propoſita, quæ ex contemplatione attributorum Dei, fidelitatis, miſericordiæ, potentiæ,

& ſapientiæ deducuntur à Juſtis, quos S. David inducit ſibi reſpondentes.

Primum eſt adhærendi conſtanter Deo, quocunq; in caſu, ſtatúque, proſpero, vel adverſo, *anima noſtra ſubſtinet*, vel *ſuſtinebit Dominum*, patienter acceptando de ejus manu, perferendóque quicquid ordinaverit de nobis, permiſeritque circa nos, nihil ab eo nos ſeparabit, ut ad alium conſolatorem, & creturas reſpiciamus. *Quoniam* (ut tum ex dictis, tum experimento vario cognovimus) *adjutor, & protector noſter eſt*, v. 20. à quo potentiſſimè, fideliſſiméque adjuvamur, & protegimur.

Alterum propoſitum eſt: *quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine S. ejus ſperavimus*, collaudabimus eum cum exultatione, ut initio pſalmi nos adhortabaris.

Tertium in nomine ſancto ejus ſperavimus, in ipſius dico miſericordia, bonitate, providentia, quæ divina ſunt nomina, vel attributa. Tandem oratione, & colloquio ad Deum converſo concluditur pſalmus, quo miſericordiam ſibi exorant, juxta ſpem, fiduciamq; ſuam. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.*

Affectus ad Deum iidem jam poſiti.

ORATIO

Repleatur os noſtrum laude tua, Domine Deus noſter, ut miſericordiam, providentiam, ſapientiam, cæteráſque virtutes tuas collaudantes, benignis providentiæ tuæ ſupra nos oculis, & ab æterna morte eruamur, & bonis cæleſtibus repleti miſericordiam tuam, quemadmodum ſperavimus in te conſequamur.

Amen.

IN PSALMUM XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore, &c.

MEDITATIO XXXV.

Ob evitata pericula Deus benedicendus, eiq; confidentiâ, atq; filiali timore adhærendum.

Argumentum Pſalmi.

David elapſus præſenti ex periculo apud Regem Achis, qui hic Abimelech dicitur, communi omnibus Regibus Philiſtinæ gentis nomine (ſicut Pharao apud Ægyptios, Cæſar apud Romanos erat) ut refertur 1. Reg. 21. gratias Deo agit, & ad idem ſecum alios hortatur, ſuoq; exemplo ad eidem confidendum erudiens ſimul ad innocentiam, ſanctúmq; timorem excitat hoc Pſalmo ſuo Alphabetico (ſenſ. lit.) ut inſcriptio docet: *Cum immutavit vultum ſuum* ſimulans ſe furere: ne quis fortè ad Abimelech Sacerdotem referendum putet, ad quem eod. cap. narratur acceſſus, & receſſus David. Senſ. verò alleg. Chriſto per paſſionem immutato, & liberato à morte, & in ſuis fidelibus à peccato, & inferno, idem hymnus aptari poteſt, & (ſenſ. mor.) Juſto cuivis, qui ſenſus myſticus, & moralis hic nobis propoſitus ferè eſt.

Punctum I.

Conſidera, quàm meritò propter tot, tantáq; pericula, e quibus vel erepti, vel præſervati ſumus gratia Deo agenda ſemper, dicendumq; cum S. Davide nobis: *Benedicam Dominum in omni tempore*, id eſt, quoad vixero, vel per hunc Pſalmum, quem prævidit ab Eccleſia ſemper decantandum ad finem mundi, vel tempore non ſolùm proſpero, ſed & adverſo: *ſemper*, hoc eſt, conveniente juxta diſcretam devotionem, tempore, *laus ejus in ore meo*. v. 1. ſupple erit.

Nec à me ſolum Deus benedicetur, ſed etiam ab aliis: *In Domino laudabitur anima mea*, cui tanta Deus præſtitit, ita tamen, ut laus omnis in Deum redundet; ab iis potiſſimùm, qui ſimilia paſſi manſuetè,

 patien-

patientérq; fuerunt, ubi hæc audierint: ſic enim in hebræo eſt audient, vel *audiant manſueti, & lætentur.* v. 2. Id eſt, audiant, utinam omnes timentes Deum, viri manſueti, & humiles, ſive quod Deus mihi præſtiterit, ſive me laudantem, & benedicentem Deum, & collaudent, collætentúrq; mecum, ad quod illos exhortatur per Apoſtrophen v. 3. ſeq.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum, id eſt magnificè deprædicate mecum beneficium liberationis meæ, ut nomen, id eſt ipſe Deus, ſeu illius potentia, & miſericordia, ejúſque notitia increbreſcat, & ita altior quaſi reddatur plurísque fiat non à me ſingillatim, & ſeorſim inter privatos parietes, ſed ab omnibus in vel propter idipſum, ſeu conjunctim in Eccleſia, uno omnium ore glorificetur pariter.

Affectus gratiarum actionis ex
S. Auguſt. ſolil. cap. 18.

„ ET ego Domine gratias tibi agam, ne ſim ingratus tibi, liberator
„ meus, quoniam liberaſti me. Quoties jam me abſorbuerat ille
„ draco? & tu Domine ab ore ejus extraxiſti me, quoties ego peccavi,
„ & ipſe fuit paratus, deglutire me, ſed tu Domine Deus meus defen-
„ diſti me. Sic enim me multoties à faucibus Diaboli liberaſti, de ore
„ leonis eripuiſti, & ab inferno, licet neſcientem multis vicibus redu-
„ xiſti. De morte etiam corporis ſæpius eruiſti me, ſalvator meus, cum
„ graves morbi tenerent me, cum fui in periculis multis, per mare, per
„ terras, ab igne, & gladio, & ab omni periculo liberans, & eripi-
„ ens me de morte corporis, & de morte animæ. Idcirco gratias li-
„ cet viles, licet exiles, & impares beneficiis tuis, quales habet mea fra-
„ gilitas, has offero, quoniam tu es ſolus Deus meus, creator meus
„ benignus, & liberator meus &c. Utinam omnes Angeli, & Sancti, ſive in Cœlo, ſive in terra pro his mecum te laudent, & glorificent in æternum.

Punctum II.

COnſidera gratiarum actionis modum S. Prophetæ optimum, quem hic tradit, nempe qui reipſa Deo exhibetur. 1. ut non ſolum ipſe Deo magis confidat, ſed ſuo exemplo etiam alios ad idem inducat: Hinc ait. v. 4. *Exquiſivi Dominum, & exaudivit me, & ex om-*

nibus tribulationibus meis eripuit me, id eſt. Ego anguſtiis preſſus, ſtudioſè ad Deum confugi per orationem magnâ cum fiduciâ, & mox ereptus ſum miſericordia, & benignitate ipſius ab omnibus tribulationibus. Idem & vos exemplo meo facite, *accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.* v. 5. accedite, inquit S. Hieron. non loco, ſed fide, & opere, credendo, ſperando, amando, orando. hebr. *ſuſpicite in illum*, in ipſius ſcil. auxilium reſpicite, quotquot in nocte mœroris, & tenebris tribulationis conſtituti eſtis, & mox pulſis mœſtitiæ nebulis oborietur vobis lux conſolationis, & lætitiæ, ita enim imperativus hebræus ponitur pro futuro) *illuminabimini*, radiis divini auxilii, & ſolatii, juxta illud *lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia*, Pſ. 90. vel accedite ad eum per converſionem, & pœnitentiam, & ipſe convertetur ad vos per gratiam ſanctificantem, quâ illuminati, vivetis vitâ ſpirituali, quæ à vultu Dei luciditſſimo, maximeque vitali procedit, qui velut ſol eſt fons vitæ, quo illuminabimini, & vivificabimini, *& facies veſtræ non confundentur*, aut propter repulſam non erubeſcetis, ſed [illegible] quicquid ab eo poſtulaveritis.

Quod ſuo iterum exemplo inculcat. v. *6. iſte pauper* (David ego, ſcil. ita ope omni deſtitutus, ut ab Achimelech ſacerdote panem, & [illegible] mendicarem. 1. Reg. 21.) *clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ſalvavit eum.*

Addit præter exemplum rationem: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* v. 7. (Hebr.) *Caſtra metatur*, vel *caſtra metabitur circum eos Angelus Domini.* q. d. Deum in ſubſidium eorum, qui in ſe confidunt, & timore rerverentiali erga ſe feruntur deſtinaſſe ſuos Angelos, ut Pſ. 90. habetur: *Angelis ſuis mandavit de te*, [illegible] ſuum, cuiq; cuſtodem ex iis dediſſe, qui ſibi commiſſum Clientem, Deo confiſum, Deiq; timentem præſertim, quaſi integro exercitu contra hoſtium incurſus circumvallet, aut totis velut caſtris (tanta Angeli unius potentia eſt, ut exercitum ſolus repræſentet!) circa Clientem metatis ei invigilet, quo facit, quod de Eliſæo ſupra relatum eſt, medit. 28. in Pſ. 26. Punct. 2. ex lib. 4. Reg. c. 6. Cum illius capiendi cauſâ magnæ Syrorum copiæ urbem Dothan obſediſſent, ideoq; metu fractus [illegible] Miniſter trepidaret. Eliſæus pro eo precatus, ut quæ videbat ipſe Miniſter quoque cerneret, tum ille circumcirca proſpiciens, totum montem curribus igneis, equitibúſque plenum, qui ſe tanquam [illegible]

Ff 2 for-

ſortiſſimis caſtris cingerent, & pro ſua ſalute propugnarent. Unde ſuppleri verſus ſic poteſt: *immittet Angelus Domini* (ſc,) *vel immittet Angelus Domini timorem*, vel opem, vel præſidium, circa timentes Deum, ad eripiendos eos ab hoſtili poteſtate.

Poſt rationem datam provocat ad experimentum: *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo* v. 9. q. d. experimini, periculum facite, accedite per fiduciam, invocate, & requirite per orationem, jactate reipſa in Deum omnem ſolicitudinem veſtram, & creaturarum ſolatiis abjectis illi inhærete, & proprio experimento ipſi comperietis, guſtabitis, & comprobabitis quàm dulcis, [illegible] quàm bonus, benignus, benevolus, græ. χρηςὸς quàm commodus, placidus, utilis, frugi ſit Dominus ipſi inhærentibus, ut revera magna pars beatitudinis hujus vitæ in iſta erga Deum confidentia conſtituenda ſit.

Affectus ejusdem Confidentiæ.

EIa age devota anima, ſicut modo genitus infantulus hoc divinæ protectionis, & providentiæ lac concupiſce, teq; intra ejusdem providentiæ materna ubera colloca, ejus intra brachia conjice, ut guſtes quoniam *ſuavis eſt Dominus*, quo ſenſu S. Petrus in prima ſua Epiſt. cap. 2. hæc adducit, ecquid enim ſuavius fingi poteſt, quàm abſtractum à creaturarum ſpe, & ſolatio, conſcientiâ bonâ, fide non fictâ, fiduciâ [illegible] charitate ſincerâ, in ſinu ſummi boni requieſcere? ô verè beatam te, ſi pacem cum Deo tuo, conjunctionémque tam arctam tibi compararis, & in illo ſpe certâ, ab reſignatione perfectâ conquieveris.

Punctum III.

COnſidera modum ſecundum reipſâ gratias Deo agendi, qui ſimul etiam fiduciæ illius jam deprædicatæ fundamentum eſt, & [illegible] um, nempe timor Dei, qui proponitur, vehementérq; ſuadetur, verſibus ſequentibus *timete Dominum omnes SS. ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum*, v. 9. ſanctis porró ſuadet timorem Dei non ſervilem, ſed caſtum illum, & filialem, qui cum charitate permixtus, & copulatus eſt, & unicè veretur ne forte dilectum Dominum ſuum ullo peccato etiam leviſſimo offendat, ideóq; ejus ſe voluntati ſtudioſe conformat, ejus nutum obſervat accuratiſſimè, nec quicquam magis veretur quàm illi diſplicere, de quo S. ſpiritus Eccl. 1. *plenitudo ſapientiæ eſt timere*

Deum, & Job. 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia* ſeu perfectio: hujusmodi Deum timenti nihil deeſſe poteſt ſive in ſpiritualibus, ubi ejus perfectio eſt, ibi defectus non eſt, Unde hebræus pro illo, *non eſt inopia timentibus*, habet, *non eſt defectus timentibus eum.* Sive in temporalibus, quid enim deeſſe poſſit poſſidenti eum, cujus ſunt omnia aut qui nihil nec optat nec deſiderat, niſi quod Dei conforme eſt voluntati? profecto exemplorum affatim utraq; hiſtoria ſuppeditat, quibus Deus mirabili providentiâ proſpexiſſe timentibus ſe, ſervis ſuis ea quæ ad vitam neceſſaria ſunt, aliaq; temporalia ſubminiſtraſſe tempore egeſtatis comprobatur. Atq; ea adeo præ mundi divitibus, & omni opulentia affluentibus provideri à Deo neceſſaria aſſeverat.

Divites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono v. 10. In hebræo legitur pro divites &c. *Leones depauperati ſunt*, quâ metaphorâ deſignantur divites hujus ſeculi plerumque iniqui, quia dives omnis ejusmodi aut iniquus eſt, aut iniqui hæres, iniqui ille, qui leonum inſtar violenti facultates aliorum diripiunt, iisq; velut prædæ avari oris rictu inhiant, qui juſto Dei judicio, vel in ſe, vel in hæredibus ſuis ad extremam ſæpe inopiam rediguntur, nam malè parta, malè dilabuntur, & *de male poſſeſſis vix gaudet tertius hæres.* Contra verò timentes Dominum, etſi tenuiorum facultatum ſint, & reſpectu aliorum pauperes, *non minuentur omni bono* id eſt, nullo bono, vel re nulla neceſſaria carebunt, phraſi hebræa in ſcripturis frequenti. ut Pſ. 48. de divite item dicitur *cum interierit, non ſumet omnia*, id eſt, nihil ſecum ſumet, & alibi. Adde divites ſæculi, etiam mediis in divitiis veluti tantalum mediis aquis, & pomis circumdatum, famere, ſitire, egere, quod ſatiari eorum appetitus non poſſit, unde tam deeſt avaro divitii quod habet, quàm quod non habet: Non enim expleri rationalis appetitus re ullâ creatâ finitâq; poteſt ad perfruendum Deo infinito, & [illegible]o pro creatus. Inquirentes autem Deum cum deſiderii ſui fatie compotes fiant, & inquiſito bono infinito potiantur, expleto appetitu ſatiantur, quia in ſummo, & infinito bono habent omnia, tenuiq; modico rivulo ſitim neceſſitatum ſuarum facilius extinguunt, quàm toto illo oceano, Quibus meritò de cauſis blandiſſima paræneſi ad condiſcendum hunc Dei timorem, ejúsq; commoda, & effectus velut pater filios ſuos invitat *Venite filii audite me*, ſic enim velut bonus Magiſter diſcipulos ſuæ doctrinæ ſtudioſos filiorum nomine affectúq; planè pater-

no compellans, audientiam, benevolentiámq; eorum captat. Propoſitio mox ſequitur: *Timorem Domini docebo vos.* v. 11. in quo ſcil. ille ſitus, quæ ejus natura, quæ media ad conſequendum illum, quæ paſſiones, & effectus illius. *Quis eſt homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos.* v. 12. quibus (ut Doctorem peritum ex didactica methodo agnoſcas) finem, qui primus eſt in intentione, & in moralibus cum rei natura concomitatur, exponit: finis enim timoris Dei eſt vita, eaq; feliciſſima, & dies boni, tam in præſenti, quàm in futuro ſæculo poſſidenda: huc enim omnes collineant, huc tendunt, & ſuos omnes conatus dirigunt, ut beati ſint, hæc autem beatitudo eſt regnum illud cum ipſo Deo nobis commune, quod in vita hac mortali *eſt juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* teſte Apoſtolo Rom. 14. quibus jucundiſſimè perfruuntur timentes Deum, & prægustant anticipativè alterum futuri ſæculi, in quo in Deum transformabimur eſſentiali viſione, & gaudio beatifico: *quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt, &* (ideò) *omnis qui habet hanc ſpem in eo ſanctificat ſe.* (per caſtum timorem) *ſicut & ille ſanctus eſt.* 1. Joh. 3. quis eſt homo ad hanc felicitatem creatus, qui hanc vitam vult? Vitam, inquam, longam, & vitam felicem, dies bonos, & Soles candidos quis vult? aut potius quis eſt, qui non vult? & tamen pauci, pauci aſſequuntur, quia non ſeriò ac verè volunt; quis eſt, qui vult verè, qui vult ſeriò? is ad finem adhibeat hæc media.

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. v. 13. *diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.* Studeat is perfectæ puritati, obſervandâ divinâ lege examuſſim, ut nullo peccato, nec oris, nec operis, nec cordis, nec commiſſionis, nec omiſſionis Deum offendat. Ab illis, quæ frequentiora ſunt, linguæ [illegible] peccatis incipit. *Si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus vir eſt,* Jac. 3. *Prohibe linguam tuam à malo* generatim, ſpeciatim verò & præcipuè ab iis linguæ peccatis, quæ juſtitiæ, & charitati repugnant, & per dolum malum nociva ſunt aliis, ut mendacia pernicioſa, teſtimonia falſa, detractiones, & obtrectationes, ſuſurrationes, contumeliæ, injuriæ, *& labia tua ne loquantur dolum.* Subinde ad peccata operis tranſit, *diverte à malo*, quibus comprehenduntur peccata commiſſionis, qualia ſunt homicidia, adulteria, &c. & fac bonum, per quæ etiam omiſſionis comprehendit v. 9. non colendo debito tempore Deum, non honorando parentes, &c.

Tan-

Tandem etiam cordis adjungit, quibus pax læditur, vel in ira, invidia, temerariis judiciis, &c. accidit, vel ſecum ipſo ut in cæteris animi perturbationibus, & affectibus inordinatis internis, qui, ut alterum non lædant, ſemetipſum tamen inquietum reddunt, atq; perturbant. Contra quæ, ut pax utraq; optatiſſima quæratur, & conſtanti ſtudio concilietur, laborandum eſt, laborandum, inquam, conandúmq; ex parte noſtra, *ut quod in nobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habeamus*, quod monet Apoſtolus Rom. 12. quicquid vel ex parte aliorum obſtaculum ponatur, ut cum Propheta eodem dicere nobis liceat. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pſ. 119. quicquid etiam interni affectus in nobis tumultuentur, qui internâ, externáq; mortificatione compeſcendi, & ſedandi ſunt.

Poſtremò deniq; beata illa Cœli pax, ſeu viſio pacis, quæ eſt Jeruſalem mater noſtra inquirenda omni ſtudio eſt, & inſectanda, ante omnia, juxta Redemptoris noſtri monitum: *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. 6. Luc. 12.

Sequuntur nunc effectus timoris Dei ſeqq. vv. è quibus 1. *Oculi Domini ſuper juſtos*, vigilantes pro iis in periculis, providentes illis ſingulorum in neceſſitatibus, amico intuitu contemplantes eos in omnibus; vel favore, qui apparet in oculis (metonymiâ) eos proſequentes, vel gratiâ peculiari, & efficaci ad ſui amorem, qui ſedem in oculis habet, pertrahentes, & amabiliori reſpectu abblandientes.

2. *Et aures ejus* (pronæ, atq; attentæ) *in preces eorum*, ut eas exaudiant, quatenus nimirum expedire eorum ſaluti proſpexère oculi providentiſſimi.

Contra verò (ut ex contrariorum conflictu id pateat magis) *Vultus autem Domini* ſeveriores, & indignabundi, aut aſpectus vultuoſi indignationis, & vindictæ indices, qui ex oculis item apparent, *ſuper facientes mala*, non ut cuſtodiat, ſoletúrq; ſicut juſtos, *ſed ut perdat de terra memoriam eorum* (Hebr.) ut deleat, & extinguat apud omnes homines nomen eorum ſuccidendo propaginem nepotum, & exterminando progeniem poſterorum, juxta quod Exod. 20. minatur: *Ego ſum Deus fortis, Zelotes, qui viſito iniquitates in tertiam, & quartam generationem in his qui oderunt me.*

Hujus effectus favorabilis argumento inhærens, & Patrum tum antiquorum exempla præterita ſibi objiciens oculis; tum propheticâ

ſpiritu futura ſanctorum in ſera poſteritate, novæque legis Eccleſia præſpiciens canit vv. ſeqq. *clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos* v. 18. Abrahamum [illegible] Iſaacum, Jacobum, Joſephum, cæteróſq; Patriarchas V. T. necnon Apoſtolos, Marſyres, Confeſſores, alióſq; Teſtamenti novi SS. qui [illegible] am per tormenta, ſupplicia, & funera liberati, & in meliorem ſtatum traducti fuerunt, dum morte immortalitatem glorioſam, & necis ſacræ compendio vitam beatam, ut canit Eccleſia, ſunt conſecuti.

Nam *juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde, & hu[illegible] ſpiritu ſalvabit.* v. 18. quibus Dei uſitatum juſtis ſuccurrendi modum innuit. Præſto enim eſt illis in tribulationibus Deus, tum per ſingulare ſolatium, tum per patientiæ gratiam efficacem, ut eas etiam cum gaudio tolerent: *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Pſ. 90. latus ſtipando, [illegible] veſtigio ſuccurrat, maximè, (ut hebræus habet) *ſpiritu confr[illegible] contritos*, quos homines deſerverunt, defendendos ſuſcipit, & [illegible] dos, eóſq; licet in pulverem ipsâ morte contritos, glorioſâ in æter[illegible] tem aſſumptione, ſpiritus eorum, & corporis etiam ſuo temp[illegible] ſtaſi iterum vivificando è pulvere eruit, æternúmq; beat: *Eripiam eum, & glorificabo eum,* Pſ. 90. Unde licet, vel in oculis mundi [illegible], vel revera etiam ſint. *Multæ tribulationes juſtorum*, tamen (ſic [illegible] ſumitur in antitheſibus adverſativè particula *ET*) *ex omnibus his liberabit eos Dominus.* v. 19. modo ſcil. verſiculo ſuperiori explicato, qu[illegible] am *cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum*, vel ſpiritus robur, quod per oſſa, quæ ſunt firmamentum, & baſes corporis, intelligitur, quo ne[illegible] infracti ſtant animo forti in tribulationibus juſti. *Unum ex his,* (n[illegible]) *non conteretur*, nec corporis ulla pars, vel capilli etiam per ſynecdochen, partis pro toto, v. 20, quæ iterum pulchrâ antitheſi juſtorum cum in-juſtis elucidat v. ſequenti, 21. *Mors peccatorum peſſima, & qui oder[illegible] ſtum, delinquent.* Hebræus habet, *inpium interficiet malitia, [illegible] runt juſtum deſolabuntur.* q. d. juſti quidem à peccatoribus ho[illegible] perſecutoribus ſuis patientur tormenta, imò, & mortem, quàm tamen Deus infinitis ſolatiis compenſabit: *Abſterget enim Deus [illegible] crymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, néque dol[illegible].* Apoc. 21.

At peccatores juſtorum perſecutores ſibi ipſis ſunt carnifices, dum rabie ſemetipſos, animóſq; ſuos conficiunt, & propriâ malitia occidunt,

atque

atq; ita occidunt, ut non finiatur illa mors cum vita (ut athei, & qui Deo providentiam, animæq; immortalitatem negant, ſibi perſuadent,) ſed mors eorum initium eſt mortis æternæ, perpetuorúmq; cruciatum, & ideò peſſima, ſine ſpe ſolatii, & cum deſperatione omnis remedii in æternum. De quo S. Bern. ſerm. 41. in paruis, *mors peccatorum peſſima*: „ mala in amiſione mundi, quia non poſſunt ſine dolore ab eo ſeparari, „ quem diligunt: peior in diſolutione carnis, quia evelluntur eorum ani„ mæ à ſpiritibus malignis, peſſima in tormentis æternis, quando cor„ pus, & anima perpetuis ſimul addicuntur ignibus.

Tandem finit carmen prædicendo contrariam ſortem juſti, v. 22. *Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum* à periculis, malisq; tum hujus, tum futuræ vitæ, ad quam introitum illis dabit mors eorum, quæ optima eſt, ſicut peccatorum eſt peſſima, quia qualis vita, talis & mors, *& non delinquent*, ſeu ſpe ſua fruſtrabuntur, ſed ejus certiſſimè fient compotes *omnes qui ſperant in eo.*

Affectus deſiderii caſti timoris.

O Beatam ſortem timentium Deum, ipsiq; confidentium, o miram Dei erga ipſos bonitatem, atq; providentiam, quem non delectet tam benignum Dominum filiali timore proſequi, imò toto corde diligere? *Configere timore tuo* caſto, & filiali *carnem, & cor meum*, Pſ. 118. Et ut *lætetur* illic ſempiternis gaudiis idem *cor meum*, timeat hic *nomen ſanctum tuum*. Pſ. 85.

SUSPIRIUM
vel
ORATIO.

Excita in nobis Domine ſpiritum gratitudinis, confidentiæ, ſancti & timoris tui, ut tot tantisq; per te periculis liberati benedicamus te omni tempore, & exultemus ſimul, magnificemúsq; nomen tuum, & filiali fiducia ad te accedendo illuminentur ſine confuſione facies noſtræ, & caſto timore tuo eruditi, dulciſſimos ejus experiamur effectus, guſtemusq; quàm ſuavis ſis Domine, & quàm beatus homo, qui ſperat in te.

IN PSALMUM XXXIV.

Judica Domine nocentes me, &c.

MEDITATIO XXXVI.

CLASSICUM SPIRITUALE CONTRA HOSTES,

Seu

Divini auxilii, in tribulatione imploratio.

Argumentum Pſalmi.

Etſi ſenſu hiſtorico ex 1. Reg. 24. probabile ſit Davidem hoc Pſalmo opem Dei imploraſſe contra perſecutores ſuos, Saulum, &c. cui etiam, ſuiſq; hoſtibus cæteris propheticâ imprecatione exitium denunciat, ſibi, ſuiſq; ſimili prædictione ſalutem gratulatus; & favet inſcriptio: *Ipſi David.* Videtur tamen ex mente S. Auguſtini, & S. Hieron. quos Cardin. Bellarm. ſequitur principalis ſenſus literalis propheticus, ad Chriſtum pertinere contra ſuos, & Eccleſiæ ſuæ perſecutores apud Patrem deprecantem. Ut taceam myſticum, & allegoricum: de quo dubium non eſt, favétq; Chriſti ipſius de ſe teſtimonium. Luc. ult. Poteſt etiam ſenſu morali, & eodem myſtico cuivis Juſto applicari. Tangemus Meditatione hac ſenſus duos poſteriores potiſſimum.

Punctum I.

COnſidera, quantum in divino auxilio contra hoſtes implorando præſidii collocandum nobis ſit. Quod, ut doceat Pſaltes per bellicam hypotypoſin Deum inducit exemplo Moyſis Exod. 15. *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen ejus;* Et ad eum converſus petit cauſam ſuam. *Judica Domine nocentes me* (pro mihi, phraſi græcâ, latinis etiam uſurpata) Hebr. *Judica judicantes me.* Quod meritò Chriſtus de Judicibus tum ſuis Anna, Caipha, Pilato, &c. tum ſuorum Martyrum dicere poteſt, qui ſub ſpecie juſti judicii injuſtiſſimè inſontes condemnarunt,

runt, ſuáq; id Chriſtus in paſſione in mentem revocavit, tum Pilato Joh. 18. tum Caiphæ præſertim Matth. 26. *Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cæli.* Ut ſe judicantes judicet, ſc. *Expugna impugnantes me.* v. 1. hoſtes, ſeu impugnatores meos debella, alluſione verborum ſimili. *Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi.* v. 2.

Hinc ubi bellatorem Deum ſuis armis inſtructum induxit, iisq; duplicibus: Defenſivis, quibus ſe protegat, & adverſarii ictus retundat; Et offenſivis, quibus hoſtes eosdem aggrediatur, & feriat: Priora hoc verſu expediri flagitat. Primùm ad ſe defendendum: meminit autem ſcuti præcipuè, quod in hebræo bis ponitur: nam pro eo, quod noſter habet, *apprehende arma* in hebræo, eſt, *apprehende clypeum, & ſcutum*; per quod duplex Dei ſcutum ad nos defendendum intelligi poteſt. Alterum, de quo David Pſ. 5. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos.* Scuto nempe in nos Benevolentía, Clementia, Bonitas, Miſericordia, quæq; his ſimilia in Deo attributa ſunt. Alterum, de quo Pſal. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus*, & Sap. 5. *Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem.* Ejus ſcil. Juſtitia, Æquitas, Veracitas, & his ſimilia, quibus nos tanquam æterno clypeo Deus circumdat, & obarmat; ut & Juſtitiæ noſtræ æquiſſimo judicio ſuo patrocinetur contra hoſtes, & infirmitatem noſtram ſuâ potentiâ, bonitatéq; ſuſtentet.

Effunde frameam, & conclude adverſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. v. 3. Hiſce arma offenſiva expediri flagitat, vel evaginando promptè, & velut effrondendo è vagina, vibrandoq; in hoſtes gladium; vel ejaculando ex arcu, aut effundendo denſè in modum imbris depromptas è pharetra ſagittas, & jacula. Vel (ut Hebr.) *intorquendo lanceam*; atq; ita adorientibus, & perſequentibus me, hoſtibus te armatum objice, eumq; aditum ad me, viámq; intercludе, tum à fronte præoccupando me gratia tua, tum à tergo inſequentes hoſtes vindictâ, tum retardando pugnas, tum carpendo, ne exerce ultionem tuam: quibus armis ſive irâ Dei, ſive Juſtitia vindicativa deſignatur: quo ſenſu Sap. 5. dicitur: *Acuet duram iram in lanceam.* & Deut. 32. *Si acuero, ut fulgur gladium meum reddam ultionem hoſtibus meis.*

Affectus admirationis, & fiduciæ.

O Sanè mirabilem Dei erga animam, quàm illi oſtendit [illegible] tiam, & protectionem, cui ſe exhibet tanquam bella[illegible] omni armatura inſtructum, cúmque diſſipatis hoſtibus ad [illegible] tiam excitans intimo in corde alloquitur his: *Salus [illegible]* *noli timere, ego ſum.* Marc. 7. propugnator tuus, *[illegible]* *tribulatione* &c. Pſ. 90. ô *dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum*, [illegible] Deus meus, & non timebo ullas hoſtium validiſſimorum, [illegible] ſiſſimorúmq; in me, incurſiones: *Si enim Deus pro nobis quis [illegible]* ad Rom. 8.

Punctum II.

COnſidera divini auxilii in ſuperioribus deſcripti effectus, [illegible] vv. recenſet, primus hoſtium confuſio, trepidatio, [illegible] patio, exitium interitus. *Confundantur, & revereantur quære[illegible]* necem) *animam*, ſeu vitam, *meam*, v. 4. præ pudore, [illegible] confuſione, quod conatu ſuo contra me ſuſcepto fruſtrati ſi[illegible] audeant oculos attollere: *Avertantur retrorſum, & c[illegible]* *cogitantes mihi mala.* v. 5. Terga vertant, & ſummâ cu[illegible] retrocedant, qui perniciem meam meditabantur. *Fi[illegible]* *pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctan[illegible]* *tanquam gluma ante ventum*, vel paleæ inſtar tenuiſſimæ in[illegible] tes diſpergantur à vento validiſſimo, ita ut vix veſtigium [illegible] quum fiat. Nec inſuper quivis ventus eos diſpergat, ſed Ang[illegible] ni, qui ſpiritus vivens, eſt omni vento corporali longè potentior, [illegible] ſit impellens, extrudens, coarctans, & (ut græcè) elidens eos, [illegible] hoſtibus Chriſti Judæis in omnem terram diſperſis, abjectis ſine [illegible] dotio, ſine templo, deſpectis ab omnibus hominibus, non ſine [illegible] confuſione ſua impletum eſt.

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus D[illegible] *ſequens eos.* v. 7. q. d. nec ſolùm diſſipentur, & fugere cog[illegible] fiat illis fuga eorum in præcipitium, certámq; pernici[illegible]m [illegible] tim per vias ignotas in d[illegible] tenebris, neſcii quo evadant, [illegible] & palabundi vagantur; partim per lubrica, & conglaciata [illegible] lante veſtigio ferantur, ut neq; oculi cernere, neq; pedes [illegible]

[illegible] ſingi officio queant. Inſtet interim à tergo, impellátq; trepidantes Angelus, & ſine requie perſequatur, præcipitetq; Ceſpitantes usq; dum in exitium corruant. Quæ omnia iterum tum Judæis, tum hoſtibus Eccleſiæ, & perſecutoribus, tum Hæreticis evenerunt, & eveniunt; dum æquiſſimo Dei judicio, & in tenebris ignorantiæ, & in lubrico concupiſcentiarum ſuarum, perſequente eos juſtâ Dei vindictâ, verſantur, ut in peccata majora quotidiè ſemper, tandémq; in æternum exitium ſe, animasq; ſuas præcipitent. Quod ſuo etiam modo de peccatoribus, juſtorum perſecutoribus intelligi poteſt, præſertim in ultimo judicio, quando incredibili confuſione pudefacti, avertentur retrorſum, & in præcipitium inferni, divinâ poteſtate impulſi, ſine ullo remedio æternum miſeri corruent.

Quoniam gratis (Chald. *ſupervacuè* ſine cauſa) *abſconderunt mihi* [illegible] *laquei ſui*, vel laqueum interitus, & mortis, vel corruptionis, ut S. Auguſtinus. *Supervacuè* (nullo meo merito, nulláq; laceſſiti injuria) *exprobraverunt animam meam*, probris, & calumniis me proſciderunt (Hebr. foderunt animæ meæ ſcil. foveam deceptionis, & interitus.)

Veniat illi laqueus, quem ignorat (ſeu contra intentionem ſuam in- [illegible] ſubitò opprimat) *& captio* (velocè occultæ inſidiæ) *quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in idipſum* (in eundem ipſum laqneum incidat. Hebr.) v. 9.

Hæc [illegible] dictæ divinæ in impios mira diſpoſitio, & pœnarum quaſi [illegible] exaggeratio eſt, quod nempe ſibimetipſis eas conflaverint, vel [illegible] ſubeant, quas juſtis pararunt, vel ut novi Amani ſuum patibulum, Phalarides novi ſuum bovem æneum, ut quia ſine cauſa, & [illegible] clandeſtinam per occultos cuniculos mortem juſtis machinati fuerunt, & doloſos laqueos ſtruxerunt, juſtâ Dei providentiâ illis ipſis [illegible], ſuisq; ſtructoribus, & inſidiatoribus ſtructæ inſidiæ exitio ſint. Hactenus de primo auxilii divini effectu.

Secundus priori contrarius, qui eſt Juſtorum exultatio in Domino, & [illegible] laus Dei, & gratiarum actio ſeqq. tribus verſiculis refertur. *Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo*, v. 10. propter ſalutem adeptam. (juxta Hebr.) vel in Deo Salvatore ſuo, ut S. Aug. *omnia oſſa mea* (vel partes corporis ſynecdoch.) *dicent Domine, quis ſimilis tibi?* v. 11.

Eripiens inopem (pro qui eripis, vel qui es eripiens) *de manu fortio-rum ejus, egenum, & pauperem à diripientibus eum.* v. 12. quibus inexpli-cabile juſtorum gaudium deſcribitur metaphoricis, & poëticis phraſibus ob conſecutum petitionum effectum. Unde animam lætitia quaſi tripudiare facit, exultareq́; , & incredibili voluptate intimis ſenſibus per-fundi ob præſtitam à Deo liberatore ſalutem, quin etiam corporum ſo-cietatem gaudii venire, adeóq; omnes ejus partes, etiam quæ inſenſata, & viliſſimæ ſunt, ſenſúq; carent, ut ſunt oſſa, quibus tamen ſenſum lin-guam, orationem, & rationem vel attribuit, vel optat ad Dei Majesta-tem cognoſcendam, & præferendam rebus omnibus, ut cui nihil ſimile ſit, neq; in Cœlo, neq; in terra quid fortius, ſapientius, amabilius exco-gitari poſſit: idq; cum laude palam decantandum, comparatione inſti-tuta ſuæ imbecilitatis, & egeſtatis cum fortiſſimis, potentiſſimis, feroci-ſimisq; hoſtibus, à quibus tam mirabiliter quàm clementer, potenterque vindicatus ſalvatúsq; ſit.

Affectus iidem ex S. Auguſt. ſolil.

cap. 18.

„ QUis ſimilis tui in fortitudine, Domine, quis ſimilis tui in benigni-
„ te, & clementia? Deficit anima mea in miſericordia tua magna,
„ quæ eſt ſuper me, quoniam eripuiſti animam meam ex inferno infe-
„ riori, & me ad vitam reduxiſti. Totus enim eram in morte, totum
„ me reſuſcitaſti, tuum igitur ſit totum id, quod vivo, & totus totum me
„ tibi offero, totus ſpiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vi-
„ vat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberaſti ut totum me
poſſideres. Diligam te igitur Domine virtus mea, diligam te, ineffabi-lis exultatio mea, & vivam non jam mihi, ſed tibi. Tota vita mea, quæ perierat in miſeria mea, reſuſcitata eſt in miſericordia tua.

Punctum III.

COnſidera paradigma, & exemplar abſolutum patientiæ Chriſtianæ in afflictionibus ſervandæ, vel viri juſti, vel Chriſti ipſius potuerunt perfectè quadrant, quæ S. David hic memorat. Unde probabilius, & clarius etiam evadit, eum prophetico ſpiritu hunc pſalmum de Chriſto ſcripſiſſe. Ejusq; inprimis ſumma innocentia pro fundamento ſta-tuitur, contra quam nihil proferre potuerint iniqui, & falſi teſtes, quan-

tumvis

tum verò tam audaciſſimi (quod per inſurrectionem quaſi ſpondaneam denotatur) tum perverſiſſimi iniquitate ſua eſſent, tum deniq; arrogantiſſimi, eo quod interrogando ipſum, judicis officium ſibi arrogarent: *ſurgebant teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* v. 13. quod ad oculum demonſtrant Evangeliſtæ accidiſſe Chriſto coram Caipha. Matth. 26. *Principes autem ſacerdotum, & omne Concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent, & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent* &c. & Marc. cap. 14. *Multi enim teſtimonium falſum dicebant contra eum, & convenientia teſtimonia non erant.* Similiter coram Pilato. Luc. 23. *Cœperunt illum accuſare dicentes: hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari* &c. quorum neutrum verò erat conſonum, nec innocentem, nec in ſermonem Chriſto venerat, ſed contrarium fecerat potius, unde dicitur, *quæ ignorabam, interrogabant me*, ſubditur: v. 12.

Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ. Quæ ſecunda patientiæ perfectio, & laus eſt, non perferre tantùm falſa, & iniqua, ab ignotis, quibus nihil mali feceris, ſed ab iis etiam, in quos plurima beneficia congeſſeris, pro quibus non ſolùm alia bona, gratiáſque non rependunt, ſed mala etiam, eáq; non levia. Sed id quaſi malorum maximum eſt, ut ſcil. cum vita, memoria, nomen, exiſtimatio, & fructus operum, & meritorum omnis, æternâ oblivione deleatur, ſepeliatur [illegible], nec agere quid frugi liceat, nec ſi quid actum ſit fructum inde ullum percipere. Quæ Judæorum iterum contra Chriſtum intentio, conatúſq; erat, ut una cum vita, Meſſiæ, & mundi ſervatoris munus, quod ipſum videbant, & qualem illum agnoſcere volebant, ſed aſpernabantur, nec miraculorum, ſanctorúmq; operum famam, fidem, noménq; Chriſtianum, & prædicati Evangelii, regniq; ſui apud tot hominum animos fructum ſteriliſcere facerent, & ſimul ſemélq; ſpiritus eradicarent. *Quid facimus* (inquiebant in collecto Concilio Joh. 11.) *quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum* &c. *Expedit, ut unus moriatur homo* &c. *& non tota gens pereat.*

In his porrò perferendis, quo animo comparatum eſſe oporteat, ſequ. docet. *Ego autem cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio.* v. 15. *Humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo convertetur.* v. 16. ac ſi dicat: Ego verò cum ita mihi arroganter inſultarent,

& clam, palámq; omnibus moleſtiis appeterent, non minas ſpirabam, non vindictam coquebam animo, non verbis viciſſim arroganter, & contemptim, inſultabam, non mala pro malis reddebam, ſed animum humiliatum in luctus ſignum externi, aſſumpto ſacco (ita enim in Hebræo Sak. pro Cilicio ponitur) conteſtabar, quâ ratione tum Joram 4. Reg. 6. tum Ninivitarum Regem. Jonæ 3. ad ſignificandam humilitatem, & pœnitentiam ſaccis ſe induiſſe legimus. Quod ſi cum aliis ſaccum illum cilicinum ex pilis animalium contextum, non exterius ſupra veſtes indutum, ſed interius carni admotum fuiſſe, intelligere voluemus; major pœnitentia eluceſcet, quam ſive ad ſatisfaciendum pro afflictionibus ob ſua fortè peccata permiſſis, ſive pro inimicis aſſumpſit. Cui jejunium ex eadem intentione junxit:

Humiliabam (propriè affligebam) *in jejunio animam meam* (anima pro toto homine ſumpta per Hebr. vel ſynecdochen) Quibus ſociavit, & Orationem; quæ his comitibus coram Deo efficaciſſima eſt: nam *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit*. Eccl. 35. Eámq; frequentem crebram, & identidem repetitam, quod ſignificatur per hæc, & oratio *mea in ſinu meo convertetur*, teſte Genebrardo. Vel ſi pro inimicis eam fecit, ut ſupra dictum, &, ſi cum Mariana legamus, convertatur, is erit ſenſus, eod. authore: ea precabor pro inimicis meis, quæ mihi ipſi cuperem, vel certè ſi iis non profuerit oratio mea, revertetur in ſinum meum, ut hebræus codex, & græcus habet, id eſt, ad meum commodum: ut ſi non proſit inimicis, proderit mihi apud Deum, nec vacua, ſed ſolatio cœleſti comitata ſinum meum replebit, uti de pacem apprecantibus Chriſtus Luc. 10. ait: *Pax veſtra revertetur ad vos*, ſi [illegible] pacis non fuerit in domo illa. Quanquam hæc tantùm ad luctum externum rectè referuntur à nonnullis hoc ſenſu: capite in ſinum dejecto more lugentium orabam. Hoc ergo viri Juſti, Patientis, & Chriſtiani [illegible] primis paradigma eſt, quomodo ad ſe comparatus eſſe debeat. Etſi enim Chriſto quoad literam non videantur hæc convenire ſi illum in perſona propriâ, utpote, quem Cilicio indutum jejunâſſe, & oraſſe, dum perſecutiones pateretur, non legimus in Evangelio: conveniunt tamen illi quoad membra, & fideles ſervos, in quibus pati dicitur, qui illa egerunt, autore Card. Bellarm. ut paſſim hiſtoriæ teſtantur. Quanquam & Chriſtum ipſum ſaccum mortalitatis noſtræ indutum, qui in paſſione ita crudeliter conciſus eſt, & in cruce ſummâ ſiti afflictum, atq; acer-

biſſimis

biſſimis aliis cruciatibus ſponte ſuſceptis, quæ jejunii nomine velut generalioris,& uſitatioris ſpeciei mortificationis continentur oráſſe Patrem, pro crucifixoribus, & perſecutoribus aliis, teſtatur Evangeliſta Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt*, illis petens veniam, à quibus adhuc accipiebat injuriam, non enim attendebat, quod ab ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebatur, inquit S. Aug. tr. 3. in Joh. Quo verò animo idem patientiſſimus Chriſtus, ſive in ſe, ſive in membris ſuis comparatus fuerit erga perſecutores ſuos ſeqq. vv. traditur. *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar.* v. 17. vel ut ex Hebr. addit S. Hieron. *quaſi ad amicum, & quaſi ad fratrem meum ſic ambulabam, quaſi lugens mater triſtis ſic incurvabar*, quo affectu erga inimicos, vel nihil magis pium, vel charitati magis conſonum, vel dulce magis & amabile exprimi potest. Veluti ſi amicus intimus amico ſuo, frater germanus fratri ſuo, imò mater unico filiolo ſuo languenti compatiatur, & animitùs condoleat. Cujus affectus luculentum exemplum idem Servator noſter Chriſtus exhibuit, cum ante paſſionem ingreſſu ſuo ſolenni in civitatem Hieroſolymitanam, quem agebat tanquam verus Meſſias, *vidénsq; civitatem*, in qua crucifigendus erat, *flevit ſuper illam.* Luc. 19. gallinæ ſe comparans, quâ nulla volucrium majora ſolicitudinis, & affectus materni erga pullos indicia præbet. Nulla enim alia avis, ut obſervat S. Auguſt. tract. 15. in Joh. quod ſit mater, ita agnoſcitur. Videmus enim alias quotidie nidificare, quas, niſi quando in nidis videmus, parentes eſſe non agnoſcimus: gallina verò ſic infirmatur in pullis ſuis, ut etiamſi ipſi pulli non ſequantur, filios non videas, matrem tamen intelligas, ita S. Aug. Tali ſe gallinæ comparabat Chriſtus: *Quoties volui congregare filios tuos*, ait ad Jeruſalem, *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Matth. 23. Et quemadmodum matris amor erga filiolum laborantem phreneſi, & propriam parentem tum verbis, tum pugnis impetentem, charius apparet; Ita Chriſti, & Juſtorum affectus erga inimicos multò mirabilior, & gradus patientiæ illuſtrior evadit, ſi non ſolùm erga eos, qui grati ſunt, beneficiáq; agnoſcunt, oſtenditur, ſed erga ingratos etiam, & qui inde indurantur, & contra nos magis exurgunt, & inſoleſcunt, tum interno odio, tum ſignis ejuſdem externis, ſive verbis, ſive facto exterius declaratis, quod ſeq. v. 18. & 19. explicatur.

Et adverſum me lætati ſunt, (calamitate meâ ſcil. cum è contra ego de eorum intimè rebus adverſis doluerim) *& convenerunt* ſeu conventiculis in meum exitium habitis, conſpirarunt contra me. *Congregata ſunt ſuper me flagella*, pro flagellantes me, ſivè linquâ ſivè machinando in perniciem meam mala plurima, *& ignoravi*, quàm ſcil. ob cauſam me flagellarent, cum nullius mihi adverſus eos mali eſſem conſcius, vel ita patienter eos ſuſtinui amicèq; cum illis egi, quaſi ignorarem eorum malevolas in me machinationes.

Diſſipati ſunt nec compuncti, & tametſi, vel Dei providentiâ diſturbarentur eorum Conſilia, & conatus contra me, vel malitiâ eorum, quod per diſcordiam inter illos, & ſchiſma in contrarias diſtraherentur factiones, & ſententias, vel ſolent *inter ſuperbos*, & malevolos *ſemper eſſe jurgia* Prov. 13. *nec* tamen idcirco ſunt *compuncti*, nec redierunt ad cor, videntes ſuas ſibi calumnias contra me non ſuccedere; *ſed tentaverunt me*, variis modis periclitando, & tentando patientiam meam, *ſubſannaverunt me ſubſannatione* ſcurrarum, & ſanniorum more, diſtorto occipitio, & ore, & anteriorum dentium oſtentatione: *frenduerunt ſuper me dentibus ſuis*, qui truculentorum, & vindictam ſpirantium minantiúmq; geſtus eſt, eáq; ratione tum flagellis verberum, tum verborum, irriſionibus, ſannis, comminationibus, contumeliis, injuriiſq; aliis perſeciderunt, quæ Chriſto à populo ſuo, in quem tot, beneficia contulerat, accidiſſe in propria perſona per flagellationem (ad quam ſine cauſa, & merito eum condemnavit Pilatus, quem innocentem ante pronunciaverat Luc. 21. & Joh. 18.) per ſpineam item coronationem, & multas alias ludificationes evidentius eſt, quàm ut demonſtrari mereatur, ut de fidelibus membris ejus, & ſervis nihil dicam.

Affectus amoris erga inimicos,

ex Idiot. cap. 30.

„ MAgnum eſt (dulciſſime Domine Jeſu Chriſte, qui nihil odis)
„ ſi ego erga hominem, qui nihil mali mihi fecit, ſum benevolus,
„ & pacificus, ſed Domine, illud multò majus eſt, & magnificentiſſimæ
„ benignitatis tuæ ſimilius, ſi meum diligam inimicum, & ei, qui malum
„ mihi intulit, & inferre vult, ſi poſſit, bonum ſemper velim, & faciam
„ ſi poſſim: à tua gratia, & benignitate hoc procedit. Nihil ſibi in natura
„ ſimilius eſt, quàm homo, qui malevolis, & inimicis lædentibus

„ placabilis eſt, qui enim diligit inimicum, imitatur te, qui dilexiſti nos,
„ cum adhuc inimici eſſemus. Et non ſolùm dilexiſti, ſed & hunc pro
„ nobis mori morte turpiſſimâ voluiſti, & pro crucifixoribus rogaſti.

Punctum IV.

EXpende ipſam ſubſtantiam orationis, quàm S. David vel ſuo, vel Chriſti, vel SS. nomine ad Deum effundit. Poſtquam enim Deum juſtitiæ ſuæ quaſi admonuiſſet, ut impiorum malitiam vindice oculo adſpiceret, *Domine*, inquiens, *quando reſpicies*, ſeu quando te videre mala perverſorum demonſtrabis, quia videtur. Deus quaſi non reſpicere quid in terris fiat, quando non punit, quouſq; ergo diſſimulabis, hæc quæ vel perverſi faciunt, vel juſti patiuntur.

Reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus unicam meam. v. 20. ſcil. vel vitam certiſſimo periculo expoſitam, & jam propede perditam, à Saule vindica, & reſtitue in priſtinam ſecuritatem; Vel Chriſti per glorioſam reſurrectionem, vel vitam ſpiritualem juſtorum à malignitate hoſtium graviſſimè oppugnatam, qui leonum inſtar rabidâ fame concitatorum contra eum, rugiunt, & dentibus ſuis frendent ut verſu ſuperiori hanc unicam meam vitam, inquam, & animam meam, unicè dilectam mihi, vel ſolam ſine alio auxilio relictam, ideóq; unicam conſerva, vel quæ unicum meum bonum eſt, & præ qua omnia totius mundi nihili facienda ſunt, *quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.* Matth. 26. Hæc ſubſtantia orationis eſt, & eſſe apud omnes debet, ut prima ſit illis cura de anima, vitáque præſertim ſpirituali conſervanda ſerpentum more, quorum nos imitari prudentiam Chriſtus jubet. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Matth. 10. qui caput, vitæ ſedem in illis præcipuâ curâ cuſtodiunt, pro hac mox paciſcitur (ut rei momentum poſcebat) immortales Deo laudes, & gratiarum actiones.

Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo gravi laudabo te v. 21. ſeu laudabo te in magno conventu hominum, & in populo numeroſo, qui per hebrais: Dicitur gravis, ſeu robuſtus, ratione ſcil. multitudinis. Quod Chriſtus æterno patri rectius promittere intelligi poteſt de Eccleſia ſua, quà militante, quà triumphante. Eſt enim non ſolùm iſta

 in Cœ-

in Cœlis SS. Angelorum, & beatorum omnium triumphans, populus ille gravis, & robuſtus, de quo S. Joh. Apoc. 7. *vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus*, numeroſus, inquam, ſine numero, & robuſtus, tum idcirco, tum *quia palmæ in manibus eorum* ibid. Verum illa etiam in terris Eccleſia militans magna omnino utpote per omnem terrarum orbem diffuſa; & robuſta, *quia portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Marc. 16. in qua aſſiduè laudatur Deus ob hoc liberationis beneficium. Quocirca precari pergit: *non ſupergaudeant mihi* (de mei everſi exitio,) *qui adverſantur mihi inique, qui oderunt me gratis* (ſine cauſa,) *& annuunt oculis.* v. 22. ſive fingendo amicitiam, & blandiendo oculis, atq; ſalutando, ut S. Auguſt. inquit, *quid eſt annuere oculis? pronuntiare vultu, quod in corde non gerunt*, ſive nutibus oculorum deridendo, ſive diſignando me oculis ad [illegible] cem. *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur* (blanditiis annuentium oculorum, verborum blandimenta, & fucos addendo) & (pro[illegible], verùm;) *in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.* v. 23. Ex [illegible] S. Aug. Theodor. & Euthym. ſic legunt: *Et ſuper iracundiam dolos cogitabant.* Noſter interpres adjunxit (*terræ,*) ex hebræo, qui habet ſuper *ſciſſuras terræ*, quod iracuudia ſit quaſi ſciſſura cordis terreni & animalis, qua diſrumpuntur interius, & pacem animi amittunt. Ira enim eſt fervor circa cor animalis, vel terreni hominis, itaq; in iracundia terræ, id eſt, *animo irâ concitato, & æſtuante* dolos cogitabant: vel ut alii *in terræ ſciſſuris*, id eſt tumultibus populorum, factionibúsq; ſeditioſorum hominum in terra degentium (continens pro contento) quando opportunitas major eſt, interitum mihi doloſè machinabantur.

Alii ſic legunt: *quoniam pacificè non loquuntur, & contra m[illegible] tos terræ cogitant dolos*, ſed communior noſtra verſio Eccleſiæ [illegible] ſubdit,

Et dilataverunt ſuper me os ſuum: ſive ſolverunt linguas ſuas in contumelias, opprobria, irriſiones &c. *dixerunt Euge Euge*, quæ exultantis, & inſultantis in malis alterius, interjectioues ſunt. q. d. bene, bene ſe res habet, id optabamus, quod nunc *viderunt oculi noſtri.* v. 23. exitium ſcil. ipſius.

Hæc porro in Chriſto accidiſſe clariſſimè ex Evangeliſtis apparet, ſupra quem dilataverunt os ſuum Judæi, tum ſæpe aliàs, tum in cruci-

 fixione

fixione præſertim, quando ei inſultaverunt cum exultatione, *Vah! qui deſtruis templum, & in triduo reædificas illud, ſalvum fac temetipſum deſcendens de cruce &c. Alios ſalvos fecit, ſemetipſum non poteſt ſalvum facere. Chriſtus Rex Iſraël deſcendat, nunc de cruce, ut videamus, & credamus.* Marc. 15.

His expoſitis continuat porrò, & proſequitur precem ſuam ſeqq. *Vidiſti Domine* (hanc malitiam hoſtium) *quare ne ſileas, ne diſcedas à me* v. 25. ne, inquam, diſſimules ultra, neu ceſſes opem mihi ferre. *Exurge Domine intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam.* v. 26. quaſi experectus à ſomno accingere ad dijudicandam cauſam meam, vindicandumq; me, quia tibi id incumbit, ut quia Dominus, & Deus meus es. Quot repetit. v. ſeq. 50. *Judica me Deus ſecundum juſtitiam* (quæ rectiſſima eſt) *Domine Deus meus ne ſuper gaudeant mihi.* v. 27. ſeu malis meis. *Non dicant in cordibus ſuis, euge, euge animæ noſtræ, nec dicant jam devoravimus eum.* q. d. Euge jam bene eſt animæ noſtræ, nunc triumphamus gaudio, quando hunc perditum à nobis videmus, quin potius amiſſâ ſpe victoriæ *erubeſcant, & revereantur ſimul, qui gratulantur malis meis.* v. 29. nec ſolum leviter verecundentur, ſed etiam *induantur confuſione, & reverentiâ, qui magna loquuntur ſuper me.* v. 30. toti inquam cooperiantur confuſione, & ignominiâ, qui magno cum faſtu inſultant mihi, ſuámq; potentiam cum minis machinationum ſuarum contra me jactitant.

E contra verò (precari pergit) *exultent, & lætentur, qui volunt juſtitiam meam,* ſeu qui favent cauſæ meæ juſtæ, voluntq; converſatam innocentiam meam, ut juſtitiam meam palam apparere: *Et dicant ſemper magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſervi ejus,* id eſt, magnificent, & laudent Deum tam fidelem, & benignum erga me ſervum ſuum, qui pacem, & proſperitatem ejus, deſiderant.

Perorat tandem annexo voto ſupra. v. 21. appromiſſo immortalis, & continuæ pro tanto beneficio laudis, & gratiarum actionis. *Lingua,* inquiens, *mea* carmen jugis laudis tuæ meditabitur, vel loquetur, utrumque enim vox hebræa ſignificat) ob juſtitiam, quam ita luculenter demonſtraſti, vel decantabit juſtitiam tuam laudis carmine tota die, ita frequenter, ut nulla tanti beneficii ſubrepat oblivio, & per Eccleſiam magnam jugiter, cum in Cœlis, tum in terris in perſona Chriſti, vel ſi non continuè canendo, certè benè ſemper agendo: rectè enim D. Aug.

Conc. 2. in hunc Pſal. *Suggero remedium, unde totâ die laudes Deum. ſi vis, quicquid egeris, benè age, & laudaſti Deum.* Vel deniq; modo, qui continetur ſequenti affectu.

Affectus laudis divinæ ob beneficium liberationis, ex cap. 10. & 11. Solil. S. Auguſtini.

„ EGo autem creatura tua, ſub umbra alarum tuarum ſperabo in bo-
„ nitate tua (contra tot hoſtes, qui quærunt perdere unicam ani-
„ mam meam) adjuva creaturam tuam, quam creavit benignitas tua,
„ non pereat in malitia (hoſtium meorum) quod operata eſt bonitas
„ tua. Ideò te decet hymnus, Deus, & laus continuò in æternum.
„ Nam laus tua perpetua eſſe debet, non tranſitoria. Hic te laudat, qui
„ te ipſum laudem tuam credit (tu enim idem ipſe es, & anni tui non
„ deficient. Tu Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in
„ generationem, & generationem Pſ. 101.) laus ergò perpetua, quæ
„ nunquam tranſit, tu es, in te eſt laus noſtra. In te laudabitur anima
„ mea. Non nos te laudamus, ſed tu te, & per te, & in te, & nobis etiam
„ eſt laus in te, ideoq; continua & æterna.

SUSPIRIUM, *vel* ORATIO.

SCuto bonitatis, & potentia tua contra tot hoſtes tuere unicam animam vitámq; noſtram, Omnipotens, & miſericors DEUS, ut velut agni in medio luporum per patientiam, & manſuetudinem vincamus, te Duce & Magiſtro, cum auxilio gratiæ tuæ, eorum contra nos ferociam, & victoriâ reportatâ juſtitiam miſericordiámq; tuam in Eccleſia magna totâ die vitæ, & æternitatis meditemur, & collaudemus. Amen.

IN PSALMUM XXXV.

Dixit Injuſtus, &c.

MEDITATIO XXXVII.

Bilanx trutinandæ hinc malitiæ hominum;

Inde DEI in eis juſtificandis, & beatificandis Miſericordiæ.

Argumentum Pſalmi.

Admiratur hominum ſceleratorum mores, quos graphicè deſcribit, ſed multò admirabiliorem ait eſſe Dei erga eosdem clementiam, & benignitatem his oppoſitam, quam deprædicat.

Punctum I.

CONtemplare, admirare, & deteſtare malitiam perverſorum mortalium cum Propheta, quæ tanta eſt, ut ex deſtinata plenéq; deliberata voluntate proficiſcatur, poſthabito, & quaſi contempto Deo, ejuſque timore, quod his exprimitur. *Dixit* (ſeu ſtatuit, & decrevit) *injuſtus, ut delinquat* (& in omne ſcelus proruat) *in ſemetipſo* (Hebr.) *in medio cordis ſui*, cum plena ſcilicet advertentia, & deliberatione. *Non eſt timor Dei ante oculos ejus*; atq; id cum tanta tam perfrictæ frontis impudentia, ut ad Dei tam potentis, tam juſti, támq; ſeveri vindicis ſcelerum, coram omnia videntis præſentiam, nec erubeſcat, nec pertimeſcat; verum procul amandato omni timore, non ſine incredibili tantæ Majeſtatis irreverentia, injuriæ, contemptu, quaſi Deus non eſſet, aut infirmus, impotens, ac, ut ita dicam, ſtramineus eſſet, omne flagitiorum genus perpetret liberrimè.

Et confirmat propoſitionem ſuam generalem tribus particularibus propoſitionibus per omne peccati genus, quod vel opere, vel ſermone, vel cogitatione committitur.

I. Quoad

I. Quod peccata operum ait, *quoniam doloſe egit in conſpectu ejus*, ſc. Dei: genus omne injuſtitiarum, fraudum, & violentiæ ante oculos Dei exercendo, adeò præfractè, ut Deum ipſum judicem, & vindicem tam ſeverum non eſſe pertimeſcendum ſibi perſuaſerit: quis enim niſi perditiſſimus nebulo, ac fur, inſpectante judice, à quo ſupplicio mox afficiendus ſit, furari auſit, aut flagitium aliud gravi pœnâ interdictum admittere? Hoc quia non eſt veritus, juſtiſſimè fit, *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium*. v. 2. ſeu ut ita à Deo, hominibúsq; odioſa ſit, ut nec veniam mereatur, nec tolerari poſſit, ne quidem à patientiſſimo Deo.

A peccatis operum ad verborum progreditur, eâdem contumaciâ patratorum. *Verba oris ejus iniquitas, & dolus, noluit intelligere, ut benè ageret*. v. 3. q. d. ſermo ejus ex meris fraudibus, dolis, mendaciis, injuriis, contumeliis, & cæteris flagitiis compoſitus, & compactus eſt, nec excuſari iterum poteſt propter ignorantiam, aut inconſiderationem; quia, ſi quæ in illo talis eſt merè affectata, & planè craſſa eſt, & ideò aſſumpta, nec à conſcientia ad bene agendum ſtimuletur, *noluit itaq; intelligere, ut benè ageret*.

Quod ſpectat deniq; ad peccata cordis: *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo*, vel lectulo, non contentus interdiu machinari prava conſilia, ſed noctu etiam, dum alii quieſcere ſolent, atq; adeò diu, noctúq;, ut malè ageret, cùm animo ſuo meditatus eſt, ac deliberavit. *Adſtitit omni viæ non bonæ*, ſeu complicem ſe, ſociumq; adjunxit omni perverſo Conciliabulo, & iniquis cogitationibus, quibus mox aſſenſum præbuit. quo ſenſu Pſ. 1. v. 1. dicitur: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit*. Contra *malitiam autem non odivit*, ſed amavit potiùs, dum cogitationes, & inſtinctus bonos malitiam commonſtrantes, dictantésq; odio, & abominatione proſequendam eſſe, eliſit, & oppreſſit.

Affectus deteſtationis.

O Admirabilis humani cordis nequitia! quæ non ex ſubreptione ignorantiæ, inconſiderationis, oblivioniſve, ſed ex plena mentis advertentia, atq; malitia deliberata Deum auſit offendere! nec reveretur, & expaveſcit præſententem judicem ſuum, *qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam?* Matth. 10. ſed per contemptum quaſi, injuriâ illum proſcindere non perhorreſcit? Vah temeritas deteſtabilis! digna

digna in quem mox *ignis deſcendat de Cælo*, vel erumpat ex inferno, & *conſumat eam*, juxta Apoſtolicum Zelum. Luc. 9. ſed non iſtius Spiritus eſt Deus. Nam

Punctum II.

EXpende erga hos nihilominus bonitatem Dei, de qua meritò S. Vates exclamat: *Domine in Cælo miſericordia tua*, altiſſima, quæ ipſos Cœlos tranſcendat, ut Pſ. 107. dicit, *magna eſt miſericordia tua ſuper Cælos*, ſeu maxima, & immenſa, quæ omnia complectatur, & involuat, ſicut Cœlum, modus exaggerandi Hebræorum. *Et veritas tua* (ſeu fidelitas, quâ promiſſa miſericorditer præſtas, ſummâ cum certitudine verborum tuorum,) *uſq; ad nubes* conſpicua toto orbe cernitur, vel eſt itidem altiſſima, ad nubes ſeu Cœlos ipſos porrecta. Miſericordiæ, & veritati addit juſtitiam, quæ in bonitate etiam comprehenditur: *Juſtitia tua ſicut montes Dei*, *altiſſima* etiam, ſeu inſtar altiſſimorum montium (phraſi hebræâ, nomen *Deus* ponitur loco ſuperlativi) q. d. etſi Juſtitia tua, quoq; celſiſſima ſit, *ſuper exaltat tamen miſericordia judicium*, *& juſtitiam*. Jac. 2. iſta enim montes, illa verò Cœlos ipſos ſupergreditur, *& judicia tua*, (quæ ſunt actus juſtitiæ,) *abyſſus multa*. v. 6. id eſt, profundiſſima, & inſcrutabilia hominibus nobis, qui nec acie oculorum, nec mentis ea attingere poſſunt motiva, ex quibus peccatores contra omne meritum ſuum ſæpe juſtificas, & ſalvas. *Nam homines, & jumenta ſalvabis, Domine*, *quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*. v. 7. q. d. non ſolùm homines ratione utentes, quique homines, ut decet, ſecundum rationem vivunt, ſed eos etiam, qui velut jumenta ſolo ſenſu, & appetitu ducuntur, & contra rationis, divinæq; legis præſcriptum vivunt, quales ſupra deſcripſit, ex multiplici, & infinita miſericordia tua ſalvas Domine, qui ſenſus commodus eſt, ad inſtitutum noſtrum, vel, ſi literalior forte placet: tam hominum, quàm jumentorum, omnium curam geris, conſervando, ſuſtentando, nutriendo &c. Divina providentia tua, quâ univerſa gubernas, idq; pro ratione multiplicis miſericordiæ tuæ. Quanquam hæc; *quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*, rectiùs cum ſigno admirationis (!) leguntur ex hebræo, q. d. *O quàm pretioſa miſericordia tua Deus!* cui græcus conſonat, *O quomodo multiplicaſti miſericordiam tuam Deus!*

Præcipuam verò, planéq; ſingularem providentiam, & miſericordiam oſtendis erga juſtos, quos filios hominum appellat : *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.* v. 8. q. d. quod ſi erga impios, & carnales, quos jumenta vocavit ſupra, quia ſe brutis, & jumentis aſſimilarunt vitâ, & moribus ſuis, tanta eſt miſericordia tua, tum in hac vita, tum in altera liberandis, & ſalvandis, quid non ſperabunt, juſti, & ſpirituales, qui veri filii hominum, & præcipuè tibi verè chari dilectiq; filii habentur.

Ingens omnino bonum tum hujus, tum futuræ vitæ hujus quidem, quod hoc verſu deſcribitur, ut præcipuâ quadâm providentiâ, & ſingulari benevolentiâ foveantur ſub divino pectore charitatis ſuæ, ſicut pulli gallinæ amantiſſimè collecti, quàm ſimilitudinem quia aptiſſima eſt, crebro ſuis in pſalmis uſurpat David, & Pſal. 62. *In velamento alarum tuarum ſperabo : adhæſit anima mea poſt te* Pſal. 90. *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi , & ſub pennis ejus ſperabis*, ad ſingnificandam tum ſingularem Dei erga juſtos ſollicitudinem, providentiámque amantiſſimam, tum juſtorum erga Deum ſecuriſſimam ſuaviſſimámque fiduciam, & quietem in ejuſdem de ſe cura. Etenim nihil dulcius eſt, ut omnibus vitæ hujus deliciis meritò anteponendum ſit, quàm ſub tegmine alarum Dei ita ſoveri, & ſperare. Et hæc quidem juſtorum hujus vitæ felicitas.

Alterius verò, quæ præcipua eſt, deſcribitur. ſeqq. vv. *Inebriebantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos* v. 9. Ingreſſi nimirum *in gaudium Domini ſui* Matth. 25. ad ſignificandam perfectiſſimam omnis voluptatis plenitudinem, quæ non recipiatur tantùm, ſed inquam ipſi velut in oceanum intrantes circumfluant omni bono, & non ſatientur tantùm, ſed inebrientur etiam, uberrimis Cœleſtis domus Dei deliciis, è quibus non guttatim aut parvis Cyathis bibent, ſed integris potabuntur torrentibus, qui fluvii, & redundantium aquarum copia pleniſſimi ſunt, & rapidiſſimo curſu devoluuntur magno cum impetu, ad ſignificandam tum ubertatem omnigenorum bonorum, quibus tam intellectus, quàm voluntas potentiæq; omnes ſatiatæ redundabunt, tum modum etiam ſatietatis cum feliciſſima neceſſitate adhærendi ſummo bono, ejuſque intimo complexu, infinitâ cum ſuavitate fruendi, neque enim liberum erit in illa beatitudine amare, vel non amare Deum, ejuſque infinitâ

 volup-

voluptate frui, vel non frui, ſed *fluminis*, & torrentis illius *cæleſtis impetus ita lætificat civitatem Dei.* Pſ. 45. *ſedem, inquam, & metropolim Beatorum* Civium, ut dulciſſima coacti neceſſitate, ſuorum gaudiorum rapidiſſimum curſum nec ſiſtere poſſint, nec interrumpere, multo minus penitus abrumpere.

Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. v. 10. quibus verbis vera cauſa redditur perennis, & rapidiſſimi fluxus torrentis Cœleſtium lætitiarum, quia nimirum ille non oritur vel ex ciſterna aliqua ſterili deſinentium aquarum, ſubitòve imbre mox ceſſaturo collectarum, ſed ex vivo fonte perenniter fluente, ſempérque duraturo aquarum viventium, Deo ipſo videlicet, *qui fons vitæ dicitur*, quia eſt fons eſſendi, cum ipſe à nullo alio, ſed ab ipſo omnia alia ſuum eſſe, ſuúmq; vivere habeant, & intelligere, (vivere enim intelligentibus eſt intelligere,) quæ utrúmq; ſunt, vivunt, intelligunt. Hæc verò omnia ipſe habeat ex ſe, eſſentia, vitâ intelligentiâ omni ratione impendens.

Tandémque metaphoras, & accommodatas intellectui noſtro adumbrationes, clariſſimâ ratione fundamentali exponit, *& in lumine tuo videbimus lumen.* Quia nimirum *te lumen* increatum, & eſſentiale, quod es ipſe Deus, ſeu eſſentiam tuam lumine gloriæ adjuti beatifica viſione contemplabimur, ut hunc locum accipiunt Theologi, quod omnis vitæ, & beatitudinis quaſi fons quidam, & ſcaturigo eſt, è quo bona omnia dimanant. Vel inte ipſo, qui fons luminis es, videbimus lumen tuum inacceſſibile. q. d. non ut in hac vita, ſive per creaturas ſive per ratiocinationem, & diſcurſum, ſive in figuris vel ænigmate, & in fide, *ſed facie ad faciem* ut loquitur Apoſtolus, 1. Cor. 13. ſeu *videbimus eum ſicuti eſt*, ut 1. Joh. 3. dicitur.

Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his qui recto ſunt corde. v. 11. prætendis, vel extendis (imperativo pro præſenti vel futuro phraſi propheticâ ſcripturæ) hanc miſericordiam tuam, quæ ſimul juſtitia, vel corona juſtitiæ dicitur ab Apoſtolo, *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* 2. Tim. 4. quia merces eſt operum, ut Concil. Arauſic. 2. Can. 16. loquitur, *debetur merces operibus bonis, ſi fiant, ſed miſericordia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Hanc magnam miſericordiam tuam præbes *ſcientibus te*, ſeu qui cognoſcunt te noti-

tiâ familiaritatis, & amicitiæ, audiendo vocem, & faciendo voluntatem tuam, & implendo præcepta, & conſilia tua: *& his qui recto ſunt corde*, qui ſincero tecum animo, & intentione neutiquam fucatâ agunt, vel qui conformem, correctámq; habent voluntatem ad rectiſſimæ voluntatis tuæ regulam directam.

Affectus deſiderii erga Deum.

O Quanta multitudo miſericordiæ, & miſerationum tuarum Domine, non erga juſtos ſolùm, & amicos tuos, ſed etiam inimicos, & peccatores! *quibus homines & jumenta ſalvare* diceris! ſed quanto hæc majora, tam in hac, quàm in altera vita ſcientibus te, exhibes, & qui recto te corde quærunt, & ſincerè diligunt! *Cognoſcam te ergò Domine cognitor meus.* (ex Solil. D. Auguſt. c. 5.) *Cognoſcam te, virtus animæ meæ, oſtende te mihi, conſolator meus, ſperem ſub tegmine alarum tuarum, videam* in lumine tuo *te lumen oculorum meorum.* Vivam in te, *qui es fons vitæ. Diligam te vita animæ meæ. Appare mihi delectatio mea magna, ſolatium meum dulce: Domine Deus meus, vita mea, & gloria tota animæ meæ. Poſſideam te, beatitudo ſempiterna, poſſideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo ſumma animæ meæ.*

Punctum III.

COnſidera pericula excidendi è tam felici juſtorum ſtatu, hujus alteriúsq; vitæ, de quo ſolicitus Propheta ad impetrandum à Deo donum perſeverantiæ precatur à ſe ea amoveri; & geminum præſertim quaſi capitale, & generale periculum: *Non veniat*, inquit, *mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* v. 12. id eſt, ut explicat S. Auguſt. non contingat mihi, ut incipiam habere pedem, affectum ſuperbiæ. Hoc enim vitium eſt, quod viris præſertim juſtis inſidias periculoſiſſimas ſtruit, ut per propriam complacentiam ſe efferant, quæ ſubrepere illis ſolet, ut gloriam ſuam quærant, magni in oculis ſuis ſibi videantur, aſpernentur alios, &c. ob quæ à Deo, hoſte ſuperborum infenſiſſimo deſeruntur, ejúſq; gratiâ excidunt. *Deus* enim *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Pet. 5. *Ideò qui ſe exaltat, humiliatur, qui verò ſe humiliat, exaltatur.* Luc. 14.

Alte-

Alterum eſt ſeductio ad quodcunq; peccatum ab extrinſeco ſeductore. *Et manus peccatoris non moveat me*, id eſt, & operatio peccatoris non inducat me ad conſenſum peccati, & ſic vel ex meo vitio, vel ex tentatione aliorum dejiciar de ſtatu juſtorum. Et confirmat ratione, atq; experientiâ, ſolicitum timorem ſuum. Quia, inquit, v. 13. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare:* à ſuperbia enim initium omnis peccati deducitur. Et ſolet Deus ſuperbos humiliare per conſequens peccatum luxuriæ præſertim coram mundo, ut PP. obſervant, & experientia oſtendit. Verum eſſe, quod Tobias 4. cap. cum filium monuiſſet: *ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo, dominari permittas*; ſubjungit: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Nam & primus Angelus cum ſociis, & primus Adam cum uxore ſua per hoc peccatum in paradiſo, & Cœlo ceciderunt, nec ibi *potuerunt ſtare*, ſed *inde expulſi ſunt*. v. 13. quos prophetico oculo reſpexiſſe videtur.

Poteſt etiam per pedem ſuperbi, & manum peccatoris intelligi omnis tentatio diabolica, à qua præſervari ſe orat Propheta, ne fortè ſupplantetur. Diabolus enim Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, uti etiam ejusdem Miniſtri, ac Satellites, & potenti manu ſuâ ad omne peccatum quaſi impellit, qui peccator per excellentiam dicitur, quia primus peccatum commiſit, Protoplaſtos ad ſecundum peccatum impulit, à quo omne peccatum.

Affectus Timoris.

„ ECce Domine Deus, antiquus ille Draco, qui ortus eſt in paradiſo „ voluptatis, qui caudâ ſuæ ſuperbiæ trahit tertiam partem ſtellarum „ Cœli, qui veneno tentationum ſuarum corrupit aquas terræ, ut „ bibentes homines moriantur, & qui ſternit ſibi aurum quaſi lutum, & „ habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ſuum, & quis defendet à „ morſibus ejus? quis eruet ab ore ejus? niſi tu Domine, qui confregiſti „ capita Draconis magni? adjuva nos, prætende, Domine, ſuper nos „ alas tuas, ut fugiamus ſub eis à facie Draconis hujus, qui nos proſequitur, „ & ſcuto tuo libera nos, à cornibus ejus. S. Auguſt. Solil. c. 16.

SUSPIRIUM

vel

ORATIO.

DEUS, cujus ſuper juſtos, & injuſtos miſericordia eſt excelſior Cælo, & veritas usq; ad nubes; prætende miſerationes tuas ſcientibus te, & credentibus fidelibus tuis, ut ſub tegmine alarum tuarum ſperantes, & ſecuri à tentatione in hac vita mortali conquieſcant, & in beatitudine cæleſti inebrientur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potentia, qui es fons vitæ in ſæcula ſæculorum. Amen.

IN PSALMUM XXXVI.

Noli æmulari in malignantibus, &c.

MEDITATIO XXXVIII.

APHORISMI ALEXIPHARMACI Contra ſcandalum parvulorum, ex proſperitate improborum.

Argumentum Pſalmi.

Alphabeticus geminatus eſt hic Pſalmus ſub una Alphabeti litera verſiculos geminos complectitur, qui ſingulos quaſi aphoriſmos continent contra ſcandalum, quod patiuntur ſæpe juſti, vel circa Dei providentiam, vel conſtantiam ſuam in bono ex proſperitate impiorum, quam monet citò tranſituram, & tunc Juſtis præmia ſua manere, Injuſtis verò ſupplicia.

Punctum I.

CONſidera, in quo Zelus inordinatus conſiſtat, à quo dehortatur Pſalmiſta ſacer Juſtos puſillanimes, ne ſcandalizentur. Eum deſcribit à duplicibus actibus, malis, & coutrariis bonis; malis quidem fugiendis, bonis verò exercendis.

De

De primis ſic loquitur. v. 1. *Noli æmulari in malignantibus* (pro) *malignantes* (hebrais.& græcis.) q. d. *Noli provocari ad imitandos malignos*, vel ne rivalis, & æmulus eſſe ſtudeas malignantium, dum proſperè eos cernis agere, ſeu noli invidere illis, quod Hebræus ſic exprimit, noli irritari, noli iraſci, & indignari, & ut S. Hieronymus reddit: ne contendas cum illis, contentione ſcil. æmulationis. *Neque zelaveris facientes iniquitatem.* v. 1. eo ſcil. ſenſu, & modo, quo de ſe fatetur Pſalmiſta Pſalm. 72. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper inimicos, pacem peccatorum videns.* Ut in ſcandalum, vel lapidem offenſionis impiugas, titubes, & propè corruas, vel in murmurationem contra juſtitiam, & providentiam Dei, vel in peccatum invidiæ, & iracundiæ, vel ut ſimilia cogites patrare, dum iniquorum præ juſtis in hac vita prosperitatem contemplaris, breviſſimam quidem illam, & pene horariam, ut deſcribitur ſequenti verſu per duplicem ſimilitudinem.

Quoniam tanquam fœnum felociter areſcent, & quemadmodum olera herbaram citò decident, quæ quia profundas radices non agunt, mox flaveſcent, & exareſcent, vel ſucciſa, vel ſponte etiam computreſcent.

Juſtus contra *ut palma florebit, & ſicut Cedrus Libani* altè radicata *multiplicabitur*, perſeverabitq; ſine marcore, & putrefactione juſti, namq; in perpetuum vivent &c.

Vitatis ergò his mali Zeli actibus, bonos potius exercere quæ ſequuntur: *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus* v. 3. q. d. ſi in Deo, utpote felicitatis, bonorúmque autore omnium fiduciam tuam collocaris, non inanem, & vacuam, ſed adjunctâ cooperatione tuâ comitatam, cum virtute, & pietate vivendo, certus eſto, te quacúnq; in terra, & inter quoſcúnq; vixeris, victurum ſic enim imperativus (habita) exponitur per futurum (habitabis) in omni ſufficientia, & tranquillitate, imò in abundantia frumenti, vini, & olei, ditibúsq; terræ proventibu;, & opulentiis fruiturum. Hebr. loco illius *paſceris in divitiis*, legit *paſce fidem*, iis intende quibus alitur auceſcitq; pietas,, & fiducia erga Deum.

Hunc eundem actum contra inordinatam rerum terrarum ſolicitudinem docuit nos Cœleſtis Magiſter noſter Chriſtus. Matth. 6. dum

aman-

amandatâ immoderatâ ſuſtentationis curâ, confidendum Deo, *quærendúmq; primùm* præcepit *Regnum Dei, & juſtitiam ejus*, foréq; promiſit, ut *hæc omnia adiiciantur nobis*.

Siquitur alter actus contrarius. v. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, ut nempe procul relegatâ omni, vel invidiâ, & triſtitiâ, vel æmulatione, & Zelo, vel indignatione, ac murmuratione, propter impiorum fortunam, ſucceſsúsq; proſperiores ad lætitiam componamus animum, quam ex Dei erga nos paterna curâ precibus noſtris imploratâ percipiamus, ſpe certâ confiſi, fore ut deſideria precéſq; noſtras bonus Pater Cœleſtis exaudiat. Textus hebr habet, *deliciare in Domino* ſcil. oblectando te ipſum in bonitate ejus, & collocando omnes tuas in Deo delicias, non in rebus creatis, quod idem quaſi eſt, ac dilige Dominum tenero quodam, dulciq; erga ipſum amoris affectu, atq; ex eo amoroſis illum precibus interpella, quomodo duæ Lazari ſorores, Chriſto perdilectæ, de fratris ſui morte illi nunciarunt. *Ecce quem amas, infirmatur*. Joh. 11. Idem v. ſeq. 4. repetit:

Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Id eſt, commenda Deo negocia tua, tuas neceſſitates illi manifeſta. Hebr. *Devolve ſuper Dominum viam tuam*, id eſt, ſtatum vitæ tuæ, & quæ tibi incumbunt, téq; gravant moles curarum, & ſolicitudinum tuarum in Deum projice, & ab ipſius cura pendeto, ſpe certus futurum illum, quod è re tua futurum eſt, quibus conſonat documentum Apoſtoli ad Phil. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete*, &c. *nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.*

Hos porrò actus commendat ab effectu eorum, perquam inſigni, quem in genere verbis his ſupra attigit obiter: *Et ipſe faciet:* in ſpecie verò, eáq; præcipuâ, quoad calumnias à malignantibus illatas explicat ſeq. v. 5. uberiùs:

Et educet quaſi lumen juſtitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem. Ipſe, inquam, faciet, ut innocentia tua, quæ malignantium ſugillationibus, & calumniis velut in nebuloſa nube ad tempus latuit incognita, mox ſicut Sol oriens pulſis nebularum, ac noctis tenebris toti orbi illuceſcat, & teſtata, perſpicuáq; reddatur; & juſtitia cauſæ tuæ, ſicut lux Solis meridiana clareſcat, & ab omnibus judicetur ex recto ra-

tionis

tionis judicio ponderata. Tantummodo *ſubditus eſto Deo*, divinæ ejus diſpoſitioni te permittendo, *& ora eum*, ut rerum tuarum curam habeat Hebr. *tace Domino, & expecta eum*, id eſt, in rebus adverſis quietus eſto, & æquo animo expecta Deum juxta illud Iſaiæ 30. *In ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra*, & Jerem. thren. 3. *preſtolare cum ſilentio ſalutare Dei*, ſeu ſalutem. Ex quibus quæ initio dixerat, repetit, & per modum concluſionis infert, ergo.

Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua, in homine faciente injuſtitias v. 6. ſive propter impium fortunatum, ne ſcandalizeris invidendo ei, id quod iterum, iterúmq; inculcat. v. 7.

Deſine ab ira, & derelinque furorem, ne excandeſcas, ne indigneris, ne invideas, ne divinam providentiam incuſes, noli æmulari, ut maligneris etiam tu, ſive noli Zelo ſuccendi ad imitandum illum, & exemplum, factáq; ipſius, ut etiam tu malè agas.

Affectus conformationis cum Dei voluntate.

Ecquid eſt anima mea, quod te proſperitas impiorum contriſtat aut conturbat? ſpera, & delectare in Domino ejúsq; ſanctiſſimo beneplacito. O quam rectè ſenſit ille (Thom. de Kemp. l. 3. cap. 21.) qui „ pauciora accepit, inquiens contriſtari non debet, nec indignanter „ ferre, nec ditiori, (quamvis improbo) invidere, ſed te potius atten- „ dere, tuámq; voluntatem, & bonitatem maximè laudare, imò pro „ magno etiam reputare beneficio, non multa habere, unde exterius, „ & ſecundum humana judicia laus, & gloria appareat, ut non modo „ nullam gravitatem, aut triſtitiam, vel dejectionem inde concipiat, „ ſed potius conſolationem, & hilaritatem magnam, quia tu Deus pau- „ peres, & humiles elegiſti in familiares, eorúmque ſingulari providen- „ tiâ curam geris.

Punctum II.

POſt conſideratas Zeli inordinati contrarios actus. Expende cum S. David remedia, & cauſas cur æmulari proſperitatem improborum non oporteat.

Et 1. *Quoniam qui malignantur exterminabuntur, ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram.* v. 9. quia nimirum brevis admodum, & tranſitoria eorum proſperitas eſt, hujus tantum vitæ ſcil.

in qua etſi florere videantur aliquantiſper, flos tamen ille caducus, & perbrevis eſt, & quod verſu 2. dixerat, fœni inſtar mox ſuccidendi, & exareſcentis, herbarúmque non radicatarum altiùs. Unde *exterminabuntur* illi quidem, ſuccidentúrque de terra, & ſicut fœnum in clibanum, ita mox ipſi in gehennam ad perpetuas miſerias detrudentur. Cum è contra Deo adhærentes per ſanctum timorem, ſpem, & charitatem, hæreditario quaſi jure poſſeſſuri ſint terram, non hanc ſolùm, in qua magua cum tranquillitate, felicitatéq; etiam inter adverſa degunt, dum vita mortalis eis erit ſuperſtes, ſed alteram etiam æternum viventium, cujus poſt mortem poſſeſſionem adibunt ſemper duraturam, quod. v. 10. &. 11. repetit.

Et ad huc *puſillum*, ſuper eſt temporis, paulo poſt, quod *non erit peccator*, quia vel de felici ſtatu dejectus, vel omnino per mortem ſublatus erit. *Quæres locum ejus*, vel quem illuſtrem habebat inter primores, vel ubi degebat, *& non invenies* in priſtino illum ſtatu ſuo.

Manſueti autem, vel cum humilitate prudentia, & ſpe ſuſtinentes Deum *hæreditabunt terram*, illam promiſſionis. Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Et delectabuntur in multitudine pacis.* v. 11. tam quoad alios quibuscum pacificè vivent, quàm quoad ſeipſos oblectando ſe ſuaviſſimè tranquillitate conſcientiæ propriæ, quæ ſanè pax multa, magnáque eſt in hac vita, inſuper etiam in altera Cœleſtis *Hieruſalem, quæ viſio pacis* dicitur, quæ profectò multa magnáque etiam eſt, quia erit cùm multitudine magna incolentium terram illam, durabítque æternitate totâ, quâ ſine interruptione ulla, & irrequie optatiſſima pace illa ſe oblectabunt. Et hic primus contra impiorum æmulationem aphoriſmus eſt, causáque eos non Zelandi.

Sequitur 2. *Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.* v. 12. *Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit, quod veniet dies ejus.* v. 13. q. d. quia nimirum conatus malignantium, quantumvis potentes ſint, & quos idcircò juſti non immerito reformidare poſſint, irriti, & inanes, Deo ſic providente, redduntur, imò ſuammet ipſorum in perniciem, & interitum à Deo diriguntur, ut nec propterea timoris, triſtitiæ, & indignationis cauſam juſti babeant. Etſi enim impii ad inſidias juſtis ſtruendas omnes earum actiones,

nes, vitámque attentè obſervent, & rimentur, ut illos, ſi minus ſupplantent, ſaltem calumnientur, & traducant, atque iſtam malevolentiam, invidiámque ſuam externis ſignis frendendo contra eos, ſeu concuſſis, ſtrictiſque dentibus ex rabie de iis loquendo ſatis profiteantur. Tantus eorum ſcil. furor eſt, qui inter illos contineri non poſſit, ſed foras erumpat neceſſe eſt, Dominus tamen quaſi eludendo ejuſmodi machinationes per riſum inanes, & irritas reddet præſciens diem interitus ipſius ac ſupplicii ſivè cum morte, ſive alio cum infortunio ex inopinato eum ante oppreſſurum, quàm conatus ejus ſuum ſortiantur effectum.

Idem quod de ocultis machinationibus dixerat ſeqq. 3. verſi. 14. 15. 16. de aperta vi repetit, & declarat.

Gladium evaginaverunt peccatores ad oppugnandos aperto Marte, trucidandósque juſtos, *intenderunt arcum ſuum*, parati in omnem occaſionem, ut transfigant eos inermes, derelictos, inopes, ſolâ innocentia armatos. *Ut deiiciant pauperem.* Hebr. *humilem, afflictum mitem, & inopem*, atque humano præſidio omni deſtitutum, *ut trucident rectos corde*, ob ſinceritatem cordis, & integritatem, ſuâ tantùm innocentia fretos, nihil tale cogitantes, aut metuentes. Et ecce dum ita diſtrictis ſtant armati gladiis, extenſis accubus, intentis animis, & oculis in occaſionem, & tempus occidendi juſti, *gladius eorum intret*, pro *intrabit*, phraſi, & imprecatione prophetica, *in corda eornm, & arcus eorum confringatur*, mirabili providentiâ accidit, ut ſe ipſos conficiant omnéſque perdendi artes in proprium illorum caput perniciémque convertantur, & fraudum jacula diſſiliant, & in nihilum recidant.

Tertius aphoriſmus contra æmulationem malignantium hic eſt. *Melius eſt modicum juſto ſemper divitias peccatorum multas.* v. 17. q. d. Modica opum ſubſtantia, quàm cum juſtitia partum poſſidet, plus proficit juſto, quàm ingentes pecuniarum acervi per nefas, & injuſtitiam ab iniquis corraſi. Cujus ratio ſubditur: *Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem juſtos Dominus* v. 18. quia potentia iniquorum quantamcúnque etiam ſibi comparaverint, divitiis, & opibus, velut innixa brachio carneo, & fragili, facili negotio, adverſo aliquo infortnnio, quod invindictam injuſtitiæ immittet, vel permittet Deus, momento quaſi contereretur, & concidet, conatus autem

juſtorum proſperantur, quia ſecundat eos benedictione ſuâ Deus, & confirmat, vel ſuſtentat (ut Hebr.) *adjutorio ſuo cœleſti.* Quapropter magis expetenda eſt juſtitia cum parvis opibus quàm multæ copiæ, cum injuſtitia, quod confirmat. v. 19. 20. & 21.

Novit Dominus dies immaculatorum, ſcientia ſcil. approbationis, favendo eorum conatibus, approbando vitam factáq; eorum. Vel novit etiam tempus quo conſtituit, illis opitulari, & ideo, *hæreditas eorum in æternum erit*, quia conſervabit illis eam Deus, tum tempore diuturno in hac vita, tum in altera æternùm, *non confundentur*, aut ſpe ſua fruſtrati, aut ſpe divina deſtituti *in tempore malo*, vel calamitoſo ſterilitatis, belli, peſtilentiæ, ut cum rubore mendicare cogantur, *& in diebus famis ſaturabuntur:* Nempe eſurientibus, & mendicantibus in Juſtis, habebunt ſua ex ſubſtantia, quantumvis modica, unde adſaturitatem cum ſuis ſuſtentare ſe poſſint.

Quod maximè verum eſt de tempore malo, ſumméq; calamitoſo ſupremi judicii, in quo non erubeſcent confundentur, itémque de diebus famis perpetuæ, qua cruciabuntur impii in inferno, juſti verò ſaturabuntur, cum apparuerit gloria Domini.

E contra *verò* (pro *quia*,) *peccatores peribunt*; modo nimirum planè contrario felicitati, & hæreditati juſtorum; quæ illis conſervabitur æternùm, & in tempore malo, ac famis à Deo, tanquam ſingularibus amicis ſuis.

Inimici verò Domini, *mox ut honorificati fuerint*, *& exaltati*, pauxillo tempore, in hoc mundo, *deficientes quemadmodum fumus deficient*, ſeu nullo poſt ſe veſtigio relicto, evaneſcent, ut fumus, qui quo magis aſcendit, eò magis conſumitur, deficit, & evaneſcit. Hebræa lectio varia eſt, alia habet: *Inimici Domini velut adeps agnorum*, *abſumentur, cum fumo deficient*, cujus ſenſus à communi noſtra non longe abit.

Alia ex S. Hieron. *mox ut honorificati fuerint ſicut Monocerotes*, & loco exaltati, quod animal à ſua raritate ſuperbum, & ferocia crudele eſt, ſicut fumus deficient deficientes, qui hebraiſmus eſt, congeminatione iſta exceſſum, & vehementiam connotans.

Subjungitur confirmatio altera. v. 22. & 23. ab effectu per aliam antitheſin. *Mutuabitur peccator, & non ſolvet, Juſtus autem miſeretur, & tribuet.* q. d. Unde ille effectus etiam perfrequenter conſequitur,

tur, ut peccatoribus ante ditiſſimis non ſolùm non ſufficiant accumulatæ opes, vel ob luxum nimium, vel defectu cœleſtis benedictionis, ſed ad incitas redacti, ob dilapidata bona ſuperbè: & luxuriosè, mutuum etiam cogantur accipere, cui ſolvendo poſtmodum vel non ſint ob inopiam; vel ut maximè ſint, reſtituere Creditori per nefas, & injuriam non velint. Juſtus verò de modico quod poſſidet, miſericordiam pauperibus præſtat, aliis verò qui opus habent vel commodato, vel alio modo benignè tribuit, vel elargitur etiam liberaliter. Neq; id mirum, *quia benedicentes ei, hæreditabunt terram, maledicentes autem ei diſperibunt.* Quæ vel ſenſu activo explicari poſſunt juxta S. Auguſt. Sic, quia benedicentes ei, ſcil. Deo, præmiantur ab eo poſſeſſionibus ampliſſimis facultatum. Unde tribuere poſſint à ſe petentibus. Contra verò maledicentes, & blaſphemi, harum ſubtractione meritò à Deo puniuntur, ut licèt velint, tribuere non poſſint. Vel ſenſu paſſivo juxta S. Hieron. Sic: quia benedicti à Deo hæreditabunt terram, maledicti verò ab eodem diſperibunt. Vel potiùs utroque, nam ſenſus unus aterum infert: qui enim Deum in omnibus rebus benedicunt, ab eodem etiam benedicuntur; & ideò hæreditabunt terram, qui verò Deo maledicunt, maledictionem ipſius incurrunt, & ideò diſperibunt.

Quartus aphoriſmus contra æmulationem, & cauſa fugiendi ſcandali ſumitur à providentia Dei, eáq; ſingulari erga juſtos. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* v. 24. In arcano ſcil. providentiæ divinæ concilio, quod eſt *apud Dominum*, ſeu ut D. Auguſt. cum græcis legit *à Domino*, actiones hominis, qui ſunt greſſus ejus, vel vitæ ratio, & inſtitutum, quæ eſt *via* illius, tum diſponuntur, & ordinantur ad ejus ſalutem, tum præſidio, favoréq; ſingularis curæ firmantur, ac promoventur, ita ut tam *Deo placeat* hominis vita, vitæq; ejus inſtitutum, grataq; ſint actiones (ut Euthym. oſtendit) quam ut homo Dei ductum diſpoſitionémq; acceptam habeat, eam velit diligat, ſequatur, ſéq; illi conformet (ut S. Aug.) Et quamvis ab adverſa fortuna eum impellente de priſtino ſtatu deturbetur, & proſternatur, vel corruat etiam per humanam fragilitatem in peccatum aliquod (ad utroſq; enim tam corporales, quàm ſpirituales caſus referri poteſt verſ. ſeq. 25.) *Cum ceciderit, non collidetur* tamen vel opprimetur. *Quia Dominus ſupponit manum ſuam*, ſive ut labantem excipiat, ſive ut lapſum ſublevet.

Confirmat hæc, & ſupradicta præſertim. v. 19. & 20. experientiâ propriâ, eâq; diuturnâ, utpote à primis annis hauſtâ, & in ſenium usq; conſervatâ. *Junior fui etenim* (pro etiam) *ſenui, & tempore tanto non vidi juſtum derelictum*, ſive deſtitutum rebus ad ſuſtentationem vitæ neceſſariis, *nec ſemen ejus* (ſeu filios) *quærens panem*. v. 26. mendicando. Quin *tota die* (ſeu aſſiduè omni vitæ tempore) *miſeretur, & commodat* aliorum indigentiæ ſuccurrendo, ſive gratis, & ex miſericordia, ſive mutuò commodando, atq; ideò *ſemen illius in benedictione erit*. v. 27. ut cum ipſo cœleſtis benedictio non moriatur, ſed in liberos, & nepotes ejus transfundatur, qui idcircò etiam ab hominibus aliis tanquam optimorum parentum filii benedicentur.

Quapropter hortatur v. 28. *Declina à malo, & fac bonum*, ſeu juſtus eſto juxta duo hæc omnis juſtitiæ præcepta, *& inhabita*, pro inhabitabis ſecurus ſive terram hanc, ſive alteram ſemper viventium *in ſæculum ſæculi*. v. 28. rationem ſubnectit juſtitiam Dei tam in probos, quàm improbos.

Quia Dominus amat judicium reddens pro meritis ſuis, tam juſtis, quàm injuſtis.

Illos præmiando, *unde &* non ſolùm *non derelinquet Sanctos ſuos, ſed in æternum conſervabuntur*. v. 29. Tanquam res Deo chariſſima.

Iſtos autem caſtigando. Hinc *injuſti punientur* in ſe, & in ſuis poſteris, in quibus Deus quoad temporalia, & externa ulciſcitur peccata parentum. Unde *ſemen impiorum peribit*. v. 30. morte corporali, &, ſi impietatem parentum ſectentur, etiam ſpiritali.

Juſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam. v. 31. quod iterum iterúmq; repetit, & inculcat, tanquam momenti graviſſimi, & ſemper ob oculos ponendum documentum.

Quintus aphoriſmus, *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium*. v. 32. q. d. non ſolùm à Domino divináque providentia dirigi greſſus juſti, ut non impingat, ſed rectò, tutóque itinere ad finem ſuum perveniat, ſed ipſum ſapientia etiam ſua, meditata, proviſa, & circumſpecta omnia habere faciet, cautiſſiméque incedere, & præſertim id ſermone demonſtrare, nec linguâ proferre, niſi quod juſtum eſt, & tempori, rectæq; rationi, & æquitati con-

ti conſentaneum, ut *ſemper ſale ſapientiæ conditus ſit ſermo ejus.* Coloſſ. 4. atq; iſtud quidem, quia *lex Dei ejus in ore ipſius*, id eſt, quod ad impreſſam firmiter animo legem Dei, quam identidem ſecum revolvit, actus, ſermonémq; ſuum exigat, & dirigat. *Lex enim lux eſt.* Prov. 6. *& lex Domini illuminat corda, & ſapientiam præſtat parvulis.* Pſal. 18. Et hinc *non ſupplantabuntur greſſus ejus.* v. 33. ut ſuppoſito per dolum, pede ab hoſtibus in terram dejiciatur, quod ſupplantare eſt, ſeu (ut Hebr.) *non vacillabunt*, & nutabunt, aut titubabunt pedes ejus, ut exerrent à legis divinæ tramite, aut ſapientiæ regulis.

Præſertim quia *conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum.* v. 34. obſervat, inquam, oculo curioſiſſimo omnes actiones, ſermones, vitámq; juſti, ut in eis inveniat, quod taxet, calumnietur, & accuſet, ex intentione illâ malignâ, ut eum ſive in judicio, ſive extra illud iniquè perdat, & morti tradat, atq; ita ſupplantet in ruinam. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus*, ſeu poteſtate; ſed violentiæ ejus ſubducet artificioſè, ſapientiam illi, conſiliúmq; ſuggerendo, quo doloſas peccatoris machinationes cognitas eludat, & ſapienter loquendo, agendóq; ſupplantationes ejus evitet; propterea *non damnabit eum* (judex quicunq; ſic diſponente Deo) *cum judicabitur illi*, Hebraiſ. pro ab illo, ſive Deo, ſive judice quocunque, ſive ab ipſo impio.

Affectus confidentiæ in DEUM *cum reſignatione. Ex S. Auguſt. Soliloq. cap. 24.*

„ IN tua voluntate cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere
„ voluntati tuæ, Domine univerſorum principatum tenens omnis
„ Carnis, & quæcunq; vis, facis, in Cœlo, & in terra; in mari, & in omni-
„ bus abyſſis. In nobis igitur fiat voluntas tua, ſuper quibus invocatum
„ eſt nomen tuum. Exaltentur, floreantq; hic impii, & dominentur
„ bonis, eósq; opprimere conentur, hoc nobis ſolatio erit, quod te pro-
„ tectore, & auxiliatore gloriemur, *ſciamúsq; quod omnis caro fœnum, &*
„ *omnis gloria quaſi flos agri: Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia*
„ *ſpiritus Domini inſufflavit in eo, Verbum autem Domini* noſtri, e-

júsq;

„ júsq; promiſſa, nec non providentia, & cura erga Juſtos, *manet in ater-*
„ *num.* Iſ. 40.

Punctum III.

COnſidera præclaras concluſiones practicas, & documenta, quæ ex ſupradictis à S. Propheta deducuntur.

Primum. *Expecta Dominum* (cum perſeverantia in eum ſperando, & ſuſtinendo eum, ut ſupra ait, cum patientia) *& cuſtodi viam*, mandatorum ejus, non declinando à virtute, & ſanctitate, *& exaltabit te, ut hæreditate capias terram*, dum ingenti cum gloria tua velut promiſſam hæreditatem ab eo accipies, terræ hujus, & viventium illius præſertim omnem felicitatem: *Cum perierint peccatores videbis.* v. 36. Experieris enim & cernes ocnlis, quod nunc ſperas, ut diſperditis peccatoribus omni affluas felicitate juxta ſpem tuam.

Adjungit in confirmationem ſimili eleganti explicatam experientiam propriam. *Vidi impium ſuperexaltatum* divitiis, honoribus, clientelis, ſimiliq; felicitate, *& elevatum ſicut Cedros Libani.* v. 37. Uti ſicut cæteras arbores, tum altitudine ſuperant, tum firmitate, quas non facilè evertas; ſic impius licèt altiſſimo in gradu emineret præ aliis, & ita firmatus, radicatúsq; opibus, & favore putaretur, ut nullius potentia moveri poſſe videretur. *Et* poſt paulum, *transivi*, locum in quo floruerat, *& ecce non erat* quaſi evanuerat, *quaſivi eum* oculis, & verbis, ubinam priſtinus ſplendor, & magnitudo maneret? *& non inventus eſt locus ejus*, ſeu nullum veſtigium honorum, voluptatum, & opum ejus comparuit amplius, ita momentanea ejus extitit felicitas. q. d. vix exaltatum, florentémq; impium vidi parumper tranſeo, reſpicio, & ecce non comparet amplius, redeo, luſtro, requiro, ſed ne quidem veſtigium ejus reperio.

Secundum documentum. *Cuſtodi innocentiam, & vita æquitatem.* q. d. poſt collocatam in Deo ſpem, & intimam cum Deo, longanimémq; conjunctionem; Erga teipſum ut immaculatam ſerves, puritatem, & innocentiam, da operam: Erga proximum verò exerce juſtitiam, & attende ad id quod rectum eſt, ſic ut ante oculos ſemper habeas, & intuearis æquitatem, & pacem, *quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.* v. 39. etiam poſt mortem ſuam ſeros nepotes in terra, ſeménq; longævum relinquet vel multa bona reliqua illi ſunt poſt mortem, *opera* ſcil.

ſcil. illius bona, *quæ ſequuntur eum.* Apoc. 14. *Injuſti autem diſperibunt ſimul, pariter omnes* cum omnibus ſuis deſideriis, cogitationibus, machinationibus, vel ſimul emorientur omnia, tam corpus, quàm anima morte ſecundâ, quæ eſt peccatorum peſſima, nec ipſi tantùm, ſed & *reliquiæ impiorum interibunt.* v. 40. poſteri, inquam, eorum exſcindentur. Hebr. *noviſſimus impiorum exſcindetur*, ut nemo reliquus maneat. Vel modo contrario Juſtis, ut nihil bonorum operum præmio dignum æterno illos ſequatur. Hos duos verſus paulò aliter ſic legunt ex Hebr. alii. *Obſerva innocentem, & attende Juſtum*, eorum ſcil. eventus, & vitæ finem, comparando illos cum injuſtis, *quoniam ad extremum erit huic viro pax. Injuſti autem diſperibunt; ad extremum impii exterminabuntur.*

Tertium tandem eſt recapitulatio dictorum, quâ Pſalmum finit. *Salus autem juſtorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.* v. 41. *Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* v. 42. q. d. Summa, & Compendium dictorum omnium eſt quicquid tandem impii in hac terra felicitatis ſortiri videantur, nihili faciendum eſt præ hoc unico, quod juſti ſalutem ſuam à Deo certiſſimam ſint habituri, & quod Deus eorum protector, & defenſor exiſtat, etiam adverſitatum quarumcunq; tempore, vel ſtatu deplorato, in quibus illis non tantùm aſſiſtit, ſed inde etiam eruit, & à violenta quavis potentiáq; ſceleratorum oppreſſione vindicat, & liberat; ſive hujus, ſive alterius vitæ longè præſtantiori vindicta, & liberatione. Idcircò *quia ſperaverunt in eo.*

Affectus Spei.

O Speret in te ergo anima mea, Domine! Tu enim es expectatio Iſraël, & deſiderium, ad quod ſuſpirat cor noſtrum quotidiè feſtina, ne tardaveris. Aug. Solil. c. 33.

SUSPIRIUM,
vel
ORATIO.

DEUS autor pacis, & amator æquitatis, da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, longanimémq; in te fiduciam, & ſtudium æquitatis, ac puritatis; ut ab omnibus, quæ nos pulſant, æmulationis malignantium diffidentiæ, ſcandalíque tentationibus liberemur, & in tua bonitate confiſi, delectemur in te, experiamúrq; quod ſalus juſtorum à te Domine, atque protector eorum ſis in tempore tribulationis.

IN PSALMUM XXXVII.
Domine ne in furore tuo, &c.
MEDITATIO XXXIX.
Ex valetudinario peccatorum pii ad Deum gemitus pœnitentis animæ.

Argumentum Pſalmi.

Corporis, animíq; gravem infirmitatem ſive in morbo conſtitutus poſt commiſſum adulterium, ſive profugus à filio Abſalone Pſalmo hoc, qui pœnitentialis eſt. Deprecatur David (ſenſ. lit.) Chriſtus ob peccata noſtra in ſe ſuſcepta (ſenſ. alleg.) & quivis pœnitens ob peccata propria (ſenſ. mor.) Inſcribitur in rememorationem Sabbathi, id eſt, quietis amiſſæ, ſeu pacis, vel conſcientiæ, vel gratiæ, vel quietis æternæ, quibus meritò pœnitens per peccatum ſe privatum cum dolore reminiſcitur. Juxta primum & ultimum ſenſum hæc meditatio inſtituitur.

Punctum I.

EXpende tyrannicum peccati jugum ex affectibus illius, quorum præcipuos S. David gemens, & expertus perſtringit. Quos inter

Primus

Primus eſt, gravis ira Dei contra peccatores, ex eaque pœnæ alterius vitæ prope infinitæ peccatoribus debitæ, expendens cum tremore exclamat pænitens Pſal. miſta. v. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me*, ſive ne in ſeveritate juſtitiæ tuæ, vel juſta indignatione, quàm peccata mea exigunt, me, obſecro, punias in altera vita, ſed caſtigatione paterna, hic potius ure; & ſeca, dummodo ibi præ-„ ſertum æternum parcas. Ita S. Baſilius hoc loco: Non, inquit depre-„ catur, ne arguatur, ſed ne cum furore, & neque in ira tua corripias me. „ Non fugit correptionem, verum citra iram caſtigationem continge-„ re precatur, de quo pluſculum, & quid inter furorem, & iram Dei, & pœnas utriúsq; interſit, ex S. Gregorio, & S. Auguſt. inſinuatum eſt. Medit. 6, in Pſ. 6. pun. 1.

Secundus ſunt animæ, conſcientiæq; ſtimuli, quibus velut cerva transfixa ſagittis inquieta curſitat huc illuc, ut iis liberetur. *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. v. 2.* quaſi mole quâdam timoris oppreſſum tenes, & ſuffocas judiciorum tuorum metu. Quo ſenſu S. Job. cap. 31. ait: *ſemper quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Et dicuntur hi ſtimuli per appreſſionem, & aggravationem ſuper illum manus Dei confirmari, & profundiús adigi, non ſolùm acerbitate, & gravitate ſua, & quod altè imprimantur, ut dixi, ſed diuturnitate etiam, & duratione: ſive per ſagittas illas intelligat S. Vates dolores corporis (ſens. lit.) & morbum, quo poſt admiſſum adulterium, & homicidium à Deo caſtigatum, graviſſimè decubuiſſe interpretes aliqui tradunt, etſi ab aliis non nullis inter fabulas Rabbinorum ille numeretur: Sive potiùs alias pœnas ſibi à Deo immiſſas, ut mortem filioli ex Bethſabea ſuſcepti, ſtuprum filiæ à proprio fratre Ammone, ejuſdémque Ammonis filii cædem, & Abſalonis invaſionem Regni, uxorúmque ſuarum ab eodem patratum inceſtum, ſimiliáque ſupplicia. Maximè autem acutiſſimos comminationum ſtimulos in correptione Nathan vice-Dei animo ejus velut ſagittas infixos 2. Reg. 17. *Hæc dicit Dominus, unxi te in Regem &c. ego erui te à manu Saul &c. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo! Uriam Ethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi. Quamobrem non recedet gladius de domo tua uſq; in ſempiternum.* Quæ exprobationes, & comminationes, vehemen-

hementiſſimo tum dolore, tum timore, cum pudore animum Davidis ſinedubio compunxerunt.

Tertius effectus ſunt dolores corporis, vel afflictiones carnis, ſive ex morbo, de quo ante, ſive ex dolore interno procreati, qui redundantes in ipſam carnem eam pallere, languere, extenuari, contabeſceréque faciunt, & noctes inſomnes ducere, triſtari anguſtiariq; externum hominem, *non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ*, propter iram, ſicut *à facie peccatorum* meorum, ſeu propter peccata (hebraiſmo) *non eſt pax oſſibus meis* v. 3. nulla corporis mei parte, vel ipſis in oſſibus quies, & doloris intermiſſio reperitur.

Quartus effectus eſt, quod peccatum, quod pœnitentiâ non eluitur ſuo quaſi pondere ad plura ſemper, gravioráque pertrahat, hoc queritur. v. 4. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum*, ſicut aqua demerſorum capita tranſcendit: Tantum in cumulum ſcil. pervenerunt, vel capitis mei pilis numeroſiores factæ ſunt. Multiplicatas ergo numero excreviſſe in immenſum agnoſcit. Ex quibus etſi gravitas earum ſatis quoque deducatur, quod iisdem planê obruatur, velut ſi aquis deprimatur, quæ demerſum non ſinunt caput efferre: Specialiter tamen de gravitate addit, *& ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*, dum quaſi pondus importabile ſupra vires, juxta hebr. *humeros animæ meæ* depreſſerunt. Expertus id malo ſuo ingenti eſt, S. Pœnitens, dum ex otio quo domi tempore belli deſidebat, in curioſum è ſolario lavantis Bethſabeæ aſpectum, ex aſpectu in concupiſcentiam, & concupiſcentia in conſenſum, & porro in adulterii ſcelus prolapſus eſt. Adulterium ſecutæ ſunt machinationes doloſæ adulterinam ſobolem ſupponendi per injuſtitiam immerendi Uriæ, quas, cum irritæ cecidiſſent, excepit innocentis homicidium, homicidium ſucceſſit ſcandalum apud hoſtes, & ſubditos tranſlatum per libidinem nefáſque in thorum conjugalem Bethſabeam, & quæ alia peccata toto tempore ante acciderunt, quàm à Nathan Propheta delicti commoneretur.

Ecce catenatum ſeriem ſe mutuò trahentium, & conſequentium peccatorum, quorum pondere degravatus David vix emerſiſſet, niſi ſingulari Dei gratiâ ex commonitione per Nathan artificioſâ inductus fuiſſet, quorum flagitiorum fœditatem, gravitatémque cum liquidiùs paſſione deferveſcente cognoviſſet, quâ mole conſcientiam illam

tene-

teneram obrutam oppreſsámq; fuiſſe credimus? atq; hunc peccati ſui effectum merito deplorat hoc verſu.

Bellarm. præclarè, ut ſolet, multiplicatam unius peccati deformitatem, & offenſionem à Davide conſideratam, numeroſo peccatorum acervo adæquat. Illo enim adulterii homicidiiq; peccato, inquit, offendit imprimis Uriam ſervum fidelem, cui uxorem, & vitam eripuit, offendit Bethſabeam, quàm ad peccandum induxit, & ſpiritualiter interfecit: offendit uxores proprias, quibus fidem non ſervavit: Offendit populum univerſum, imò etiam infideles ipſos exemplo: Unde Nathan ei dixit 2. Reg. 12. *blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini*, offendit deniq; Deum, cujus leges aperte prævaricatus eſt, quæ offenſiones, & perſonæ, ſi numerentur, tot delicta invenientur, propter quæ meritò dicere poterat: *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.*

Eodem diſcurſu utitur in expendendâ gravitate ejuſdem delicti, tum ex circumſtantiis Uriæ occiſi 1. Innocentis. 2. fideliſſimi. 3. militis tunc ſui. 4. per violatam ejus uxorem, & tam atrociter jam læſi. 5. per ſimulationem, & dolum in inſtrumentum, & miniſtrum necis propriæ aſſumpti. 6. In ſuſpicionem apud Joab ſceleris neſcio cujus nefarii, & oculti traducti &c. tum præſertim ingratitudinis erga Deum, à quo in Regem, in Prophetam, in Imperatorem &c. evectus fuerat, tot corporis animique dotibus, pulchritudine, virium robore, prudentia, ſcientia, & fortitudine bellica ornatus, tot tantiſque fortunæ bonis divitiis, honoribus elevatus, è tot hoſtium periculis, Saulis præſertim liberatus, quæ cum in ſtateram appenderet diligentiſſimæ conſiderationis meritó dicebat *iniquitates meæ ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.*

Sequitur effectus quintus. *Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* v. 5. quod nimirum propter neglectam conſcientiam, dilatámq; pœnitentiam, toto illo tempore, quod inter commiſſum adulterium, & admonitionem Nathan interceſſit, novem Menſium minimum, cicatrix quædam ſocordiæ, & oblivionis, aut cruſta potius ex corruptione purulenta vulneri ſuperinducta peccatum illud contexerit, ut agnoſci gravitas ejus, periculúmq; non poſſet: Unde factum, ut vetuſtate putrefacta plaga in tabem periculoſam defluxerit, & fœtorem ſcandali latius longiusq; diffuderit, idq; à facie, propter in-

ſipientiam, negligentiámq; in adhibendis remediis, debitáq; cura tempeſtivè, quando nimirum facilis medela illi fieri poterat. Atq; ex hac incuria, neglectúq; ſalutis oritur, ut miſeri peccatores cum Davide *velut jumenta in ſtercore ſuo computreſcant*.

Sextus affectus deſcribitur v. 6. *Miſer factus ſum, & curvatus ſum usq; in finem*. Excidi, inquam, à felicitate hominis, quæ ſumma miſeria eſt, ut nec ad Deum, qui ſumma beatitudo noſtra eſt, nec ad divina, & cœleſtia cogitanda, & conſectanda, ſurſum cor queam attolere. Cujus gratia Deus.

Os homini ſublime dedit, Cælúmq; tueri juſſit, &c. hâc felicitate per peccatum orbatus, & miſer factus, & curvatus ſum, ut non niſi terrena libeat cogitare, & deſiderare. *Adhæſit*, vel conglutinatus eſt *in terra venter meus*. Pſ. 43. qui effectus peccato luxuriæ maximè proprius eſt, ut cæcitatem quandam mentis quoad res ſpirituales, ac cœleſtes inducat, totúmq; hominem terrenis voluptatibus mancipet. Unde addit in *finem*, id eſt, *valdè* curvatus, & depreſſus ſum, ut deprimi profundiùs, miſeriórq; fieri non poſſim. Et propterea *totâ die contriſtatus ingrediebar*, qui eſt

Septimus peccati effectus triſtitia ex remorſu conſcientiæ, quæ voluptatis individua eſt comes, nam *extrema gaudii luctus occupat*. Prov. 14. quod benè hiſce deſcribit Boëtius:

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit furentem,
Apiúmq; par volantum
Ubi grata mella fudit;
Fugit, & nimis tenaci
Figit icta corda morſu.

Octavus tandem ille eſt: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea*. v. 7. Nempe motus pravi, tentationesq; carnis, & affectus pudendi cum illuſionibus diurnis, & nocturnis magno numero, & aſſiduè lumbos (qui ſunt ſedes concupiſcentiæ carnalis, & pro toto corpore ponuntur) repleverunt, ut, quod Chaldæus ait: *combuſtione*, vel ardore concupiſcentiæ continuò conflagrarem, ideoque, *non eſt ſanitas in carne mea*, quæ beſtiali obſcœnorum deſideriorum febri non intermittente conficitur, vel (quia hebræus pro lumbis ponit ilia) ardor iſte libidinis ita excrevit, ut in membrum corporis

poris degenerarit, & uſq; ad ilia pervaſerit, in quibus fœdum ulcus, & apoſtema natum pudendo dolore carnem diſcruciat. Nam peccatis illis aſſuefacta caro miſerum hominem ita ſtimulis ignominioſis exagitat, ut in alteram quaſi naturam concupiſcentiæ, & libidinis neceſſitas non modò tranſeat, ſed per tyrannicum etiam dominatum corpus ſupra vires concitet, & exhauriat, fœdiſq; morbis dehoneſtet.

Affectus deteſtationis peccati.

O Abominabile monſtrum peccatum! O deteſtabiles, & execrandos ejus effectus! O crudelem in ſuos, barbarámq; tyrannidem! Excute jugum, anima fidelis, ſi ſub ejus fortè ſervitute ingemiſcis, aut ſi libera es, exhorreſce illud, & totis viribus id à te ſemper amoliri ſtude.

Punctum II.

COnſidera actus pœnitentiæ, quos ob admiſſum à ſe peccatum exercuit pœnitens David.

I. *Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei,* inquit, v. 8. quibus animi contriti, & humiliati intimus, & vehementiſſimus dolor propter offenſam Majeſtatem divinam exprimitur, quem & externi gemitus teſtentur, non qualescunq;, ſed qui in rugitum deſinerent, adeò, ut non vocem humanam, ſed rugitum leoninum referrent.

Secundus eſt, propoſitum ſincerum, teſte Deo, deſideriúmq; exurgendi à priſtina vita in meliorem. *Domine, ante te omne deſiderium meum*, omne, inquam, omnia peccata, omnèsq; occaſiones, & pericula eorum evadendi, & effugiendi, omnem contrariam, meliorem, ſanctioremq; vivendi rationem affectandi, ad quæ ſuſpiro, & anhelo toto corde. Hoc deſiderium, propoſitum, vitam, ante te, oculóſq; tuos, qui decipi non poſſunt, ſincerè expono, hi gemitus, & ſuſpiria non te latent, *& gemitus meus à te non eſt abſconditus.*

Tertius eſt, ſatisfactio, & vindicta de ſemetipſo ſuſcepta ſive interna per dolorem, triſtitiam, contritionem, & alios cordis angores: de quibus ait: *Cor meum conturbatum eſt* ex conſideratione offenſæ tuæ divinæ, & magnitudine meorum ſcelerum, acerbitatíſq; pœnarum iis debi-

debitarum, ſive externa per vigilias, humicubationes, jejunia, cæteriſque corporis afflictiones, quibus vires corporis debilitatæ ſunt, & *dereliquit me virtus mea*, ſeu corporis robur fractum eſt. Et inſuper, præ multitudine profuſarum lacrymarum, *lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum* v. 10. ſed defecit præ fletu.

Quartus eſt acceptatio de manu Dei, & perpeſſio voluntaria immiſſarum ab eo adverſitatum magnâ cum humilitate, & patientia injuriarum, præſertim calumniarum, & obtrectationum, ſive ab amicis, ſive ab inimicis illatarum de quibus ſeqq. quinq; verſibus. Et ut ab amicis initium faciat: *Amici mei*, inquit, *& proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt*, quod vel intelligendum eſt de Abſalonis filii rebellione, cum quo Achitophel multique amici, & proximi Davidis, contra eum conſpiraverunt, & adverſas partes ſectati ſteterunt in exercitu hoſtili, atq; adverſus eum inſurrexerunt. Vel de morbo corporis, quo afflictus fuit David, de quo ſupra, ſive lepra, ſive alius quis fuerit, juxta Hebræos, & S. Hieron. propter quem, ſeu contagii metu, ſeu horrore propius accedere non audebant, ſed longiuſculè è regione conſtiterunt, ſpectatores ſolùm calamitatis, abſq; ſolatio, & ope, manúſque medicæ auxilio imò etiam cum exprobratione, vel neglectu fortaſſis, quo ſenſu, & ſequentia intelligi poſſunt: *Et qui juxta me erant, de longè ſteterunt:* propinqui mei, ſcil. imò domeſtici, & ſervi mei, vulneris adſpectu, tetróq; odore repulſi longius à me receſſerunt.

Ab amicis ad inimicos progreditur. *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam*, v. 12. dum partim aperto marte vitam cum regno mihi eripere laborabant, partim, ut hebræa habent, *laqueos in perniciem meam tendebant*, doloſis conſiliis, & machinationibus ſuis.

Nec conſtitit res, impetúsq; eorum in quærenda vita, fortuniſq; meis; ſed famam inſuper, honorémq; meum inſectati calumnioſè ſunt. Nam *& qui inquirebant mala mihi*, malevoli hoſtes mei, *locuti ſunt vanitates*, ſeu vanè, falſéq; confiĉta crimina mihi impoſuerunt, *& dolos toto die meditabantur.* v. 13. velut Semei 2. Reg. 16. maledicens profugo, virum ſanguinum, & Belial, atq; invaſorem regni iniquum, quiq; idcircò juſto Dei judicio, & talione, ejuſmodi pateretur, publicè proclamavit; aliis injuriis accumulatis.

Hæc omnia in ſatisfactionem pro peccato ſuo tanquam à Deo immiſſa obedientiſſimè acceptavit, patientiſſiméq; tulit; quemadmodum

Abi-

Abiſai ad trucidandum calumniatorem ſe paranti verbis his manſuetiſſimis teſtatus eſt. 2. Reg. 16. *Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David, & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit? Dimitte eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

Atq; hoc eſt, quod ſeqq. verſiculis addit. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum* v. 14. *Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* v. 15. quæ procul dubio ſingularis, & heroica patientia fuit: Cujus cauſam triplicem ſubdit citatis ante verbis ad Abiſai prolatis comprehenſam.

1. *Quoniam in te Domine ſperavi*, quia nimirum utilius mihi eſſe putavi, ſperare in Deo, & ejus causâ propriam defenſionem, ultionémque deſerere, eíque rem omnem committere, idcirco obſurdui, & obmutui, & quaſi reus objectorum criminum eſſem, nec quicquam haberem, quo redarguere calumnias mihi impoſitas, aut refutare mendacia, aut facta mea excuſare, defenderéque poſſem, me geſſi, quod ſilentium meum tacita quidem, ad efficaciſſima apud te oratio eſt, & quia ſat ſcio.

2. *Quod ideo exaudies me Domine Deus meus.*

3. *Quia dixi*, apud me orans, *ne quando fortaſſis ſupergaudeant mihi inimici mei* ſi impatiens fuero, & maledictum pro maledicto reddidero, ne me Deus ſuo auxilio deſtituat, & ſic nefarii homines in ruina mea lætentur, & (pro quia hebrais,) *dum commoventur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt*, v. 17. q. d. ſi enim, dum vacillare rerum mearum ſtatus cæpit, & nutare regnum meum, egóque in caſum inclinare, tam protervè, & petulanter mihi inſultarunt inimici mei, quo gaudio de exitio meo triumpharent, ſi corruere me cernerent, ſolóq; afflictum jacere.

Atque hic eſt nobiliſſimus ille pœnitentiæ actus, quo flagella à Deo inflicta acceptamus, & toleramus animo in Dei voluntatem reſignato æquanimiter, tanto Deo gratior, quanto minus voluntatis habet propriæ, ut in ſuſceptis ſponte noſtra afflictionibus ſæpe accidit, ſequitur.

Quintus, *quoniam ego in flagella paratus ſum*, ſive verborum, & calumniarum, ſive verborum, & plagarum, quo ſe adpatienda plura

majoráque perpeſſis non contentus, Deo offert paratum, eam ob cauſam, & (pro quia ut ſupra,) *dolor meus in conſpectu meo ſemper* v. 18. peccatum, inquam, meum (effectu pro cauſa) quod mihi continui cauſa doloris eſt, animo meo ſemper obverſatur.

Sextus denique eſt peccati annunciatio, ſeu confeſſio, & expiatio. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo*, confitebor illud, inquam, ſive coram Deo, & vice Dei Prophetæ Nathan, ut fecit, 2. Reg. 12. ſive coram toto mundo, ut hic facit, ſive coram ſacerdote, offerendo hoſtiam pro peccato, ut Levit. 5. & Num. 5. præſcribitur, de quo plura medit 33. in Pſal. 31. punct. 2. dixi, ſubdit, *& cogitabo pro peccato meo*, quomodo pro illo ſatis faciam, & illud expiem, Deumque placem, ſignificantius S. Hieron. ex Hebr. &c. *ſollicitus ſum pro peccato meo*, anxiè, magnáque cum ſolicitudine inquirendo, qua ratione, tum indulgentiam ejus plenariam conſequi valeam, tum abolitionem reliquiarum ejus, ut ſunt habitus, occaſiones, inclinationes, tentationes, & ſimilia. Juxta monitum Spiritus Sancti, Eccl. 5. *de propiato noli eſſe ſine metu.*

Affectus pænitentis ex S. Auguſt.
Medit. cap. 2.

„ DEus meus, cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, ego infelix, „ ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem, tuum pro„ vocavi, iram promerui, peccavi, & paſſus es, deliqui, & adhuc ſuſtines „ ſi pæniteo, parcis, ſi revertor, ſuſcipis, in ſuper dum differo, præſtola„ ris: Revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, „ amplexaris redeuntem &c. Nunc ergo Pater miſericordiarum, & „ Deus totius conſolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus, „ qnæ minaris metuendo evadam, & redde mihi lætitiam ſalutaris tui, „ ut quæ ſpondes diligendo percipiam.

Punctum III.

EXpende quid remedii S. David adhibuerit ad cavenda impoſterum peccata, de quibus pænituit: duo nempe principaliora hæc: Diffidentiam ſui, ſolicitámque diligentiam, ex conſideratione hoſtium, ſuæque imbecillitatis, & recurſum ad Deum ac divini auxilii implorationem

Primum exponit v. 20. & 21. *Inimici autem mei vivunt, & confortati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè* q. d. Et quanquam reſipiſcens cum animo meo firmiter ſtatuam, nunquam in peccatum priſtinum relabi: non ignoro tamen graviſſimas mihi imminere impugnationes, tentationésque adverſariorum, quos à quatuor rebus deſcribit, quod florentes vivant, & vivant non ad deponendam, ſed ad confirmandam ſuam in ſe audaciam, & vindictam, quamvis ad tempus receſſiſſe videantur, quod Luc. 4. dicitur de tentatore Chriſti: *Diabolus receſſit ab illo usq; ad tempus* aut dormire interdum, vigilant, tamen, & omnem in me iram acuunt.

2. à robore, & viribus, quibus multis paraſangis infirmitatem meam ſuperant, quod multò verius eſt, de hoſtibus ſpiritualibus, illo præſertim infernali, cujus Job. 41. fortitudo latè deſcribitur, *qui reputat quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs.*

3. à multitudine, *multiplicati ſunt ſuper me*, ad ſcitiſque undecúnque ſibi ſuppetiis auxiliaribus, ſeptuplo majoribus, *& nequioribus*, Luc. 11. poſt amiſſum primum conflictum in prælium revertuntur.

4. ab infenſiſſimo odio, & rabie, quibus iniquiſſimè frendent contra me. Ut idcirco meritò diffidere mihi poſſim, præſertim cùm implacabile illud eorum in me odium nullum reconcilliationi det locum, nec à me beneficentiâ ulla demereri poſſint; verùm peſſimam in partem, quæcúnque à me rectè gerantur ab iis accipiantur, & pro bonis mala reddantur, *qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi.* Hebr. *adverſabantur, quoniam ſequebar bonitatem*, etſi quod rectum, & bonum erat, optimo erga illos affectu agerem, hoc ipſum tamen in malum mihi vertebant, & velut aranei ex ſuaviſſimis floribus venenum ſugebant, quod per obtrectationes de me propinarent in perniciem meam: *Quare ne derelinquas me Deus meus, ne diſceſſeris à me* v. 22. ne me, inquam, gratiæ tuæ auxilio deſtituas, memor, quòd ſis *Dominus meus*, qui me creaturam tuam, quam condidiſti, conſervare debes, *& Deus meus*, ad quem ut ſummum bonum perfruendum, ſicut ordinatus ſum, ita per orationem recurro, ne itaque à conſtituto tantis in hoſtium meorum periculis longius recedas auxilio tuo, ſed *intende in adjudorium meum* Hebr. *feſtina in auxilium meum Domine Deus ſalutis meæ* (ſupple) autor, aut Deus ſalvator meus, à quo ſolo ſalutem expecto, & in quo ſolo confido.

Affectus idem ex S. Auguſt.
Solil. cap. 25.

„ ECce ego opus manuum tuarum, confitebor in timore tuo, quia
„ non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me contra
„ hoſtes meos, viribus tam potentes, numero copioſos: ſed dextera
„ tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: alioquin deſpera-
„ rem: Nunc autem ſpes mea tu es, qui creaſti me, quoniam non dere-
„ linquis ſperantes in te: Tu quippe es Dominus Deus meus.

SUSPIRIUM.

DOmine ne in furore tuo, quem peccata noſtra meruerunt, corripias nos cum damnandis, ſed hic ure, hic ſeca paternè. Ecce ante oculos tuos iniquitates noſtras, quæ ſupergreſſæ ſunt caput noſtrum, ferimus, & plagas, quas accepimus, conferimus. Heu! putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices noſtræ, & non eſt ſanitas in carne noſtra ideò conturbatum eſt cor noſtrum, aſpice afflictos, & humiliatos, quorum ante te eſt deſiderium reſipiſcendi noſtrum, ne derelinquas nos inter tot, támque infeſtos, potentésque hoſtes, qui inſidiantur nobis, ſed intende, & feſtina in auxilium noſtrum DEUS autor ſalutis noſtræ JESU Chriſte Dominus, & DEUS noſter, qui cum Patre, & Spiritu Sancto es benedictus in ſæcula.

NB.

QUandoquidem SS. PP. Gregor. Auguſt. Hieron. Chryſoſt. teſte Bellarmino hunc Pſalmum ſenſu prophetico literali de Chriſto explicant: breviter ſequenti meditatione eundem juxta ſenſum ſecundum in argumento Pſalmi poſitum Chriſto etiam applicabimus. Card. Bellarm. ſecuti.

IN EUND. PSAL. XXXVII.
Chriſto applicatum.
Tum in ſe, tum in membris ſuis, & Eccleſia.
MEDITATIO XL.
Punctum I.

EXpende, quomodo pro corpore ſuo myſtico cœleſtem Patrem Chriſtus precetur, deprecetúrq; divinam ab eo offenſam primis verſibus.

Domine, ne in furore tuo arguas me (in membris meis) *neq; in ira tua corripias me.* v. 1. *quoniam ſagittæ iræ tuæ*, quibus membra mea meritò configenda erant, *infixæ ſunt mihi*, eo quod in me peccata ipſorum eluenda ſuſceperim, quæ tanta, támq; multiplicia ſunt, ut velut lepra totum corpus infecerint, quocirca *non eſt ſanitas in carne mea.* v. 2. ſeu corpore myſtico, *à facie iræ tuæ non eſt pax oſsibus meis*, ad quæ malum hoc penetravit *à facie peccatorum.* v. 3. propter offenſam, & vindictam, quam incurrerunt meritiſſimam peccata populi mei in me puniendа.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. v. 4. quibus onus eorundem ſuſceptorum ſcelerum velut intolerabile deſcribitur. Et quia eadem inſuper tanto jam tempore inveteraverunt, & inſederunt humanæ naturæ intimè, *putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ* in membris. v. 5. In quibus etiam *miſer factus ſum, & curvatus ſum uſq; in finem*, ſeu extremè *totâ die contriſtatus ingrediebar.* v. 6. pallenti facie, & atratus luctu.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Ita peccatum originale, concupiſcentiâ, aliiſq; infirmitatibus totam naturam humanam corrupit, atq; peſſundedit. Hactenus in perſona corporis ſui myſtici, vel humanæ naturæ, cujus in ſe expianda peccata ſuſcepit, de quo ſupra medit. 23. in Pſ. 21. Punct. 1. n. 2. dictum etiam eſt.

Affectus compaſſionis, & doloris.

ECce anima mea *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata* tua, imò *peccata* totius *mundi.* Joh. 1. *Ecce eum, in quo poſuit Deus iniquitates omnium noſtrum* Iſai. 13. O innocentiſſime Agne Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Punctum II.

COnſidera Chriſtum in propria perſona pro peccatis noſtris æterno patri offerentem paſſionem ſuam, cujus myſteria recenſentur ſeqq. vv.

Et primùm quidem, quod eſt partim oblatio ſui ad patiendum, & moriendum, juxta præceptum Patris in primo Incarnationis momento, quo ſenſu S. Paulus ad Hebr. 10. hæc exponit, *ſacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio? In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Pſ. 39.

Partim deſiderium continuum totà vitâ patiendi, & moriendi, *quæ crux Chriſti perpetua* dicitur, de qua Luc. 12. *baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usq. dum perficiatur*, partim oratio in horto, *afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei* v. 8. *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus*, v. 9. quo etiam pertinent triſtitia, tædium, pavor, & agonia, quibus inferiorem appetitum affligi voluit, & Angelica uti confortatione, ſuppreſſâ tantisper virtute, & lumine conſolationis divinæ *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum.* v. 10. poſtquam à diſcipulis partim derelictus, partim traditus à Juda captúsque à Judæis eſt, quæ ſeqq. vv. deſcribuntur. *Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.* v. 11. *& qui juxta me erant, de longe ſteterunt.* v. 12. *& vim faciebant, qui quærebant animam meam* v. 13.

Quæ verò in diverſis tribunalibus tum Annæ, & Caiphæ tum Pilati, & Herodis per falſas accuſationes, & teſtemonia ſit paſſus ſequentibus deſcribuntur. *Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos totâ die meditabantur.* v. 13. *Ego autem tanquam*

ſurdus

ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. v. 14. *Et factus ſum, ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones* v. 15. quæ ad literam impleta ſunt, ut ex Evangeliſtarum narratione conſtat.

Iſta porrò, aliáque ſequentia tam patienter pertulit, tum quia certò confidebat ob illa ſe à patre eſſe exaudiendum, & ſalutem generis humani impetraturum. *Quoniam in te Domine ſperavi, tu exaudies me Domine Deus meus.* v. 16. tum quia invictâ illâ patientiâ omnem gloriandi inimicis, & ſcandali occaſionem præſcindere voluit. *Quia dixi, ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.* v. 17. quandoquidem ad levem ceſpitationem, quàm ſibi imaginabantur ſuperbè mihi inſultaverunt; quia *blaſphemavit, quid adhuc deſideramus teſtes, audiſtis blaſphemium, quid vobis videtur? Qui omnes condemnârunt, eum eſſe reum mortis.* Marc. 14.

De Flagellatione, Colaphizatione, Coronatione ſpinarum, &c. litera clara eſt, *quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper* (v. 18.) ſuſceptus ob peccatum ſalutémq; hominum, quod ob oculos mihi ſemper ſint poſita.

Ob hæc ſententiam mortis, licet iniquam, & Crucem humeris impoſitam ſuſcepit, quaſi reum ſe tacitè profiteretur. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo,* quod in me ſuſcepi, in Cruce penitus abolendo per mortem.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me. v. 19. quod accidit in Crucifixione, quando Principes, & ſacerdotes cum populo univerſo inſultabant ei, & de victoria contra illum obtenta triumphabant. *Et qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi,* dum ingratus ſc. populus Judaicus toties ſanitatem ſuorum conſecutus clamavit: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum ſalvum faciat, deſcendat nunc de cruce,* &c. *Quoniam ſequebar bonitatem*, pro iis orans: *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciant.* Hæc quæ ſtrictim percurſa nunc ſunt, explicatius deducta videri poſſunt Medit. 23. in Pſ. 21.

Punct. 3.

Affe-

Affectus oblationis meritorum Chriſti pro peccatis æterno Patri. Ex S. Auguſt. cap. 5. medit.

„ EN Pater æterne, qui peccatum non fecit, peccata noſtra pertulit, „ & languores noſtros ſuo livore ſanavit! quem alium dirigam in- „ intercesſorem tibi, niſi hunc, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, „ qui ſedet ad dexteram tuam interpellans pro nobis? Ecce advocatus „ meus apud te Deum Patrem! Ecce Pontifex ſummus, qui non alie- „ no eget expiari ſanguine, quia proprio reſulget perfuſus cruore! Ec- „ ce hoſtia ſancta, beneplacens, & perfecta, in odorem ſuavitatis obla- „ ta! Ecce agnus ſine macula, qui coram ſe tondentibus obmutuit, qui „ alapis cæſus, ſputis illitus, opprobriiſq; affectus os ſuum non aperuit. „ Reſpice in hunc, & miſerere nobis.

Punctum III.

COnſidera eundem Chriſtum ob iſta quæ paſſus eſt, pro ſe, ſuiſq; membris, aſſiſtentiam continuam à Patre precante duobus vv. ſeqq. *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me.* v. 2. Ut in morte maneam, neq; *des Sanctum tuum videre corruptionem.* Pſ. 15. ut absq; gloria ſim Reſurrectionis vel ego, vel membra mea à te dereli- cta, æternâ morte à te ſeparentur. *Sed intende in adjutorium meum Domine Deus ſalutis meæ, oſtendens mihi vias vitæ, & adimplens me lætitia cum vultu tuo,* ut oravit Pſ. 18. qui fons, & autor ſalutis omnis noſtræ exiſtis.

Affectus Zeli gloriæ Chriſti.

P*Ater clarifica filium tuum* quia *filius* ita *clarificavit te*, & quem voluiſti *eſſe Dominum, & Deum ſalutis noſtræ Aſſertorem; ſicut dediſti ipſi poteſtatem omnis carnis* humaniq; generis, ita, ejus adimple lætitiam, ut quam jure naturali debitam dediſti ei, hanc membris ſuis adoptionis beneficio, det eis etiam vitam æternam.

ORATIO.

N*E reſpicias peccata noſtra miſericors DEUS, ut in furore tuo arguas nos, ſed reſpice in faciem Chriſti tui, qui ea in ſe ſuſcepit, & ad paſſionem, crucem, & mortem illius, quæ pro iis pertulit; ut quam propterea*

illi

illi dediſti gloriam, exaltationémq; nominis, & nos quoq; ejus ſanguine redemptos cum illo perfrui facias ſempiternùm.

IN PSALMUM XXXVIII.

Dixi, cuſtodiam vias meas, &c.

MEDITATIO XLI.

ARS VIVENDI ET MORIENDI.

Vel

Faſtiditis vitæ præſentis miſeriis, & vanitate, ad meliorem æternam aſpiratio.

Argumentum Pſalmi.

Perlatis patienter calumniis, quibus à Semei fugiens Abſalonem. 2. Reg. 16. petulanter proſciſſus fuit, tædio calamitoſæ vitæ, mortem expetit David (ſenſ. lit.) Chriſtus ob toleratas patientiſſimè injurias, vitæ hujus vanitate contemptâ, meliorem quam iis promeruit, in membris ſuis precatur (ſenſ. allegor.) Juſtus per patientiam, pacem virtutésq; alias ex vitæ præſentis vanitatibus, & miſeriis ad meliorem æternam aſpirat (ſenſ. mor.) quem cum præcipuè intentum à Spiritu S. per Prophetam exiſtimet Card. Bellarm. Veteres PP. ſecutus tantò libentiùs amplectimur hac meditatione.

Punctum I.

CONſidera quibus nos mediis, ac virrutibus doceat S. David vitæ hujus tramitem intaminato pertranſire veſtigio, & ad felicem ejus metam, mortémq; pertingere; quæ *tum vivendi, tum moriendi ars* dici poteſt.

Primum eſt ſolicita circumſpectio, ſuiq; cuſtodia. *Dixi, cuſtodiam vias meas*, id eſt, firmiſſimè ſtatui cum animo meo circumſpectâ cautelâ per vias vitæ meæ ambulare, ne vel in lapidem aliquem, inſidiáſq; ab hoſtibus ſtructas, improvidus incidam; vel ob viæ lubricitatem greſ-

ſu vacillem, & corruam, vel lutoſâ incedens via me inquinem, vel à recto itinere devians in ambages, intricatáſque perplexitates incidam: Ab his, inquam, vias meas cuſtodiam, verbo, propoſui conſiderare omnes actiones meas, & magnâ circumſpectione, uti in negotiis meis quidem omnibus (juxta quod monet Apoſtolus Eph. 5. *videte quo modo cautè ambuletis*, & ſalvator ipſe Chriſtus inculcat in Evangelio: *Vigilate*, parabola de decem virginibus, Matth. 25. adducta) præſertim autem.

Quod ſecundum eſt: *Ut non delinquam in lingua mea*. v. 1. quæ omnium difficillima eſt, *qui enim non offendit verbo, hic perfectus eſt vir*, Jac. 3. unde pambo vetus ille eremicola hujus verſus primi lectione à Magiſtro auditâ, plura audire noluit, & invitatus eodem à Magiſtro crebrius ad alias in ſchola ſpiritus lectiones ſacras, negavit hanc primam ſe adhuc dum addidiciſſe, nec poſt exactos annos undeviginti eandem rectè adhuc callere, ut narrat Socrat. Eccl. hiſt. l. 4. cap. 19. Certè quidem, qui ita cuſtodit vias ſuas, ut non delinquat in linqua ſua, infinita mala evadit. Eſt enim linqua, ut eam nominat S. Jacobus cap. 3. *univerſitas iniquitatis*, quod ab ea omne malorum genus proficiſcatur, & velut in Academia univerſarum ſcientiarum Cyclopedia, ita à lingua peccata prope univerſa tradantur. Et quanquam periculum delinquendi per linquam magnum ſemper ſit, nunquam tamen eſt majus, quàm cum contumeliis, detractionibus, convitiisq; contra nos jactis, ab inimicis palam proſcindimur, & provocamur. Ideo addit

Tertium v. 2. *poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator adverſum me* (ſcil. Semei, præter convitia etiã lapides in me jactans 2. Reg. 16.) Hebr. & Chald. habet: *Cuſtodivi os meum freno*, alii vertunt: *Cuſtodivi os meum fiſcellâ*, quod eſt inſtrumentum ori equorum circumdari ſolitum, ne morſibus impetere aut edere poſſint: quibus ſignificatur, vehentibus conſiderationibus, & mediis timoris, amoriſvè Dei infrænari linguam pertinaci ſilentio à nobis oportere in occaſionibus ejuſmodi, ne morſibus ſe mordentes viciſſim impetat.

Quod heroicum ſilentium tribus cricumſtantiis exaggeratur. 1. quod inſtar muti alicujus, ſine verbulo etiam quod nocere illi poſſit, obſervatũ ſit, idq; non fucatè, aut ex contemptu alterius, ſed ex humilitate, dignum ſe iſtis omnibus exiſtimando, atq; adeo abſtinendo à verbis etiã bonis, vel ad juſtam ſui defenſioné ex charitate ſui ordinata proferre licuiſſet, vel ad

cor-

correctionem, correptionémve alterius, ex charitate itidem erga ipſum. *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renovatus eſt*, quantumvis inde dolor meus plurimum incrementi ſumeret, vel recrudeſceret, quod procul dubio potentiſſimum medium eſt felicem à Deo vitæ finem obtinendi, juxta promiſſum æternæ veritatis. Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini: dimitte, & dimittetur vobis*, quo religioſus ille, cæteróq; vitæ non ita exactæ in morte erectus, quod nunquam alios judicaſſet, multò minus condemnaſſet, ſeq; vindicaſſet, ſereno, lætóq; vultu, & tranquillâ, ſecuráq; conſcientiâ vitæ finem fecit.

Quartum medium. v. 4. innuitur: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* quod etſi à nonnullis exponatur de igne iracundiæ, & indignationis ex conſideratione injuriarum exardeſcente, in quo ſe adhuc continuerit à vindicta. Conſequentius tamen, & majori ædificatione cum S. Ambr. exponitur de meditatione tum peccatorum propriorum, tum divinorum mandatorum, beneficiorúmque præſtitorum crebriori, quibus alia conſiderationum Sanctarum pia objecta complura jungi poſſunt, ex quorum meditatione concaluiſſe fervore novo animus ad vitam ſanctiorem dicitur, exarſiſſéque ignis tum contritionis, tum devotionis, tum charitatis, ſive erga Deum, ſive erga proximum. Hoc enim igne ſuſcitando nihil aptius eſt, quàm diligens, attentáque meditatio, & divinarum ſcripturarum lectio, verbique Dei pro concionibus expoſiti perceptio, ut experti diſcipuli in Emaus profecti, Luc. 24. dicebant: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas.*

Subditur Quintum v. 5. & 6. *Locutus in lingua mea*, ſeu (*In* enim redundat) linguâ, ejúsq; ſenſu, affectúq; mihi magis notis, quàm cæteris, ſive mecum, tacitè, in animo Genebr. *Notum fac mihi, Domine, finem meum*, vivendi ſcil. *& numerum dierum meorum*, quàm ſit exiguus, *ut ſciam, quid deſit mihi:* quibus Deum precatur, ut cœleſti lumine gratiæ ſuæ oculos mentis ſuæ illuminet, ut clarè agnoſcat finem vitæ ſuæ jam propè abeſſe, & animo ſecum attento crebrò volvat, perſpiciátq;, quàm brevis ſit numerus dierum ex vita reſiduorum, idq; non ex curioſa temeritate, ſed ex ſolicitudine, ſtudióq; ſciendi ſancto; illo fine, ut cognita iſta dierum vitæ ſuæ, paucitate, & brevitate videat, quid ſibi deſit ad complementum virtutis tam brevi tempore acquirendæ, utq; ad mortem ſe melius diſponat. Hoc, inquam, medium illud vitam

benè exigendi, finiendíq; efficaciſſimum eſt, Deum precibus quotidiè ferventer exorare, pro felici fine, & morte, ut perſpectâ vitæ brevitate, ac vanitate, dierúmq; reliquorum paucitate, tantò in curſu virtutis, perfectionis, bonorúmq; exercitiorum feſtinemus contentius, quantò à meta vitæ noſtræ diſtamus vicinius: ut illud, quod deeſt nobis, quódq; reliquâ vitâ neglеximus, inſtante fine recuperemus, compleamúsq; ſic curſum noſtrum, ut cum Apoſtolo dicere nobis liceat: ***Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.*** 2. Tim. 4.

Affectus deſiderii. Ex S. Auguſt.

Soliloq. cap. 4.

„ Illuminare, Domine, lux mea, illuminare, inquam, huic cæco, qui
„ in tenebris, & in umbra mortis ſedet, ***notum fac illi finem ſuum, &***
„ ***numerum dierum***, & dirige pedes ejus in viam pacis; cuſtodiat vias
„ ſuas, cuſtodiat linguam ſuam, exardeſcat ignis deſiderii in meditatio-
„ ne ejus, ut ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usq; ad domum
„ Dei in voce exultationis, & confeſſionis.

Punctum II.

COnſidera motiva, ob quæ vitam hanc miſeram meritò faſtidire, & ad immortalem adſpirare debeamus. Eâ cœleſti lumine, poſtquam id poſtularat à Deo, edoctus in reliquo carmine ſuo Vates Divinus proponit. E quibus

Prima eſt vitæ hujus brevitas. ***Ecce***, inquit, ***menſurabiles poſuiſti dies meos.*** Ex Hebræo, juxta Chryſoſt. ſeu ***palmares***, ſeu ***perbreves***; ut Hieron. ***Paleſtas.*** 4. digitorum, ut Ambr. ponitur, vix unius palmi longitudine, ideoq; pauxillo, poſt tempore complendos. Vel juxta S. Auguſt. ***Veteres***, breviq; corrumpendos, ***quod enim antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.*** Hebr. 8. vel juxta S. Ambr. à palæſtra nominatos, in qua breviſſimo, ſed laborioſiſſimo curſu, aut certamine dimicatur. ***Et ſubſtantia***, vel ſubſiſtentia mea ***tanquam nihilum ante te.*** v. 7. quicquid tandem appareat coram oculis hominum, qui corrupto, & vitiato viſu non niſi præſentia intuentur, Deus autem cum eo ſimul reſpicit æternitatem, ad quam ſi conferatur, nullius durationis, ſeu nihil propè eſt. Quid enim ſunt pauci anni, qui velociſſimè tranſeunt ad infinitam durationem, qualis eſt æternitas?

Secun-

Secundum eſt vitæ ejuſdem Vanitas. *Veruntamen* (pro certè) *univerſa vanitas*, ſeu univerſitas vanitatis, *vel vanitas vanitatum*, ut dixit Eccl. c. 1. *& omnia vanitas. Omnis homo vivens.* v. 8. ſeu optimo in ſtatu florens; quamvis Rex ſit, & Monarcha, ſic enim in Hebræo legitur, *dum ſtat*, & radicatus conſiſtere firmiter ſibi videtur, quod eleganti ſimilitudine imaginis exponit. v. 9. *Veruntamen* (id eſt, certè) *in imagine pertranſit homo*, ſeu in ſpecie quadam, & apparentia, pel pictam potiùs, & fictam, aut umbræ inſtar evolantem, & evaneſcentem ducit vitam; & præſtigiarum more vanis luditur imaginibus. Atq; ita *in imagine pertranſit homo*, ſeu viam vitæ hnjus perambulat, non in rerum veritate, ſed in imagine rerum, habens ante oculos poſitas in toto vitæ ſuæ itinere non res veras, ſed rerum umbras, & imagines quibus deludi-
„ tur. Vita enim (ut benè Card. Bellarm.) quam hic habemus, imago
„ eſt vitæ beatæ, quæ ſola vera eſt vita; ſanitas hujus temporis imago
„ eſt immortalitatis, quæ ſola vera eſt ſanitas. Pulchritudo, quam hic
„ videmus, vix umbra quædam eſt pulchritudinis illius, quam habebi-
„ mus, cum Juſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum, divitiæ ter-
„ renæ non ſunt divitiæ, ſed illarum divitiarum imagines quas habebi-
„ mus, cum nullâ omninò re indigebimus, ſed erit Deus omnia in omni-
„ bus. Idem dici poteſt de ſapientia, de gloria, de celſitudine, de cæteris,
„ quæ hic dicuntur bona. Hactenus Bellarm. Atq; hoc eſt tranſire, vel ambulare, non in veritate, ut loquitur S. Joh. in 2. & 3. Epiſt. ſua, ſed in imagine.

Propterea (rectè concludit) *ſed & fruſtrà* (ſeu inaniter) *conturbatur.* Pro hiſce vanis rebus, aut comparandis, aut conſervandis tam anxiè, tantáq; cum ſolicitudine, & conturbatione animi, quaſi res veræ eſſent.

Porrò hanc vitæ vanitatem unico probat exemplo: parentum, aliorúmq; qui tanta cum anxietate, curáq; res temporales congregant, ut hæredibus, & poſteris inde benè ſit. *Theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.* Hæresnè proprius, an alienus futurus ſit? amicus, an inimicus? juſtus, an injuſtus,? probus, an improbus? benè uſurus, vel malè? gratus, quiq; ei benedicturus, & gratias dicturus poſt fata ſit, an ingratus, qui maledicturus, & peſſimam gratiam relaturus ſit? Quod agnovit Eccleſiaſtes cap. 1. cum ait: *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub Sole ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem poſt me,*

 quem

quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus eleſudavi, & ſolicitus fui, & eſt quicquam tam vanum? Et quæ major ſtultitia eſt, ſi omni hærede carens adhuc tanta anxietate inhiare temporalibus non ceſſet: *Conſiderans*, inquit, idem cap. 4. *reperi aliam vanitatem ſub ſole: unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen loborare non ceſſat, non ſatiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis, & hoc quoq; vanitas eſt, & afflictio peſſima* Vide plura non diſſimilia apud eund. cap. 5. & 6. ſeqq.

Atq; ex his ſapienter omninò concluſionem hanc infert v. 11. *Et nunc quæ eſt expectatio mea? Nonne Dominus*, id eſt, cum tanta rerum vanitas terrenarum ſit, quid quærere, vel ſperare, vel expectare aliud poſſim, præter te Dens meus? Converſúsq; ad Deum, *& ſubſtantia mea*, inquit, *apud te eſt ſubſiſtentia*, ut LXX. legunt, ſeu vita mea. Hebr. *Spes mea*, vel tota ſubſtantia, & opes meæ tu es Domine. q. d. nihili facio res mundi hujus creatas univerſas, in te enim omnia habeo *Deus meus, & omnia!* atq; ideò te unicum præ omnibus rebus mundi hujus unicè poſſidere deſidero.

Tertium à calamitatibus ducitur, inter quas primas tenent peccata, quibus vita hæc noſtra expoſita eſt, nihil enim eſt, quod faſtidire eam, & odiſſe etiam magis faciat timentem Deum, quàm periculo peccandi expoſitum ſemper eſſe.

Hanc igitur inter calamitates vitæ primo loco ponit, & deprecatur v. 12. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Erue, inquam, non tantùm à præteritis me abſolvendo, ſed à futuris etiam per mortem eripiendo.

Opprobrium inſipienti dediſti me; quod eſt alterum genus calamitatum, ſc. Actiones, vitam, famámq; noſtram injuriis, calumniis, judiciis, irriſionibus, & opprobriis patere; atq; truduci, ab inſipientibus præſertim, ac malevolis, qui vel abducere nos poſſint à via perfectionis, vel impedire fructum laborum, operúmq; noſtrorum.

Atque contra hæc ſolenne ſibi medium adhibuit ſilentium ſine excuſatione, aut defenſione, multò minus reciproca regeſtione ſimilium opprobriorum; & tale quidem, quale non ſolùm in mutis eſſe ſolet, ſed etiam in ſurdis, *qui non aperiunt os ſuum*, quia non audierunt. Muti enim ſaltem conantur reſpondere ad ea, quæ contra ſe audierunt,

unde

unde, & aperiunt os ſuum, etſi conatus eos deficiat, propter impotentiam loquendi. Surdi verò nec aperiunt, quidem os ſuum. *Obmutui, & non aperui eos meum*, ſed tua me providentiâ, & permiſſione conſolatus ſum, *quoniam tu feciſti*, qua ratione cum Semei in ipſum jactaret opprobria, *ſinite*, inquit, *illum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei ut malediceret David, & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit.* 2. Reg. 16.

Quæ quidem ab hominibus illata perferam conſtanter, tu tantummodo *amove à me plagas tuas, ut* ſcil. *in furore tuo non arguas me, neq; in ira tua corripias me*, ut Pſ. ſuperiori rogabat, idq; ſive in altera vita, pœnis cruciatibúſque ſempiternis, ſive in hac etiam, excæcatione, & obduratione animi per impœnitentiam, & in ſcelera graviora prolapſum.

Quas plagas expertus David partim in ſe, quando poſt peccatum adulterii permiſit eum Deus cadere in homicidium, aliáque peccata, in quibus impœnitens longo tempore hæſit, ſtatum ſuum miſerum ex occæcatione animi non agnoſcens, partim in aliis quos propter peccata præcedentia in reprobum ſenſum datos non ignorabat: Unde ſubdit. v. 14.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus. Chald. *à percuſſione manus tuæ defeci, & penitus conſumptus ſum, quando increpuiſti me propter peccata mea*, tum adulterii commiſſi, tum numerati populi, partim etiam experimento idipſum didicit in aliis, *nam propter iniquitatem*, inquit, *corripuiſti hominem*, q. d. ſoles enim propter peccata homines ita corripere, & punire, ut peccatum ſit aliquando pœna peccati. Sanè quidem pœna horribilis, & ſuper omnes alias reformidanda, quàm aſſerit Apoſtolus Rom. 1. veteribus Philoſophis irrogatam fuiſſe: *Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum inimmunditiam* &c. de quo correptionis flagello videri poteſt, S. Auguſt. lib. 5. in Julian. cap. 3.

Et tabeſcere idcircò *feciſti ſicut araneam animam ejus*, ut in curis hujus ſæculi ſe exenteraret, & emaciaret inſtar araneæ, quæ ſuis ex viſceribus telam texit ad muſcam aliquam capiendam; ſic, inquam, omnem vitam, vires, ingenium, tempus in venandis rebus inaniſſimis conſumunt, ut omni humore gratiæ exſiccati, & emaciati, nullo ſalutis, feli-

felicitatíſq; æternæ deſiderio tangantur. Quæ quanquam ita vera ſint, ut manibus propè palpari poſſint, & quotidiana experientia Sole clarius appareant, quod tantis miſeriis vita noſtra ſubjecta ſit. *Veruntamen vanè adhuc conturbatur homo*, ob timorem mortis, ſcil. deſiderando nihilominus diutius vivere.

Affectus contemptus vitæ.

„ ET quomodo itaq; amari poteſt hæc vita, tantas habens amaritu-
„ dines? Verè miſeria eſt vivere ſuper terram! Et quanto homo
„ voluerit eſſe ſpiritualior, tanto præſens vita fit ei amarior. O inſa-
„ ni, & infideles corde, qui tam profundè in terris jacent, ut nihil niſi
„ carnalia ſapiant, væ non cognoſcentibus ſuam miſeriam! Et am-
„ plius, væ illis, qui diligunt hanc miſeram, & corruptibilem vitam! Thom. de Kemp. lib. 1. c. 22. de imit.

Punctum III.

COnſidera, quo affectu tantus Rex in tanta rerum affluentia petat à Deo è vita hac eximi. *Exaudi*, inquit, *orationem meam Domine*. Id eſt, non tantùm ſimplicem petitionem; ſed *& deprecationem meam* ſeu vehementem clamorem, ut hebræa vox ſonat; imò non oculis ſolùm vide quas profundo, *ſed auribus percipe lacrymas meas.* v. 16. cum ejulatu, & ſingultibus, qui objectum auditus ſunt, atq; ita mox exaudi, ut non diu differas reſponſum, & cunctando *ne ſileas*. In quo autem tam properè exaudiri vult? Nempe ut menti ſuæ occurrat illud:

Quoniam advena ego ſum apud te, ſicut omnes Patres mei. v. 17. ſuccurrat, inquam, mihi quod non habeam hic manentem civitatem, ſed velut advena, & peregrinus in hac vita tendam ad civitatem ſupernæ Hieruſalem, quæ eſt patria, imò mater noſtra. Quo ergò deſiderio exul, & peregrinus ad patriam, quo affectu jam dudum peregrè abſens filius ad conſpectum matris aſpirat, & ſuſpirat: eodem ego ad cœleſtem patriam deſidero, affectúq; feror, id; exemplo SS. Patriarcharum, ſeu *ſicut omnes Patres mei*, qui vitæ hujus pertæſi ad terminum ejus, patriámq; cœleſtem, & ad te Deum ſuum ſuſpirarunt.

Quò, ut tantò ſecuriùs, confidentiùs, & latiùs mox proficiſcar, id, quod omninò neceſſarium eſt flagito: *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam*, dimitte, inquam, mihi peccata mea, ut ante diſceſ-

ſum ex hac vita. 1. Cognoſcam peccata mihi eſſe remiſſa, itaq; refrigerer, ut cum ſolatio, & confidentiâ hinc emigrem, vel, ut S. Hieron. vertit, *parce mihi, ut rideam antequam vadam*: jure enim meritò cum gaudio quaſi ridens emoritur, qui nullius delicti conſcientiâ preſſus, ex hac vita diſcedit, niſi enim tu ea prius remiſeris, non ibo ad requiem, ſed ad carcerem. Dic ergò animæ meæ, quod Magdalenæ pœnitenti: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* Luc. 7. *prius quam abeam, & amplius non ero.* v. 19. *peregrinus* videlicet, *hoſpes, & advena, ſed civis Sanctorum, & domeſticus Dei.* Eph. 5.

Affectus tædii vitæ huius, & deſiderii cœleſtis.

Ex Medit. S. Auguſt. c. 21. & 22.

„ HEu! quàm me tædet, Domine, vitæ hujus, & iſtius ærumnoſæ „ peregrinationis! Vita hæc, vita miſera, vita caduca, vita incerta, „ vita laborioſa, vita domina malorum, regina ſuperborum, plena mi- „ ſeriis, & erroribus, quæ non vita dicenda, ſed mors, in qua momentis „ ſingulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diverſis generibus „ mortium. Contra, O tu vita, quam præparavit Deus iis, qui dili- „ gunt eum, vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita pul- „ chra, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, neſcia „ triſtitiæ, vita ſine labe, ſine dolore, ſine anxietate, ſine corruptione, „ ſine perturbatione, ſine varietate, & mutatione. Vita totius elegan- „ tiæ, & dignitatis pleniſſima, ubi non eſt impugnans, ubi nulla peccati „ illecebra, ubi eſt amor perfectus, & timor nullus, ubi dies æternus, & „ unus omnium ſpiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ „ cibo, mens ſine defectu ſatiatur. Utinam conceſſa mihi peccatorum „ venia, moxq; hac carnis ſarcina depoſitâ in tua gaudia, veram requiem „ habiturus intrare quantocius liceret.

ORATIO.

POne Domine greſſibus, oríque meo cuſtodiam, ut non exerrem à felici meta in via vitæ hujus, notum fac mihi finem meum, ut ſciam, quid deſit mihi. Cognitáq; vitæ hujus brevitate, vanitate, & afflictione, vel ut peregrinus, & advena ſuper terram aſpirem ad Cœleſtem Hieruſalem patriam, & Matrem noſtram. Atq; remiſſionis peccatorum meorum gratiâ impetratâ refrigerer, quo tanto lætiùs ſecuriúsq; ea potior Amen.

IN PSALMUM XXXIX.

Expectans expectavi Dominum, &c.

MEDITATIO XLII.

Gratia pro gratia, & beneficio Redemptionis.

Argumentum Pſalmi.

Non improbabiliter quidem, etiam ex recentiorum mente, ſenſu hiſtorico, & literali de ipſo David Pſalmus ſcriptus videtur, ut titulus præ ſe fert, eo quod ingenti periculo Dei ope liberatus, pares gratias nullatenus ſe reddere poſſe fateatur, niſi perfectâ legis, voluntatiſq; divinæ obſervatione, ad quæ ſe offert, gratiámq; flagitat. Unde etiam (ſenſ. mor.) cuivis Juſto erepto è periculis ſuis accommodari, velut gratiarum actionis forma non difficulter poteſt. Tamen perpensâ SS. PP. Ambr. Aug. Hieron. Euthym. imò ipſius Apoſtoli Hebr. 10. expoſitione, rectius de Chriſto ipſo Prophetico, & à S. Spiritu primario intento ſenſu intelligendus eſt (cui non minus titulus *in finem*, vel *pro victoria*, & *David* de more quadrat) qui vel ſua in perſona poſt Reſurrectionem Deo gratias agat, enumerans ſeriem myſteriorum vitæ, paſſioniſq; ſuæ; Vel in perſona corporis myſtici, Eccleſiæ nomine partim gratias agit initio Pſalmi: partim ſuo deinceps, & in decurſu ejusdem ſeipſum, abolitis ſacrificiis Leg. Veteris in hoſtiam offerens, contraq; hoſtes, quorum excidium prædicit, Divinam aſſiſtentiam implorans. Ad quem nos ſenſum præcipuè hac in meditatione quoq; reſpiciemus.

Punctum I.

COnſidera, quàm meritò Deo gratiæ agantur ſive ab Eccleſia ipſa, ſive à Chriſto ejus nomine, (ſiquidem primos verſus Pſalmi in perſona Eccleſiæ ſcriptos, & velut vocem ejus accipiamus) ſive à quovis alio ex diuturnis miſeriis erepto.

Et primò ab Eccleſia quidem. Ut quæ tanto tempore adventum libe-

liberatoris ſui è tot, tantiſq; malis, in quæ per peccatum Adami inciderat, deſiderarit, & expectarit, atq; tam vehementi ſine intermiſſione deſiderio, quod hâc phraſi hebræa v. 1. explicatur: *Expectans expectavi Dominum*, nempe ſupra 4. annorum millia, quibus tum per Patriarchas, tum per Prophetas, tum per figuras, tum per alia oracula illi promiſſa liberatio fuit, donec tandem, *& intendit mihi.* v. 1. *ſeu inclinatus ad me* eſt, juxta S. Hier. ſcil. per adventum, & Incarnationem ſuam ad prædicationem Evangelii. Quo documento erudimur, magno non magis deſiderio, quàm æquitate animi, & longanimitate tolerare dilationem auxilii. Expectat autem hoc modo, qui neq; locum neq; tempus, neq; modum opitulandi Deo præſcribit, ſed omnia relinquit in illius arbitrio, perſuaſiſſimum habens ſe tandem auditum iri. Subditur v. 2.

Et exaudivit preces meas, lectio alia, *clamorem meum*, ideò nempe, vel quia ex profundo lacu pleno tumultus fiebat, (ut mox additur) atq; ideò contentâ voce opus erat, uti etiam Pſ. 129. indicatur. *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Vel ad ſignificandum orationis fervorem, quæ non remiſsè, ſed magnâ contentione, non tam vocis, quàm affectûs factâ ſit. Effectum addit:

Et eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, alii, *de lacu ſonitûs*, & *tumultûs*, vel *ſtrepente*, legunt ex Hebr. Quibus elegantiſſimè deſcribitur magnitudo miſeriarum, & perturbationum, quibus obruti, & infixi hærebamus per ſimilitudinem laci profundi tenebroſi, luto putrido pleni, in quem multi prolapſi, ex quorum ejulatu, & motu ſtrepitus, tumultûsq; lamentabilis exiſtat, quem Lxx. miſeriam meritò appellaverunt. *Et de luto fecis*, vel limi, id eſt, ex profundiſſimo limo terrenorum, & carnalium deſideriorum idololatriæ, ignorantiæ, impietatis, aliorúmq; ſcelerum, quibus tenaciſſimè agglutinabar, profundiſſiméq; immergebar deſperatus. *Impius enim cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* Prov. 18. Ex hujus luti, limiq; profundiſſimâ voragine, in qua nec conſiſtere, nec caput attollere poteram, non ſolùm eduxit me, *ſed & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* v. 3. id eſt, in loco tutiſſimo, qualis eſt arx in petra exſtructa, liberrimi, ſaluberrimíq; aëris; in Chriſto, inquam, *petra autem erat Chriſtus.* 1. Cor. 10. ejúsq; ſanctiſſima, doctrina, Evangelio, & vitæ exemplis me conſtituit, inibiq; conſiſtens greſſus direxit: ſenſus ſcil. & ap-

petitus, qui à via recta ad Cœlum, in qua per creationem à Deo poſiti erant, deflexerant, & in barathrum vitiorum proruerant, in viam doctrinæ Chriſti, vitæque exemplorum reduxit, qui *via veritas, & vita* dicitur. Joh. 14. atque direxit (ut alia habet) ſtabilivit, ita ut ſecuro, & inoffenſo pede ambularem viam vitæ hujus poſſim.

Et immiſit in os meum canticum novum, care (ſeu laudem) *Deo noſtro.* v. 4. nempe, vel ſuppeditando novam mihi divinæ bonitatis, & miſericordiæ laudandæ materiam, vel efficiendo, ut non jam amplius, tanquam vetus homo, vetera terreni amoris cantica, ſeu ſonos turpes, & theatrales concinam, ſed *renovatus ſpiritu mentis meæ, ac novus Homo per Chriſtum hæc vetera de ore meo recedere faciens*, canticum novum amoris Dei decantem, & in Dei viventis hymnis, per harmoniam mentis delecter, *quod novum carmen Deo noſtro* jucundiſſimum eſt.

Idcircò *videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino.* v. 5. multæ ſcil. gentes, & regna annunciatam veritatem Evangelii, & mirabilia hæc, quæ mihi acciderunt per apoſtolicam prædicationem agnoſcent, & Deum timebunt, ac reverebuntur, ipſiúsq; Bonitati, ac Miſericordiæ confident, quæ ſalutis conſequendæ prima quaſi principia ſunt, ut per gratiæ cœleſtis radios homo illuſtratus, & ſtatum peccati miſerrimum perſpiciens exhorreſcat, & liberatorem, qui ex illo eruere eum poſſit, velitq; agnoſcat, & in illum cum reverentia, & filiali timore confidat. Verè enim

Beatus vir ille, & felix anima, *cujus eſt nomen Domini ſpes ejus*, id eſt, cujus ſpes eſt Dominus (pro quo nomen Domini ponitur. Particula enim (*ejus* redundat hebraiſmo) alii legunt, *qui poſuit Dominum confidentiam ſuam.* Cui velut firmiſſimo fundamento innitatur ſpe ſtabili. Nam ſpes quaſi ſtabilis pes nonnullis dicitur: *& non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*, id eſt, in res vanas, & ſtultitias, imaginationésq; fallentes, qualia ſunt, auxilia creaturarum vaniſſimarum, & fallacium, quæ ſalvare non poſſunt, ut ſibi tamen imaginantur homines vani, & ſtulti. Unde S. Hieron. ex Hebr. vertit, *qui non eſt converſus ad ſuperbias, pompáſq; mendacii.* Alii legunt, *qui non reſpexit ad ſuperbos, & declinantes ad vanitatem.*

Per has vanitates, & inſanias falſas SS. PP. nonnulli intelligunt Ido-

Idola, & edita ab iis oraculorum vaticinia, alii obſervationes aſtrologicas, necromanticas &c. ſed alii melius, ut inſinuatum eſt generaliter omne auxilium, quod extra Deum à creaturis quæritur, ſive hominibus ſive rebus aliis, *quæ inſaniæ* dicuntur, quod circa illa ſtulteſcant homines, *& falſæ*, vel fallentes, eo quod decipiantur ab iisdem, & ſpe ſuâ fruſtrentur.

In confirmationem porrò verſus præcedentis, quo beatum virum illum prædicat, qui repudiato creaturarum auxilio ſpem omnem in Deo fixam habet admirans Dei bonitatem, quàm jam, inde ab origine mundi impios, confidentésq; Deo ejusmodi demonſtravit, ſubjungit: *Multa feciſti tu Domine Deus mirabilia tua* q. d. admiranda prorſus ſunt opera tua, eáque quàm plurima, quæ exhibuiſti in te ſperantibus omni tempore, *& cogitationibus tuis non eſt, qui ſimilis ſit tibi* v. 7. & in adinventionibus divinæ providentiæ tuæ circa illos, non eſt, qui vel comparari, nedum æquari poſſit (deficit enim ly) (*in*) vel redundat ly (*tibi*) hebrais. *Annunciavi, & locutus ſum*, enumerando, & enarrando mecum adinventiones illas tuas admirabiles erga juſtos, verùm, *multiplicati ſunt*, (ſcil. διαλογισμοὶ ſeu cogitatus, nam ad hanc vocem græcam latinus reſpexit addendo adjectivum maſculinum ſubſtantivo fæminino ut romana correctio notat,) *ſuper numerum* ſeu innumerabiles, inexplicabiles, & humano intellectui inſcrutabiles ſunt, ut exclamare cum Apoſtolo liceat. Rom. 11. O *altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibiila ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.*

Atq; hæc de perſona Eccleſiæ.

Jam verò ſi gratiarum actio iſta Chriſto ipſi quaſi propria in perſona facta attribuatur; rectè dici poteſt Chriſtum ab inferis reſurgentem Patri pro glorioſa poſt paſſionem, & mortem ad vitam revocatione gratias agere, repræſentatâ eidem Patri æterno parte reliquâ Pſalmi, paſſionis ſuæ ſerie cum adjuncta deprecatione pro ſe, & corpore ſuo myſtico, quâ uſus fuerat, dum in media morte verſaretur, eo ferè modo, quo Pſ. 22. dictum eſt, ita tamen, ut ſicut Pſalmus 22. primo loco implorationem auxilii continet, ultimo verò gratiarum actionem, ita hic primo loco gratiarum actionem habeat, ultimo verò implorationem auxilii contra hoſtes. His ergò verſibus ob adeptam, & tantâ patientiâ, & longanimitate in vita, paſſione, & morte expectatam, & pro-

meritam tot laboribus, cruciatibúsq; corporis Reſurrectionem, & gloriam gratias agens. *Expectans*, inquit, *expectavi*, ſummo deſiderio, & patientia *Dominum* reſuſcitatorem, & glorificatorem meum, *& tandem intendit mihi, & exaudivit preces meas*, de quibus Hebr. 5. *qui in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationésq; ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quorum effectus ſubditur, *& eduxit me de lacu miſeriæ*, ab inferis ſcil. & ex ſepulchro, *& de luto fecis* conſervando corpus meum à corruptione, juxta quod S. Petrus Act. 2. illud Pſalmi 15. explicat, *quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feciſti vias vitæ*, dum ſcil. ut ſequitur, *ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.* v. 3. revocando me ad vitam per reſurrectionem à mortuis, & ſtabiliendo in gloria nunquam interitura. Nam *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usq; in finem. Et immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro.* v. 4. *Etenim propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua inſuper, & caro mea requieſcet in ſpe.* Ut S. Petrus Spiritu S. repletus in Pentecoſte, eodem ſenſu divino hæc Chriſto attribuit, poſtquam dixiſſet: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum*, &c. Cujus etiam gloriæ, & reſurrectionis fructus præcipuus ad Chriſti membra tranſiturus eſt ſpes reſurrectionis noſtræ. *Videbunt* enim *multi*, & *timebunt* filiali timore, *& ſperabunt in Domino.* v. 5. ſimilem expectantes reſurrectionem, & gloriam. Atq; adeò *Beatus vir, cujus nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas*, vel idololatriæ, vel mundani amoris, ut ſupra explicatum eſt. *Quibus* propterea *diligentibus ſe præparavit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.* 1. Cor. 2. ut ſeq. v. 7. & 8. dicitur.

Multa feciſti tu Domine Deus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt, qui ſimilis ſit tui.

Affectus gaudii, gratiarum actionis ſpei, &c. in textu poſiti ad ſenſus expoſitos accommodati.

Pun-

Punctum II.

EXpende altitudinem, & magnitudinem beneficii Redemptionis, cujus ſeriem Chriſtus æterno Patri repræſentat. Et quidem ſi cum Bellarmino verſus præcedentes 7. & 8. ad hanc partem revocemus primum in genere: *Multa tu Domine Deus feciſti mirabilia tua*, tum in omnibus tam multis, támq; variis, tum præſertim in beneficio Redemptionis generis humani, *& cogitationibus* (profundiſſimæ prædeſtinationis, & providentiæ tuæ) *non eſt qui ſimilis ſit tui*, in communicando te hominibus tam admirabili modo.

Annunciavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum, id eſt, quæ licet annunciare, & deprædicare mundo voluero, non invenio ordinem coram te (ut alia lectio habet) ſive numerum, ut nec initium eorum, nec finem ſit reperire.

Eſt enim illud Redemptionis humanæ profundiſſimo Conſilio tuo præordinatum beneficium à me perficiendum, compendium, & coronis cæterorum omnium. Etenim ſpecialius, & magis particulatim id recogitando, quid eſt admirabilius, & excelſius, quàm verbum divinum, & Deo conſubſtantialem, unigenam filium ſe ipſum exinanire, ut S. Paulus loquitur ad Phil. 2. & *formam ſervi*, humanámq; naturam aſſumere, in eáq; pro reparatione humani generis, & peccati abolitione, humillimè ſupplicem Deo fieri, *obedientémq; uſq; ad mortem, mortem autem Crucis?* quod admirabile myſterium ſeqq. vv. per linguam Davidis Chriſtus exponit.

Sacrificium alii *victimam*, S. Paulus Hebr. 9. *hoſtiam, & oblationem noluiſti* aliam pro peccato generis humani, & ut illud educatur *de lacu miſeriæ, & de luto fecis.* Nam impoſſibile erat, ſanguine hircorum, & vitulorum aufferri peccata. Hebr. 10. *Aures autem perfeciſti mihi* ad obediendum præcepto æterni Patris moriendi pro homine; Vel, ex græco communiùs apud SS. PP. & S. Paulum, Hebr. 10. *corpus autem perfeciſti*, ſeu *aptaſti* mihi. Vide Bellarm. hic. Vel, ex hebr. *aures autem perfodiſti mihi*, quaſi ſubula pro veteri more. Exod. 21. & Deut. 15. conſecrando me tibi hoc ritu in ſervum æternum, de qua ſervitute Chriſti latiùs Theologi, & ſacræ literæ alibi. *Helocauſtum*, quo tota victima cremebatur, pelle exceptâ, & *hoſtiam pro peccato* expiando, *non poſtulaſti*, ſed meipſum, qui per obedientiam usq; ad mortem in Cruce,

Cruce,& ſacrificium,& hoſtiam vel oblationem,& holocauſtum me Patri offerrem, omnes enim (ut S. Leo ſermon. 8. de Paſſ.) differentias ſeu genera hoſtiarum una corporis, & ſanguinis Chriſti implet oblatio. *Tunc*, hoc decreto voluntatis tuæ cognito *dixi*: *Ecce venio*. v. 10. ad aſſumendam humanam naturam, in eáque moriendum. Atq; ita ſanctificandos homines, hæc enim Dei voluntas erat, ut locum hunc explicat S. Paul. Heb. 10. ubi poſtquam hæc verba citâſſet, addit: *in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis JESU Chriſti* ſemel.

Etenim *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam*. v. 11. q. d. ita enim de me perhibent ſcripturæ, ut per illud *in capite* &c. non ſignificetur tantùm initium ſcripturæ veteris, ſeu libri primi Geneſis *in principio*, id eſt, filio, *creavit Deus* Cœlum, & *terram*: Vel ut Ambroſius intelligit iſta: *hoc nunc os ex oſſibus meis* quod Apoſtolus Eph. 5. vocat *ſacramentum in Chriſto, & Eccleſia*. Ne illud principium pſalmorum, ex Pſal. 1. *Beatus vir, qui non abiit* &c. vel illud ex eodem Pſal. 1. autore S. Auguſt. *in lege Domini voluntas ejus* &c. Nec initium Evangelii S. Joannis. *In principio erat verbum, & verbum caro factum eſt*, ut S. Hieron. & Chryſoſt. Nec initium, ſeu caput libri vitæ, *qui eſt* apocalypticus ille *liber involutus, & clauſus*. Apoc. 5. Nec principium, & caput libri decretorum Dei: Eſto hæ explicationes piæ, doctæq; ſint omnes, ſed ſimplici ſenſu literali, ſumma totius ſcripturæ veteris præſertim, quæ tota de Chriſto, ejúsque adventu, paſſione, & morte eſt. Juxta quod Chriſtus Luc. ultimo ait: *Oportet impleri, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & pſalmis de me, ſicut ipſe ibid. interpretabatur diſcipulis duobus, in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant, incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis*: Caput enim idem eſt, quod ſumma, & quaſi recapitulatio quædam. Et favet hebræus, qui pro capite habet, *in volumine* ſcil. toto ſcripturarum, ſcriptum eſt.

Et mox converſus ad Patrem, *Deus meus volui*, inquit, decretum tuum libentiſſimè acceptare, *& legem tuam in medio cordis mei* poſui, ut rebus illud omnibus anteponam, quod proprium juſtorum eſt, de quibus Pſ. 36. dicitur: *Os juſti meditabitur ſapientiam*, & *Lex Dei ejus in corde ipſius*, imò in medio cordis, ad Chriſti capitis ſui imitationem, adeóque in medio memoriæ, ut ejus ſemper meminerit, in medio intellectus, ut in ea *meditetur die ac nocte* Pſ. 1. in medio voluntatis, *vel in*

lege

lege Domini voluntas ejus. ibid. ut eam præ rebus omnibus amet,& concupiſcat, dicátq; cum Pſalte: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? Totâ die meditatio mea eſt.* Pſ. 118.

Poſt promptam hanc acceptationem ſequitur ſtrenua, fidelíſq; executio. Cujus actus, & munus primum eſt Annunciatio, vel prædicatio Evangelii: *Annunciavi juſtitiam tuam in Eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti.* v. 12. Etſi præcipuum mandatum, quod filio ſuo æternus Pater dedit, illud extitit, ut morte ſuâ genus humanum redimeret, voluit eum nihilominus etiam eſſe inſtructorem, & Doctorem noſtrum, idq; tum verbo, tum exemplo, ut ſic eſſet, quod de ſe edixit. Joh. 14. *Via, veritas, & vita.*

Hoc munus à prima nativitate exorſus eſt, quando cum eo prædicavit ipſum ſtabulum, & panni, & præſepe pœnitentiam, abſtinentiam, humilitatem, mundíq; contemptum non tam verbis, quàm factis. Nam *cœpit Jeſus facere, & docere.* Act. 1.

Munus verò prædicandi ſermone, & verbis exequi cœpit à ſuſcepto in Jordane baptiſmo, atq; id authoritate Patris cœleſtis. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. & Luc. 3. continuavitq; usq; ad mortem.

Porrò prædicationis ipſius materia, & objectum, locúsq; additur: *Annunciavi juſtitiam tuam,* ſive, quia tu juſtus es, ſive, quia juſtificas alios, ſive quam exerces in promiſſis, retribuendo juſtis præmium; impiis pœnam, juxta ſingulorum merita: Vel Legem Evangelicam, fidemq; in Chriſtum, quæ juſtificat, de qua S. Paulus in Epiſtola ad Romanos profundè diſputat. *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum,* &c. Rom. 3.

Locus prædicationis eſt *Eccleſia magna*, ſeu conventus frequentiſſimus, & ampliſſimus: totus, inquam, terrarum orbis, vel Eccleſia novæ legis toto orbe diffuſæ per omnes gentes, non ſolius Judææ arctatæ terminis, ut Synagoga, in qua ſive per ſe, ſive per ſuos Apoſtolos, Apoſtolicosq; viros annunciavit Evangelium novum: *nam in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſ. 18. *Ecce labia mea non prohibebo* in prædicando usq; ad conſummationem mundi per ſervos, & Sanctos meos, quæ labia mea ſunt, cujus tu mihi teſtis es, *Domine tu ſciſti,* pro ſcis, (præterito pro præſenti poſito hebraiſmo) vel noſti, ut alia habet.

Hanc *juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo*, ut vel ullo metu, vel alio reſpectu humano retardatus eam diſſimularem, quin palàm potius liberriméq; omnibus evulgavi.

Veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. v. 13. te veraciſſimum, & fideliſſimum eſſe comprobavi Judæis, gentibúsq; omnibus, eò quod promiſeras unigenitum filium è Cœlo te miſſurum eſſe, qui mortales miſeros è ſervitute peccati, & Dæmonis ereptos ad veram libertatem; & ex tenebris ad lucem fidei traduceret. Ad quod præſtantiſſimum munus exequendum Chriſtus ſe veniſſe, & verbis, & factis mirabilibus teſtatus eſt Judæis ſæpiſſimè, ſicq; veritatem, veracitatémq; Dei, & ſalutare ejus, ſeu Salvatorem mundi, adventúmq; ejus luculentiſſimè illis demonſtravit.

Non malè etiam per veritatem, & ſalutare intelligas cum Bellarm. juſtitiam, & miſericordiam, quæ eſt in ipſo Deo. Quæ tamen melius ſequenti verſiculo quadrat.

Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem à Concilio multo. v. 14. De infinita enim miſericordia Dei, quam in beneficio redemptionis præſertim nobis exhibuit, clariſſima elogia ſunt à Chriſto in Evangelio deprædicata, ut Joh. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam; non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum*, &c. ibidémq; & illud: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* De juſtitia autem Mat. 24. ubi everſionem templi, civitatíſq; Hieroſolymitanæ ob infidelitatem Judæorum juſto Dei judicio eventuram prædicit, extremíq; temporis graviſſima mala, tandémq; judicium ſupremum, ejúſq; proceſſum denunciat, quibus accedunt parabolæ zizaniorum. Mat. 13. Decem virginum, & decem talentorum. Mat. 24. ibidémq; judicium extremum, & cauſæ præmiationis bonorum, ac punitionis malorum. Juſtitiam deniq; quæ extra Deum in nobis, actionibúſq; noſtris eſſe debet. Mat. 5. 6. 7. & alibi palàm, copioséq; edocuit tum coram Apoſtolis, tum apud multitudinem populi, & *in concilio multo.*

Hactenus de primo munere prædicationis, tanquam Magiſtri, & Doctoris noſtri. Sequentibus de altero, eóq; præcipuo Liberatoris, & Redemptoris noſtri officio, & executione, per paſſionem, & mortem Patrem interpellat.

Pro

Pro quo utpote difficillimo, maximeq; arduo, auxilium primò à Deo efflagitat v. 15. *Tu autem Domine, ne longè facias miſerationes tuas à me: Miſericordia tua, & Veritas tua ſemper ſuſceperunt me.* q. d. vides æterne Pater in quantam calamitatem paſſionis, & mortis inciderim, eò quod prædicaverim veritatem, & ſalutare tuum, & non abſconderim miſericordiam, *& veritatem tuam:* ideò ne differas miſerationes tuas ſuccurrendo mihi, & à morte me liberando per glorioſam reſurrectionem quàm celerrimè. Sicut hactenus *miſericordia, & fidelitas tua*, velut certiſſimum perfugium exceperunt me. Vel juxta aliam: *Miſericordia tua, & veritas tua cuſtodiant* me, quam annunciavi, & deprædicavi, vel, ut alia habet, *ſervabunt me*, quaſi certâ ſpe confidat id futurum infallibiliter.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ; & non potui, ut viderem. v. 16. quibus, quæ Pſalmo 21. magis ſpeciatim, & particulatim deſcripſit; mala culpæ, & pœnæ in ſe denſo agmine irruentia, hic generatim perſtringit.

Et culpæ quidem, non à ſe commiſſæ (hanc enim cadere in Deum impoſſibile eſt) ſed in ſe ſuſceptæ, & à ſe eluendæ, quas *ideò iniquitates ſuas* nominat innocentiſſimus Dominus, juxta quod S. Petrus benè dicit 1. Pet. 2. *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus, peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitia vivamus.* Cum enim, ut S. Paulus 2. Cor. 5. ait: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, Deus Pater, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Id quod Eſaias longè ante prædixerat cap. 53. *Omnes nos quaſi oves erravimus; unusquiſq; in viam ſuam declinavit; & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* Et quia iniquitates illæ, quæ ipſum comprehenderunt, tum magnitudine, ac gravitate propter offenſam infinitæ Majeſtatis Dei, tum multitudine quodammodo infinitæ erant, quæ ab humano intellectu comprehendi non poſſent, benè addit humano modo loquendi noſtro; *Et non potui, ut viderem:* ſeu, ut alia habet, *non potui videre*, multitudinem ſcil. gravitatémq; iniquitatum in me ſuſceptarum. Nam quia ſimul Deus erat, noverat accuratiſſimè ſine dubio numerum omnium, ſive præteritorum, ſive præſentium, ſive futurorum peccatorum.

Atq; idcircò Mala pœnæ, ut commenſurata, proportionatáq; eſſent, fuerunt etiam plurima, graviſſimáque, hinc ait: *Circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus*, & v.17. ſequenti: *Multiplicata ſunt ſuper capillos capitis mei*: & ideò obrutus quaſi ſuppliciorum acerbiſſimorum tantâ copiâ, & gravitate defeci, ſive per mortem in cruce derelictus à Deo, ſive per agoniam in horto, *& cor meum dereliquit me*, ſeu contabuit in me omnis vigor, & virtus cordis, imò & ipſa me vita defecit.

Affectus gratiarum actionis pro beneficio redemptionis, ex S. Anſelmo l.1.c.5. medit. de redempt. generis humani.

„ ECce anima Chriſtiana, hæc eſt virtus ſalvationis tuæ, hæc eſt cau-
„ ſa libertatis tuæ: hoc eſt pretium redemptionis tuæ: captiva eras,
„ ſed hoc modo es redempta: ancilla eras, & ſic es liberata. Sic es exul
„ reducta; perdita, reſtituta, & mortua, reſuſcitata. Hoc mandat ho-
„ mo, hoc ruminet, hoc ſugat, hoc glutiat cor tuum, cum ejuſdem Re-
„ demptoris tui carnem, & ſanguinem accepit os tuum. Hoc fac in hac
„ vita quotidianum panem, & victum, & viaticum tuum: quia per hoc
„ & non niſi per hoc, & tu manebis in Chriſto, & Chriſtus in te, & futu-
„ ra vita erit plenum gaudium tuum.

Punctum III.

EXpende orationem Chriſti, quam ſive pro ſe, & in propria perſona, ſive potiùs pro Eccleſia, ejúsq; fidelibus, & membris ſuis adjuvandis, & liberandis ad Patrem fundit reliquis verſibus:

Complaceat tibi Domine, ut eruas me, vel à morte per celerem reſurrectionem, tótq; ſuppliciis, quæ circumdederunt me, vel membra, & fideles meos ab hoſtibus tam viſibilibus, quàm inviſibilibus, aliíſq; calamitatibus, ſeu corporis, & temporalibus, ſeu animi, & ſpiritualibus, quibus conflictantur.

Domine ad adjuvandum me reſpice, ſereno, placatóq; vultu benignitatis tuæ. Tuus enim aſpectus præſidium, & ſalus noſtra eſt, vel juxta Hebr. *ad adjuvandum me feſtina.* Ut *confundantur* ſpe ſuâ fruſtrati, *& revereantur ſimul omnes, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.* v. 19. quæ prophetica imprecatio eſt, & partim accidit in reſur-

reſurrectione Chriſti, quando Judæi eum, cujus animam, & mortem tam impotenter quærebant, quémq; in crucem ſuffixum lætabantur, & jam mortuum ſibi gratulabantur, paulò poſt glorioſè reſurrexiſſe, & prodigiis maximis reſurrectionem, & fidem Chriſti confirmari, crediq; à populis ſumma cum confuſione ſua cognoverunt: partim eveniet, cum multò majori ignominiâ, pudoréq; repleti, eum, quem in concilio ſuo falſò accuſatum injuſtè condemnarunt, in die noviſſimo Judicem ſuum juſtiſſimum conſpicient, & reverebuntur.

Convertantur retrorſum, in fugam, re infectâ, conjecti, *& revereantur*; ſeu (ut alia) ignominiâ afficiantur, aut *confundantur, qui volunt mihi mala*. v. 20. vel membris meis: quibus ad confirmationem majorem jam dicta repetuntur; quanquam alii cum S. Auguſt. in ſenſum pium hæc deflectant, ut nimirum à cœpta via mala retrorſum abeant, & in meliorem revertantur cum reverentia, & timore ſalutari; ſed priorem explicationem confirmat verſus ſequens 21. *Ferant confeſtim confuſionem ſuam*, (ſeu ut alia) *pereant poſt confuſionem ſuam*, ſeu *deſolentur*, (ut alii) *pro retributione confuſionis ſuæ*, id eſt, ſuſtineant pœnas ignominiæ, & confuſionis, quâ me affecerunt, qui *dicunt mihi, Euge, Euge*, ſive *Vah! Vah!* juxta Hebr. ut Chriſto in cruce Judæi inſultabant, *Vah! qui deſtruis templum Dei*. Marc. 13. quæ irridentium, & inſultantium voces ſunt. Etſi ironico ſenſu Euge ſumatur, quod alias laudantis, vel adulantis, & adhortantis eſt interjectio.

Contra verò *exultent, & lætentur ſuper te*, in gratia, favoréq; tuo *omnes quærentes te*, vel gloriam tuam, *& dicant ſemper: Magnificetur Dominus*, non ſibi, ſuiſq; viribus, ſed nomini tuo gloriam tribuendo, *qui diligunt ſalutare tuum*, id eſt, Salvatorem, quem miſiſti Dominum Jeſum Chriſtum, aut etiam ſalutem ſuam, quæ à te eſt, æternam ſcilicet, quam tu ſolus dare potes.

Contraria precatio prophetica eſt pro Sectatoribus & membris ſuis, quibus prædicit gaudium, & exultationem in Deo inenarrabilem, ſalutémq; ſempiternam.

Atq; ut hæc tantò efficaciùs pro ſe, ſuiſq; impetret, concludit orationem inſigni cum actu confidentiæ in Deum, præmiſsâ ſui humiliatione, ac diffidentia. *Ego autem mendicus ſum* quidem, *& pauper*, afflictus unicè, & omni humanâ ope deſtitutus, nudus in cruce pendens, *Dominus* tamen *ſolicitus eſt mei*, vel ut Hebr. *cogitat pro me*. v. 13. Ideò

adjutor meus, & protector meus es tu Deus, ne tardaveris. q. d. etſi deſolatiſſimus ab omni creatura, omniq; ſpe ſolatii humani percipiendi, orbatus in cruce moriar, nec cujusquam in mentem de me juvando cogitatio veniat. Tuam tamen pro me curam providentiam ſollicitam perſpectam habens. Certiſſima ſpe fretus ſum, adjutorem in præſenti, & protectorem in futuro te meum, meorúmq; fidelium fore, quam mihi paternam opem ut acceleres filiali affectu rogo.

Affectus gratiarum actionis, oblationis, & petitionis. Ex cit. Anſel. cap. 8.

„ ECce omnipotens Deus Pater, Domine mi, dilectus filius tuus, gratiſſima victima per obedientiam tibi factus, meam participavit „ humanitatem, ut curaret infirmitatem, quatenus unde culpam emi- „ ſerat offenſionis, inde tibi immolaret ſacrificium laudis: ecce ſpes mea; „ ecce tota fiducia. Si me pro mea, ut dignum eſt, deſpicis iniquitate; „ reſpice ſaltem miſertus in me pro dilectæ ſobolis charitate: in filio at- „ tende, quod propitieris in ſervo: vide carnis ſacramentum, & carnis „ remitte reatum: recole quod bonus perpeſſus eſt filius, & obliviſcere, „ quod malus operatus eſt ſervus. Quoties beatæ prolis ſaucia tibi pa- „ tent vulnera, deliteſcant obſecro vulnera mea. Et quia te caro laceſſi- „ vit ad iram, caro te inflectat precor ad miſericordiam: Ut ſcilicet ca- „ ro ſeduxit ad culpam, caro te ducat ad veniam; multum quidem eſt, „ quod mea meretur impietas, longè autem majus eſt, quod Redempto- „ ris mei poſcit pietas, magna enim eſt mea injuſtitia, multò verò ma- „ jor eſt Redemptoris mei juſtitia, &c.

ORATIO, *vel* SUSPIRIUM.

EXpectatio tuorum unica fidelium, Deus, erue nos à lacu miſeriæ, & de luto fecis peccatorum noſtrorum per eum, qui tibi gratior victima ſuper omnes oblationes, & holocauſta, faciendo voluntatem tuam, ut in capite libri ſcriptum eſt, extitit; ut in veritate, & juſtitia, quam nos verbo, & exemplo docuit, te quærentes, ejus paſſione, & meritis ab hoſtibus noſtris liberati, te adjutore, & protectore æternùm lætemur, & exultemus. Amen.

IN PSALMUM XL.

Beatus qui intelligit, &c.

MEDITATIO XLIII.

APPENDIX SUPERIORUM LUCTUOSA,

Seu

Erga CHRISTUM, tum in ſe, tum in membris patientem Compaſſio.

Argumentum Pſalmi.

Cum Chriſtus ipſe verſum 10. Pſalmi hujus de ſuo proditore ante paſſionem adducat Johan. 13. 18. ex textu hebræo, temerarium cenſet D. Chryſoſtomus aliter eum exponere, cui conſentiunt D. Ambr. Aug. & Hieron. Itaq; David in perſona Chriſti ſenſu à Spiritu S. primariè intento lugentibus ſecum benè precatur. Et contra queritur de Judæis, ac nominatim de Juda proditore. Quare non eſt, quod Davidi ægrotanti, de ſuis deſertoribus amicis, aut inſultantibus inimicis conquerenti tribuatur ſenſu lit. à nonnullis potius ſenſu morali, & accommodatio de Compaſſione Chriſti erga membra egena, & afflicta, explicari poſſet, maximè pro prima parte, quem ſenſum meditationis primo puncto attingemus.

Punctum I.

Conſidera Miſericordiæ, & Compaſſionis erga pauperem, & patientem Chriſtum, in ſe, membriſq; ejus præclaros fructus.

Poſt quod eâ præditi Beati dicantur, *Beatus qui intelligit ſuper egenum*, &c. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*, Matth. 5. in cujus miſericordiæ divinæ conſecutione ſalus, & beatitudo noſtra conſiſtit, &c. *Gratia* enim, ſeu miſericordia Dei (inquit Apoſtolus ad Eph. c. 2.) *ſalvati eſtis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Quan-

Quanquam executio miſericordiæ iſtius in conferenda beatitudine æterna, operibus miſericordiæ, non minus attribuatur Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, &c. *eſurivi enim*, &c.

Secundus. *In die mala liberabit eum Dominus*. v. 1. per diem autem malam intelligitur omne tempus aſperum, & calamitoſum, ſive paupertatis, & penuriæ; ſive morborum; ſive perſecutionum; aliarúmque afflictionum temporalium. Quod Pſalmus 36. ſupra explicatus etiam juſtis, miſericordibúsq; promittit; *non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur*. Potiſſimùm verò dies mala eſt dies judicii, ſive particularis, quod erit in ultimo mortis articulo, in quo à ſententia judicis infelice liberantur miſericordes, conceſsâ illis ante gratiâ contritionis, ac pœnitentiæ per abſolutionem peccatorum; ſive generalis in fine mundi, quando liberabuntur à terribili voce illa juſtiſſimi Judicis: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. ut memoratum paulò ante eſt ex Matth. 15.

Tertius. *Dominus conſervet eum, & vivificet eum, beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus*. v. 4. hæc vel declaratio ſunt diei malæ, quâ liberandum miſericordem ante dixit, vel conglobata plura beneficia particularia complectuntur, quæ aut apprecatur propheticè, aut appromittit miſericordiam ejusmodi exercentibus, ut ſcil. conſerventur à periculis, & calamitatibus iſtis, in quibus auxilio, ſolatióve aliis extitere. *Dominus conſervet eum*, ſcil. ut vivat, vitam non ſolùm incolumem, & longævam, verum etiam omni felicitatis genere affluentem; ut ſequitur: *Et vivificet eum, & beatum faciat eum*. Ut ne inimicorum ſuorum poteſtati, & libidini ſubjiciatur, ſive illi viſibiles, ac corporei ſint, ſive inviſibiles, & incorporei: qui ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, & Principes, Rectoréſq; tenebrarum harum appellantur ab Apoſtolo Eph. 6. quod eſt, & *non tradat eum in animam inimicorum ejus*.

Et quia mortalis hæc vita omnium ſubjecta morti eſt, morbóq; mortem præcedentibus. *Statutum enim eſt hominibus ſemel mori*. Heb. 9. Hanc omnibus fatalem calamitatum neceſſitatem ſingularibus, & ſolatiis curâ penè maternâ Deus allevabit, dolores mitigabit, & morbi, lectuliq; tædia conſolabitur. *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus*, quod ſuaviſſima allegoria, apoſtrophe ad Deum converſa,

exponit: *Univerſum ſtratum ejus verſaſti* (pro futuro, *verſabis) in infirmitate ejus.* v. 3. q. d. Cum vir pius in morbum fortè inciderit, nonne tu Deus ſuavis, & mitis, omnia illi officia, vel indulgentiſſimæ matris præſtabis, & tuis velut manibus lectum ejus verſabis, & reverſabis, atq; compones, ut mollius cubet, ſuaviúsq; quieſcat?

Quod de ſpiritualibus quoq; afflictionibus veriſſimum eſt. Sine quibus hæc vita non ducitur, imò iis viri pii maximè ſubjecti ſunt, *omnes enim, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patientur.* 2. Tim. 3. In his magnis eos ſolatiis piiſſimus Dominus perfundit, ut cum Apoſtolo dicant 2. Cor. 3. *Repletus ſum conſolatione ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Imò, ut egregiè S. Hieron. & Auguſt. exponunt, piorum ſtratum verſare providentiſſimus Deus, hoc ſenſu dicitur, ut res eas terrenas, in quibus pii quaſi conquieſcebant, & delectabantur, verſet, & removeat, ut ex amiſſione earum, quamvis licitarum conſolationum temporalium, diſcant in Deo ſolo quietem, ſolatiúmq; quærere, eíq; tantò arctiùs copulari, & inhærere. Quæ etiam cauſa eſt, cur viri ſancti non ſolùm tribulationes à Deo permiſſas, vel immiſſas cum amore, & gaudio excipiant, ſed ultrò etiam appetant, ſibiq; accerſant, ne quid fortè animus illorum in hoc mundo habeat extra Deum, in quo delectetur, & quieſcat, & quo cum perfectè erigi, exurgeréq; ad quærendum Deum non poſſit. Atq; hi fructus, & commoda ſunt, quæ vel exoptantur, vel appromittuntur ei, *qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*, id eſt, qui prudenter pauperum neceſſitates expendit, & afflictis magno cum affectu proſpicit, atq; opportunè ſubvenit, humanâ ope deſtitutis, iis præſertim, qui verecundiâ, & modeſtiâ præpediuntur, ut egeſtatem, afflictionémq; ſuam aliis innoteſcere palàm, juſtis de cauſis non velint. Ad quod S. Leo præclarè Serm. 4.
„ de collectis & eleemoſ. fideles hortatur ſequentibus: Hortamur San-
„ ctitatem veſtram, ut de facultatibus veſtris, quantum ſuadet poſſibili-
„ tas, & voluntas, expenſas miſericordiæ conferatis, ut poſſitis illam bea-
„ titudinem promereri, in qua ſine fine gaudebit, qui *intelligit ſuper*
„ *egenum, & pauperem.* Ad quem intelligendum, dilectiſſimi ſolicita
„ benignitate vigilandum eſt: ut quem modeſtia tegit, & verecundia
„ præpedit, invenire poſſimus. Sunt enim, qui palàm poſcere ea, qui-
„ bus indigent, erubeſcunt, & malunt miſeriâ tacitæ egeſtatis affligi,
„ quàm publicâ petitione confundi. Intelligendi ergò iſti ſunt, & ab oc-

„ culta neceſſitate ſublevandi, ut hoc ipſo amplius gaudeant, cum & „ paupertati eorum conſultum fuerit, & honori.

Atq; hæc de commiſeratione, & compaſſione erga membra Chriſti, de quibus ipſe ait: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 15. quamvis ſenſu minus principali iſta quidem; nam principaliori, & à Spiritu S. intento, ut dicebamus, ille pauper intelligitur, qui pauper pro nobis factus eſt, ut nos egeſtate ejus locupletemur; pauper non neceſſitate, ſed voluntate ſua: pauper foris, ſed ditiſſimus intus; utpote, *in quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* ad Col. 2. pauper in hoc mundo, & carne; ſed Rex ditiſſimus regni, quod non eſt de hoc mundo. Pauper in ſtabulo, & in Cruce; & ita pauper, ut non *haberet, ubi caput reclinaret.* Luc. 9. ſed ſimul Dominus univerſorum, & *Rex regum, Dominus dominantium.* Apoc. 9. Super hunc pauperem qui intelligit, hunc, qui attentè conſiderat, nudum in cruce pendentem, & ejus afflictiones, & cruciatus expendit, ut monet ipſe per Jer. Thren. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Et Apoſtolus ejus hortatur Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem adverſus ſemetipſum à peccatoribus ſuſtinuit contradictionem.*

Is ſanè beatus dicendus eſt, & cui fructus, atq; emolumenta ſupra appromiſſa, & expoſita multò majori jure conveniant, atq; debeantur. Infinitus enim theſaurus paratus eſt, hanc Chriſti paupertatem, & paſſionem, ut par eſt, meditantibus, & intelligentibus ſuper hunc egenum, & pauperem; ut mirum nemini videri debeat illud Alberti Magni pronunciatum, quod citant Granatenſ. de orat. prim. cap. ult. Lud. de Ponte 4. p. med. in introd. ante §. prim. Mauburnus in roſeto tit. 22. cap. 1. Camuſius Epiſcopus Bellicenſ. de paſſione D. Hom. 1. Ser. 4. & ante hos diſcip. Serm. 48. §. 9. *Illud*, inquam, *ſimplex recordatio paſſionis Chriſti plus valet, quàm ſi integrum annum jejunaret quis in pane, & aqua; vel ſi quotidiè virgis & flagellis cæderetur usq; ad effuſionem ſanguinis, vel ſi quotidiè legeret integrum Pſalterium.* Cauſam reddit „ pientiſſimus Ludov. Bloſius in Inſtit. ſpir. c. 6. quia: *Nullus omninò*, „ inquit, *poteſt aliquid de Domini paſſione humiliter legere, vel cogitare* „ (licèt modico fortè affectu id faciat) *quin eximium ſalutis fructum* „ *inde referat*; quemadmodum fieri nequit, ut qui Opobalſamum „ ſummis digitis contingit, non habeat eos Opobalſami liquore, atq; odore

„ dore perfuſos. Etiam ſi imago crucifixi Jeſu piè inſpicitur tantùm, „ non erit inanis hæc inſpectio.

Affectus amoris erga Chriſtum paſſum.

Agite ergò animæ Chriſtianæ, quæ Salvatorem veſtrum patientem, & crucifixum vos diligere putatis, heu! quàm raræ eſtis in recolendis SS. Paſſionis ipſius myſteriis! quàm parum animum veſtrum his meditandis intenditis, & ſacris ejus vulneribus cogitationes veſtras immergitis? *Et quanta tamen in foraminibus petræ hujus multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectióq; virtutum*, inquit, Doctor mellifluus Serm. 61. in Cant. agite, inquam, cum S. Mechtide lib. 1. Rev. c. 24. quam Chriſtus quotidiana meditatione ſua ſtigmata inhabitare volebat, crebrò vos in SS. hæc vulnera recipite, in iis quæ pedibus impreſſa ſunt, affectus veſtros collocate, in quibus expungentur; in vulnere manus dextræ opera veſtra, ut perficiantur: in ſiniſtra, afflictiones veſtras, ut conſolemini; in lateris vulnere amorem, córq; veſtrum cordi, amoríq; Chriſti uniendum conſtituite: intelligite ſuper hunc egenum & pauperem, ut æternis ab eo divitiis locupletemini, ut in die mala adverſitatum veſtrarum tum hujus vitæ vos liberet, tum poſt hanc vitam in die illa, quæ dicitur tremenda, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde, quando ſcil. Cœli movendi ſunt & terra, dum venerit Deus judicare ſæculum per ignem, uti præmonet Eccleſia, ut ſub ſignum filii hominis, quod apparebit, crucis, inquam, vexillum, veri amatores, contemplatoréſq; crucis, & paſſionis Chriſti ſecuri vos recipiatis, ut conſervet vos ſua in amicitia, eámq; amplificando vos vivificet per ſuarum influxum divinarum gratiarum, ac beatos tandem faciat hujus æternæq; vitæ beatitate, néc vos tradat in poteſtatem inimicorum, ut dominentur veſtri, ſive externi hoſtes, mundus, & Sathanas, ſive interni, caro, ejúſq; paſſiones, & appetitus, ſed virtute crucis, & paſſionis Chriſti diffugiant, & edomentur. Et in lecto doloris, ægritudine preſſis, & afflictis. Sive corporis, ſive animi, auxilio, ſolatióq; veniat, & paſſio Chriſti confortet vos. Nec aliunde ſanè vobis vera, & magis ſolida ſolatia obvenient, quibus illud ſtratum dolorum, & infirmitatum veſtrarum verſetur, & reverſetur, ut mollius in eo, & in Cruce cum Chriſto, quàm delicatiſſimis in voluptatum plumis mundi hujus requieſcatis.

Punctum II.

COnſidera ingratitudinem, pervicaciámq; Principum Judæorum, & præcipuè proditoris Judæ in machinanda nece Salvatori Chriſto, à quo tot beneficia in omnes profecta, tótq; miracula patrata videbant, & illi tamen non ſolùm credere, aut ea recipere abnuebant, ſed morte etiam innocentem injuſtiſſima è medio tollere laborabant. Hæc in perſona Chriſti David prædicit: *Ego dixi*, & in horto Patrem oravi, cum poſt tot prædicationes tot miracula, tot, támq; varias ſanitatum collationes, & innumera alia in gentem meam merita, & beneficia, ingratitudinem, obſtinationem, & odium contra me cernerem, Domine Pater, *miſerere mei*, qui miſericordiis tot exhibitis per ſummam immiſericordiam, & crudelitatem perſecutiones patior, & ad injuſtam mortem deſtinor: *transfer calicem hunc à me*. Marc. 14. tantò amariorem, quantò graviora ſunt peccata, *quibus peccavi tibi* in membris meis, & quæ ſuſcepi in me, totius humani generis expianda; propter quæ exhauriendus ille eſt, *ſana animam meam, triſtem usq; ad mortem*, transferendo calicem paſſionis meæ, ejúsq; fructum, qui eſt ſanitas, ad membra mea; quia in *his peccavi* tibi (me etenim propter *innocentiam ſuſcepiſti*. v. 13.) atq; ita animam meam ſcil. hujus humani generis mei, à peccatis ſana, & emunda.

Etenim *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus*. v. 5. Sacerdotes, inquam, & Principes Judæorum aviſſimè mortem meam deſiderabant; nam teſte S. Luca c. 22. *Quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent, timebant verò plebem*, & S. Johan. cap. 11. cum quatriduanum Lazarum excitaſſet à mortuis Chriſtus, eóq; permota miraculo, turba multa in eum crederet, *collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium, & dicebant, quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes in eum credent*, &c. *Unus autem ex eis Caiphas, cum eſſet Pontifex anni illius. dixit eis: Vos neſcitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, &c. *ab illo ergò die cogitaverunt, ut interficerent eum.*

A Judæis mox ad Judam proditorem ſuum tranſiens. *Et ſi ingrediebatur*, inquit, *ut videret, vana loqnebatur, cor ejus congregavit iniquitatem ſibi*. v. 6. q. d. Judas proditor meus, ſi quandoq; ſimulatione officii

officii cum cæteris Apoſtolis graderetur, & habitaret mecum, id tamen tantùm agebat, ut videret, vel exploraret opportunitatem tradendi me Judæis, hinc fingebat falſi ſemper aliquid, vel comminiſcebatur vana, ne animus ejus detegeretur; nempe ut Hypocritæ ſolent fictis verbis, & actionibus mentiebatur ſe amicum, & diſcipulum meum, corde interim meditabatur dolos, & improba coquebat conſilia in perniciem meam. Atq; ita *cor ejus congregavit*, ſeu multiplicavit *iniquitates ſibi*, ſcelus ſceleri addendo. *Egrediebatur foràs, & loquebatur in idipſum.* v. 7. & poſt ſimulationes à me egreſſus, eandem proditionem cum hoſtibus meis tractabat.

Hanc Judæ hypocriſin indicat Matth. c. 26. quando ſub prætextu pauperum murmure inter diſcipulos excitato contra effuſum à S. Magdalena in Caput Chriſti pretioſum unguentum, venum quaſi expoſuit Judæis Magiſtrum ſuum: *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* &c. *& exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.* Hanc illi ſatis apertè Chriſtus ibid. hiſce exprobravit: *Unus veſtrum me traditurus eſt, qui intingit mecum manum in paroſpide, hic me tradet, & filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo* (nimirum hoc Pſalmo 40.) *Væ autem homini illi*, &c. Cæteris verò Apoſtolis contriſtatis inter ſe, & de ſe quærentibus, Judas quoq; *dixit: Numquid ego ſum Rabbi?* Cui Chriſtus: *Tu dixiſti*, quæ eadem refert S. Marcus c. 14. Hanc iterum, iterúmq; ei conteſtatus eſt. Joh. 13. Prophetiâ Pſalmi hujus adducta, non ſine horrore animi, & conſternatione cæterorum; quando in Cœna ultima, cui nefarius ſimulator intereſſe, & corpus, ſanguinémque Chriſti cum cæteris ſuſcipere non eſt veritus datâ ei buccellâ intinctâ in ſignum proditionis ſibi notæ, illi ait: *Quod facis, fac citiùs, & poſt buccellam introivit in eum Sathanas, & exivit continuò*, cæteris opinantibus, iſtúdq; fortè etiam ſimulante proditore, *qui loculos habebat, ut emeret ea, quæ opus ſunt ad diem feſtum: aut egenis, ut aliquid daret.* Hanc tandem ſimulationis larvam manifeſtè illi detraxit, quando per oſculum amoris, pacíſq; ſignum Magiſtrum hoſtibus tradidit: *Ave Rabbi*, inquiens: Cui Chriſtus, *amice, ad quid veniſti?* Matth. 26. Juda oſculo filium hominis tradis. Luc. 22.

Adverſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, adverſum me cogitabant mala mihi. v. 8. *Verbum iniquum conſtituerunt adverſum me: nunquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* v. 9.

Quibus à Judæ proditione ad Judæorum machinationes regreditur, ut ordinem hiſtoriæ Evangeliſtarum ſervare voluiſſe videatur Propheta. Ergò proditore audito cœperunt cogere cætum quaſi clandeſtinum, & inter ſe conferre ſecretò, & ſuſurrare velut ſubmiſsâ voce: *quærebant enim* (teſte S. Marco c. 14.) *ſummi Sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo, timebant enim plebem*; Et *Judas* etiam *quærebat, quomodo illum opportunè traderet*, & ut S. Luc. addit, ſine turbis. Hæc erant, de quibus ait: *adverſum me cogitabant mala mihi* (quod *mihi* redundat hebraiſmo) ſuſurrando deliberantes de morte mihi inferenda.

Et ex illa ſuſurratione inimicorum conſecutum eſt: *Verbum* illud *iniquum*, ſeu decretum, *quod* ſimiliter *conſtituerunt adverſum me*, quodq; enunciavit Caiphas Sacerdos ſummus. Joh. 11. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo*, quantumvis innocens. Verbum non magis iniquum, quàm vanum, nam *nunquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?* quod duplici ſenſu poteſt intelligi. 1. quaſi ab hoſtibus Chriſti ſit prolatum, ac ſi dicant, ſi ſemel à nobis per mortem è vivis ſublatus fuerit, non eſt, quod timeamus, aut credamus (quod de ſe tamen fore edixit) illum reſurrecturum iterum; qui enim impedire non potuit, ne vita ſibi adimeretur; quomodo efficiet, ut ad illam redivivus revertatur, *ſed mentita eſt iniquitas ſibi* vaniſſimè. 2. Illo ſenſu, velut ab ipſo Chriſto prolatum ſit, hoc modo, nunquid, qui alium. v. g. Lazarum quatriduanum mortuum (cujus præſertim occaſione concilium illud Judæorum coactum fuit, ut ſupra ex S. Johanne narratum eſt) reduxit ad vitam, ſeipſum reducere non poſſit, quamvis mortuus fuerit? id verò filio Dei tam facile eſt, quàm facile eſt homini ſocium, quo cum qui dormierit, excitare, vel etiam ipſum placidè dormientem excitari, & ſtrepitu, aut voce cujuscunq; evigilare, quod Johan. 10. Chriſtus inquit, *poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Horum omnium autor, & cauſa extitit Judas diſcipulus, & proditor meus. *Etenim* (alia) *etiam homo pacis meæ* (alia) *ſed & homo pacificus meus, in quo ſperavi, qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem* (Hebræa) *levavit contra me plantam vel calcaneum:* calcaneus enim in ſacris ſcripturis pro fraude, & dolo ſumitur; ductâ metaphorâ ab iis, qui in curſu aliquem ſupplantant.

Hic

Hic eſt verſiculus ille, quem Chriſtus Johan. 13. juxta Hebræam ſic citat: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum ſuum.* Quibus Propheta indignitatem proditionis, proditoríſq; ingratitudinem graphicè exprimit; nimirum hominem pacis à Chriſto in amicitiam, & pacis ſocietatem adlectum, quo cum nulla inimicitia interceſſit, cui nulla injuriæ cauſa ſit præbita; ſed ſummæ potiùs benevolentiæ exhibita ſemper ſignificatio, in quo proinde confidere jure poterat, uti & ſpem ſuam ſingulariter ſe ponere multis ſignificationibus demonſtrarat, ut quem præ tot elegerat in diſcipulum, evexerat in Apoſtolum, præfecerat pauperi ſubſtantiæ rerum, atq; œconomiæ, loculósq; tenuis ærarii geſtare, diſpenſatorem agere, ac procuratorem collegii Apoſtolici eſſe fecerat, nec in amicum duntaxat, ſed intimum etiam familiarem aſſumpſerat, maximíſq; beneficiis ea ipſa adhuc perpetratæ proditionis nocte affecerat, menſæ adhibuerat, pane, vinóq; cœleſti Corporis, & Sanguinis ſui refecerat, cujus pedibus advolutus fuerat, eósq; divinis manibus abluerat, & abſterſerat.

Affectus deteſtationis, & deprecationis.

O Deteſtandam perfidiam! O execrandam ingratitudinem proditoris! Nunquid anima mea, etiam de te queri illud Chriſtus verè poſſit: *Homo pacis meæ, & qui manducavit panem meum, in quo ſperavi, levavit contra me calcaneum ſuum, & magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Vel illud Pſ. 54. *Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos,* &c. etiam tu poſt tanta beneficia, collatáſq; gratias, talia deſignare contra me non es veritus? O parce pie Jesu! parce, ego verè ſum ille tuus Judas, ille diſcipulus proditor tuus. *Ecce iniquitatem meam agnoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Pſalm. 50. Tu ignoſce, tu veniam, & gratiam largire reſipiſcenti, per viſcera miſericordiæ, & charitatis priſtinæ, quibus tot me indignum, & ingratum beneficiis cumulaſti.

Punctum III.

EXpende Chriſti ad Deum Patrem recurrentis in afflictione orationem. *Tu autem Domine* (ita Patrem in forma ſervi propter humanita-

nitatem ſe humilians Dominum compellat, etſi Deitate illi æqualis eſſet) *miſerere mei*, in cruce morientis, & derelicti, cum apud homines miſericordiam non inveniam, & *reſuſcita me* à mortuis, vel ut hebræus habet, *eleva me in gloriam*, quam per paſſionem, & mortem crucis mihi decreviſti, ut Apoſtolus ad Phil. 2. teſtatur, *propter quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen. Et retribuam eis*, juxta merita eorum, quod propheticâ prædictione illis denunciat, non vindictæ ſtudio minatur; quemadmodum fecit, teſte Luca c. 19. ante paſſionem, *videns civitatem flevit ſuper illam, quia venient dies in te, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te*, &c. *& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.*

Mox exauditam orationem ſuam ſentiens: *In hoc*, ait, *cognovi, quoniam voluiſti me*, ſeu paternâ complexus es benevolentiâ; *quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me* (alia) *non inſultabit* mihi, poſt mortem meam ſcil. quando, ſicut Chriſti, & diſcipulorum luctus in gaudium, & humiliatio in gloriam, ita Judæorum gloria in confuſionem, & exultatio in luctum converſa ſunt.

Me autem (pro enim) *propter innocentiam ſuſcepiſti* in cœleſtem gloriam per triumphalem Reſurrectionem, & Aſcenſionem, *& confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.* v. 13. quæ æterno tuo decreto mihi ita ſtabilita eſt, ut in conſpectu tuo perpetuus hominum Advocatus aſſiſtam, vel ex conſpectu tuo ea gloria perfruar, quæ nullo unquam tempore interitura ſit. q. d. humiliari me feciſti ad horam in conſpectu hominum, & exaltaſti me omni honore in conſpectu tuo in æternum. Veluti Apoſtolus 2. Cor. 4. ait: *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur.* Vel (ut habet Hebr.) *ego autem in ſimplicitate mea adjutus ſum à te*, quia in te uno, ſimplici, & ſincero animo te ſolum reſpiciens, ſpem omnem collocavi, *& ſtatues me ante faciem* tuam in perpetuum, nunquam oculos à me averſurus, vel medio jam explicato.

Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo, & in ſæculum fiat, fiat, vel amen, amen. v. 14.

Idcircò debetur tibi omnis honor, omnis gloria, & benedictio in omnes ſæculorum æternitates, quod ſincerè, & fideliter oro iterum, iterúmq; eveniat. Atq; hæc concluſio eſt Pſalmi, finíſq; primi libri ſecundum Hebræos, qui Pſalterium in quinq; libros diſtribuerunt.

Affectus

Affectus laudis Dei iam poſitus.

SUSPIRIUM.

Effunde ſuper nos Spiritum commiſerationis, miſericors DEUS, *ut intelligamus ſuper egenum, & pauperem; filium tuum Chriſtum Dominum noſtrum in paßione, & membris illius, & concede, ut infidelitate, & ingratitudine Judæ Judæorum hoſtium ejus, imò & noſtrâ, repudiatâ, ejus Reſurrectionis, & gloriæ per ipſius merita participes effecti, de eadem illi congaudeamus, teq́ in æternum cum illo laudemus, & benedicamus. Amen, Amen.*

IN PSALMUM XLI.

Quemadmodum deſiderat Cervus, &c.

MEDITATIO XLIV.

CERVI SITIENTIS ANHELITUS.

Seu

Aſpiratio Animæ piæ ex ſiticuloſo huius mundi exilio ad fontem patriæ, & vitæ perennis.

Argumentum Pſalmi.

David in exilio profugus ex perſecutione adſpirat ad patria ſacra, ſive Jeruſalem terreſtris, ſive cœleſtis potius, ut probabilius putat Bellarm. SS. Pl'. Hier. Auguſtin. Chryſoſt. allegans. (ſenſ. lit.) Juſtus ad Cœli beatam viſionem (ſenſ. anagog.) qui hac in meditatione nobis præfixus eſt, cui favet etiam Pſalmi titulus (filiis Core, quibus canendus cum intellectu datus eſt) in finem ſcilicet beatæ perennitatis. Filii Core janitores tabernaculi à nonnullis ſcribuntur. Et, cum Core Calvaria hebraic. dicatur, Chriſtianis id nomen convenit à Chriſto in monte Calvariæ crucifixo, cujus ſignaculo crucis inſigniti ſunt, & gloriantur.

Punctum I.

Conſidera, quale debeat eſſe deſiderium hic exulantis animæ Chriſtianæ ad patriam cœleſtem.

Primò Cervo ſimile. v. 1. *Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum.* Uti Cervus, inquam, animal ſiticuloſum, & calidum naturâ, præſertim verò cum vel naribus ſerpentes, quibuscum bellum perpetuum gerit è cavernis extractos, deglutivit, ſuccenſusq; æſtuante veneno ſitis ardet vehementiſſima; vel cum à venatoribus perſequentiúmq; canum agmine indagatus, ad montes altiſſimos ſe fugâ proripiens, velociſſimo ex curſu æſtuat; vel quando ſeu proprio capitis cornuúmq; pondere, vel alieno portando, dum ſcilicet, teſte Auguſtino, ſociorum alienas in regiones flumina natando transmittentium per vices cornua dorſo imponi patitur, illud Apoſtoli ad Gal. 6. inſtinctu naturæ obſervans: *alter alterius onera portate*; vel quando Solis ſub Sirio cane intemperatis ardoribus conflagrat: *Ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Tale omninò, iisdémq; ex cauſis ortum Chriſtianæ animæ debet eſſe deſiderium cœleſtis patriæ, videndiq; Dei, quod nimirum vel ex conflictu cum ſerpentibus carnalium cupiditatum, quibuscum bellum pertinaciſſimum gerimus, dum vivimus, earúmq; ſuppreſſione, conſumptionéq; ortum ſit; vel ex rapido curſu, ſolicitáq; fugâ ad altiſſimos contemplationis, atq; orationis montes, dum Tentatorum perſecutionibus infeſtamur? Vel ex tolerantia moleſtiarum, imperfectionisq; in proximis ac ſubditis, imò propriæ miſeriæ, quibus premimur; ſed præcipuè ex æſtu amoris erga Deum, ita, ut ſicut Cervum in ſiti ſua, nec montium abrupta & aſpera retardant; nec ſylvarum condenſa revocant, nec amœna pratorum detinent: quo minus ad notos fontes, & exoptatos fluvios ad levandam ſitim interioráq; refrigeranda procurat; ita etiam animam devotam, Deiq; amantem, nec ulla terrena felicitas impediat, nec adverſitas remoretur, quo minus ad Deum ſemper ambulet.

Quò etiam facit alia ſimilitudo, & verſio verſus ejuſdem: *Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum, ſic anima mea præparata ad te Deus.* Ut nimirum quemadmodum idem Vates Pſ. 42. ait: *Anima mea ſit*

ſit ſicut terra ſine aqua tibi. Longâ ſcil. ſiccitate hiſcens, quæ hiante quaſi ore pluviam expetit, & in ſe inclamat.

Etenim ſitivit anima mea ad Deum vel fontem, ut ab aliquibus, vel ut melius legitur ex græco fontem vivum, *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* v. 2. quibus ſecunda proprietas ejuſdem deſiderii, quod propter vehementiam ſitis dicitur, ex objecto efficaciſſimo ad movendum deſcribitur, tali nimirum, ut vim propè inferat ad ſe amandum, voluntatémq; quaſi neceſſitet, idq; tres propter conditiones, quæ amoris affectum, & deſiderium vehementius ſuccendunt, teſte Chryſoſtomo apud Bellarm.

Prima eſt pulchritudo, nam res pulchræ ſe amari quodammodo cogunt.

2. Beneficentia, ſeu beneficiorum eximiorum frequens collatio, provocant enim illa non leviter ad amandum benefactorem.

3. Amor, ilicium amoris mutui potentiſſimum; ut dicitur in adagio: ſi vis amari, ama. Hæc tria etſi ſingula per ſe quidem valeant plurimum ad amorem, deſideriúmq; excitandum, ſi tamen ſimul in unam, eandémq; rem omnia, & excellentiſſimo in gradu concurrant, tunc verò incredibilem cupiditatem, ſitimq; ardentiſſimam amoris, & deſiderii excitant. Quis enim perſonam pulcherrimam, quæ quotidianis, iiſq; maximis te afficiat beneficiis, quæq́ inſuper te ardentiſſimè amet, viciſſim amore, eóq; perintenſo, & vehementi non proſequatur?

2. Fons beneficiorum omnium, in nos jugiter emanans, & retundans, vel fortis ac potens non tantùm ad conferendum omnia, ſed conſtans etiam & ſtabilis, & non ſicut res hujus mundi fluxæ, vanæ & inſtabiles.

3. Deniq; vivus, vitâ ſecundâ, quæ in continua operatione voluntatis, ſeu amore continuo conſiſtit. Hæc ſitis in rem tam pulchram, tam beneficam, tam amantem noſtri, meritò exclamare facit, & toto corde dicere: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Hoc enim ſitim explere animę tantùm poteſt.

Sed quia in hac mortali vita viſio, & poſſeſſio tanti boni differtur in vitam alteram, meritò addit: *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, ubi eſt Deus tuus?* v. 3. Tertia hæc conditio deſiderii eſt, quod inconſolabile ſit, nec ulla abs re creata tollatur, ſolatiúmve admittat; unde quotidiano in luctu eſt, *fuerunt*, inquit,

mihi lacrymæ die ac nocte, ſeu quotidianæ, ſicut eſt cibus, & potus, ſine quo homo non vivit: his me ſuſtentabam velut pane quotidiano, tempore peregrinationis hujus, tam de die proſperitatis, quàm in nocte adverſitatis. Quocunq; enim me convertam, Deum non reperio.

Unde *renuit conſolari anima mea*. Pſ. 73. re ullâ creatâ, & quia etiam in lacrymis meis *memor fui Dei, delectatus ſum*, & refocillatus quaſi, cibo aut potu; hinc lacrymæ meæ ſolæ mihi fuerunt panes, & refectio.

Dicunt enim mihi creaturæ omnes; non ſum ego Deus tuus, quære eum alibi, *Ubi eſt Deus tuus*.

Suaviter, more ſuo, de hoc S. Auguſt. Solil. c. 31. *Circuivi vias & „ plateas* civitatis mundi hujus, quærens te, & non inveni. Circuibam „ enim omnia quærens te, & propter omnia derelinquens me. *Interro- „ gavi terram*, ſi eſſet Deus meus, & dixit mihi, quod non; & omnia, „ quæ in ea ſunt, hoc idem confeſſa ſunt. Interrogavi mare, & abyſſos, „ & reptilia, quæ in eis ſunt, & reſponderunt: non ſumus Deus tuus, „ quære ſuper nos eum. Interrogavi flabilem aërem, & inquit univer- „ ſus aër cum omnibus incolis ſuis: fallitur Anaximenes; non ſum ego „ Deus tuus. Interrogavi Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas. Neq; nos „ ſumus Deus tuus, inquiunt, & clamaverunt voce grandi omnia: ipſe „ fecit nos. Interrogavi mundi molem, & reſpondit voce forti: Non „ ſum ego Deus tuus, & per ipſum ſum ego, quem quæris in me, ipſe fe- „ cit me, ſupra me quære eum, qui regit me, qui fecit me: Et paulò antè „ *miſi nuntios meos, omnes ſenſus exteriores*, ut quærerem te, & non in- „ veni. Nam oculi dicunt mihi, ſi coloratus non fuit, per nos non in- „ travit. Aures dicunt, ſi ſonitum non fecit, per nos non tranſivit. Na- „ ſus dicit, ſi non oluit, per me non venit. Guſtus dicit, ſi non ſapuit per „ me, non introivit. Tactus etiam addit: ſi corpulentus non fuit, nihil „ me de hac re interroges.

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſq; ad domum Dei. v. 4. Hujus verſiculi triplex ſenſus affertur à Bellarm. Ex quibus ſinguli tertiam conditionem deſiderii, eámq; præcipuam explicant, quæ eſt, ut *ſit efficax*, per quam habet, ut coram Deo meritorium ſit, & à ſimplici complacentia, inefficaciq; velleitate diſtinguatur.

Primus eſt: *Effudi in me animam meam*, id eſt, evacuavi me omni terrenâ cupiditate, & delectatione, non ignarus quoniam ingreſſurus in locum tabernaculi *illius admirabilis, quod eſt domus Dei*, vacuum à terrenis delectationibus, cor afferre debeat, ſi illud velit impleri delectationibus Domini cœleſtibus. Nam in animam jam ante plenam terrenis gaudiis non poteſt infundi cœleſtis conſolatio, non enim compatiuntur ſe mutuo: *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras, & quæ conventio Chriſti ad Belial, aut qui conſenſus templo Dei cum idolis?* inquit Apoſtolus 2. Cor. 6. quare ut efficax illud Cœli deſiderium ſit, conditionem illam ſine qua non, uti vocant, habeat, neceſſe eſt, ut effundatur ab animo quicquid ei contrarium eſt, ut dicere de ſe illud poſſit, alio licèt ſenſu, *effuſus ſum, ut aqua*. Gen. 49. non ut oleum, quod licèt effundatur, relinquit poſt ſe aliquid ſui cum ſapore, ex odore, cæteriſq; qualitatibus, *ſed ut aqua*, quæ effuſa vas purum, nulláq; re ſui imbutum relinquit.

Ab hac explicatione non abludit illa aliorum lectio, & explicatio, *fudi animam in ſe*, id eſt, in lacrymas per compunctionem, & pœnitentiam *effuſus* eam mundavi.

Secundus ſenſus eſt: *Effudi in me animam*, id eſt, extendi, & dilatavi eam: ut capax eſſet tanti boni, quantum inveniet in tabernaculo illo admirabili domus Dei. Modus autem dilatandi animi eſt: tum per ſpem, atq; fiduciam, tum per amorem, tum per lætitiam ſpiritualem ex his natam. Nam effundere in ſe animam ſuam propriè eſt valde lætari, & effusè ſe exhilarare. Quomodo partim Iſraëlitas per Davidem monet Deus. Pſ. 80. *dilata os tuum*, per fiduciam in me, *& implebo illud*, partim Apoſtolus Corinthios ſuos Epiſt. 2. c. 6. *Os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt*, per amorem ſcil. *non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in viſceribus veſtris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini & vos*, ſimili charitate. Demùm de lætitia illud Pſ. 118. intelligitur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*, uti & illud Iſaiæ 60. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.*

Tertius eſt magis ad rem noſtram, is ſenſus eſt. *Effudi in me*, vel ſuper me, *animam meam*, ſcil. tranſcendi contemplando ipſam animam meam: ut ſic in tabernaculum admirabile cognitionis Dei tranſire poſſem. Verè enim nulla ſcala eſt aptior, inquit cit. Bellarm. In hâc

„ peregrinatione, ad attingendum aliquomodo tabernaculum admira-
„ bile, & ipſam domum, ubi videtur Deus, quàm anima noſtra, quæ eſt
„ imago Dei, ipſa enim eſt ſublimior cœlo, & profundior abyſſo, & qui
„ animam ſuam contemplari novit, ac deinde eam tranſcendere, & per
„ eam ad exemplar aſcendere didicit, is pertranſibit ad locum taberna-
culi admirabilis usq; ad domum Dei. Pluribus idem Doctor ſimilitudinem, quæ inter Deum, & animam intercedit, proſequitur, ex ejusdem animæ proprietatibus, quod ſc. ſpiritualis ſit ut Deus. Simplex, & indiviſibilis, ut Deus, ita ut tota in toto corpore, & tota ſit in omnibus ſimul ejus partibus, omnia membra replens, & nullum occupans locum, uti Deus in univerſo eſt. Item quod anima immota totum corpus moveat, regat & vivificet, ut in rerum univerſitate hac Deus: cujus quaſi anima concipi poteſt, etſi ut priſci Philoſophi quidam delirabant, anima univerſi, nec ſit, nec dici verè poſſit. Adhæc licèt ſit tota anima intelligens, & intellectus; eminenter tamen quæ ſenſus, & ſupra ſenſus omnia percipit: ita Deus eminenter quaſi homines, & Angeli, & infinita ſupra illos intelligit, nec ſolùm theoricè, ſed & practicè, quod inſuper omninò liberum arbitrium habeat, ut Deus, eáq; Dei animæq; ſimilitudo non tantùm quoad eſſentiam, ſed etiam quoad perſonarum Trinitatem appareat, non tantùm quoad potentiam ejus triplicem, memoriam, intellectum, voluntatem, ſed etiam quoad operandi, intelligendiq; modum producendo per intellectum verbum, amandóq; per voluntatem. Quæ latè & ſubtiliter laudatus autor deducit.

Atq; hoc modo anima ſupra ſeipſam effunditur, ſéq; ipſa tranſcendit contemplando, ut tranſire poſſit in locum tabernaculi admirabilis cognitionis Dei. Sic animam ſuam ſuper ſe effudit S. Aug. ſupra cit. qui cum in creaturis Deum inquiſiviſſet, nec inveniſſet, reſpondentibus o-
„ mnibus & ſingulis, non ſum ego Deus tuus. Tandem ait: Et redii ad
„ me, & intravi in me, & ajo ad me tu quis es? Et reſpondi mihi homo
„ rationalis & mortalis, & incepi diſcutere quid hoc eſſet. Et dixi: unde
„ hoc animat Domine Deus meus? unde niſi abs te? Tu feciſti me, &
„ non ego ipſe me. Quis tu? Tu per quem vivunt omnia, & poſt non
„ pauca. Tu factor mei, ego opus tuum. Gratias tibi ago Domine Deus
„ meus, per quem vivo ego, & per quem omnia vivunt, quoniam feciſti
„ me. Gratias tibi lux mea, quoniam illuminaſti me, & inveni te, & me.
„ Ubi inveni me, ibi cognovi te, ubi inveni te, ibi cognovi me. Ubi au-

„ tem cognovi te, ibi illuminaſti me. Gratias tibi lux mea, quoniam illu-
„ minaſti me. Videantur ſimilia, in hunc ſenſum, & ad rem hanc facien-
„ tia quàm plurima.

Et hæ gratia S. Auguſtini ſunt illud quod additur v. ſeq. 5. *In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis,* tranſiturum ſe ſcil. in locum tabernaculi admirabilis, id eſt: non ſilens, mutúsq; in hac contemplatione mei, eċtaſiq; hærebo, ſed cum admiratione gloriæ tabernaculi iſtius, & ex admiratione prorumpam in voces exultationis, & confeſſionis, ſeu laudis, & gratiarum actionis, Conditoris nempe mei, & tabernaculi iſtius: quæ vox erit ſonus epulantis, ſeu læta, & feſtiva, & ut Lxx. habent, *feſtum celebrantis,* non quodcunque, ſed feſtum convivii ſolennis, quale ſunt nuptiæ, in quibus adhibentur inſtrumenta muſica, & cantica amatoria diverſa, ut ſit ſonus feſtivè epulantis. Vel etiam ſonus epulantis dicitur, quod animam paſcat, & dulci epularum refocillatione oblectet. Eſt autem vox ſonus ſecundi caſus pro ſonitus, nam priſci Scriptores Sonus ad formam quartæ inflectebant, uti apud eos reperitur ſonu pro ſono, teſte Heſſero hic. Poſſet etiam hic verſus referri ad domum Dei, & ſubintelligi (ex qua Beati Deum continuò laudant) *in voce exultationis,* &c. lætâ & feſtivâ voce, & perpetuum quaſi convivium ſolenne, feſtúmque agunt. *Quare* igitur, cum hæc futura ſint, *triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* vel mœrore conficis (alia) *incurvaris.* v. 6. *ſpera in Deo* (vel ut alia) *expecta Deum, quoniam adhuc confitebor ei ſalutare vultus mei, & Deus meus.* v. 7.

Continetur his quarta deſiderii proprietas, quæ eſt conſtantia etiam in deſolationibus, & adverſitatibus; cujus fundamentum eſt ſpes quæ innititur Deo, & gratia Salvatoris Chriſti ex meritis ejus. Id verò his verſibus inſinuat Vates. q. d. etſi porrò variis cum mœroribus, & deſolationibus, variisq; cum afflictionibus, & adverſitatibus colluctandum quaſi ſit in hac vita, ut contriſteris & conturberis usq; ad lacrymas: ſperandum tamen in Deo eſt, aderit enim tempus, quando cum Beatis Deum laudabis, eúmq; coram intuens glorificabis, quia ipſe eſt ſalutare vel *Salvator,* & *ſalus vultus mei,* cujus gratia & meritis ſalutem æternam, quæ in viſione vultus, ſeu intellectûs beatifica conſiſtit, conſequar. Ille eſt Deus meus fideliſſimus in promiſſis, & veraciſſimus, ut nec fallere poſſit, nec falli. Hac ſpe fretus & erectus perge ad Deum anhelare, & ferventi deſiderio eum concupiſcere, donec ex ſpe res ipſa conſequatur, quod aliquando futurum eſt.

Idem

Idem affectus deſiderii. Ex S. Auguſt. Medit. cap. 37.

„ O Quando tranſibo in illam admirabilem, & pulcherrimam do-
„ mum tuam, ubi perſonat vox lætitiæ, & exultationis, in taber-
„ naculis juſtorum! O quàm mira, quàm pulchra, quàm acceptabilia
„ ſunt iſta domus tuæ habitacula, Domine virtutum! concupiſcit in ea
„ hæc peccatrix anima mea. Quemadmodum deſiderat cervus ad fon-
„ tes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, quando veniam, &
„ apparebo ante faciem tuam, quando videbo Deum, quem ſitit ani-
„ ma mea? Quando videbo eum in hac terra viventium? In iſta enim
„ terra morientium videri non poteſt mortalibus oculis. Quid faciam
„ miſer ego, gravedine compedis mortalitatis meæ conſtrictus? Quid
„ faciam? *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, non habemus*
„ *hîc manentem civitatem*, ſed futuram inquirimus, noſter autem man-
„ cipatus in Cœlis eſt. Unam petii à Domino, & hanc requiram, ut in-
„ habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Punctum II.

COnſidera cauſas, ob quas meritò vitam hanc mortalem faſtidire, & deſiderare immortalem jure quiſque poſſit, ac debeat cum S. Pſalte.

Prima eſt metus periculorum, vel ſalutis perdendæ propter imbecillitatem noſtram. *Ad me ipſum anima mea conturbata eſt.* Ad me ipſum, inquam, reſpiciens, meámq; infirmitatem, & modicas vires, nec non cæcitatem, exiguúmq; lumen intellectus, inconſtantiam voluntatis, & liberi arbitrii imbecillitatem, inclinationem in malum, cæteráq; corruptæ per peccatum naturæ vulnera conſiderans, *conturbata eſt.* Quis enim ſeipſum cognoſcens, ſuámq; proclivitatem ad lapſum, cernens, de amittenda ſalute non metuat, timoréq; peccati juſto non conturbetur? Alia habet, *in me ipſo anima mea incurvatur*, vel contrahitur mœrore, & formidine.

Propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniÿm à monte modico. v. 8. ideoq; ne animo prorſus concidam de hac terra Jordanis, crocodylis, aliiſq; monſtris infeſta, in qua dego velut in lacrymarum valle, remotus, & exul longè à Hieruſalem, *& à monte modico*, parúmq; ſecu-

ſecuro, qualis Hermonim eſt, ſolor me memoria cœleſtis patriæ, auxiliiq; divini, quod mihi ſpero præſtò futurum. Vel ab hoc fluvio parvo, & periculoſo Jordane, quem accolo, recordor *fluminis impetûs*, qui *lætificat civitatem Dei, & torrentis voluptatis, quo potantur electi Dei:* & ab hoc monte modico Hermonim, ad quem parum tutus refugio, memor ſum montis ſancti tui ab omni periculo immunis, & ſecuriſſimi, ad quem aſpiro.

Adhæc *abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum.* v. 9. quæ eſt ſecunda cauſa deſiderii. q. d. terrent me frequentiſſimæ tentationes, & intentatæ ab hoſtibus inſidiæ, quæ velut in graviſſima maris tempeſtate ſuccedentes ſibi continuò fluctus, & procellæ me propè obruunt. Inducit enim Vates ſacer hanc vitam noſtram velut intempeſtuoſo pelago navigationem, tentationes verò ejus tanquam tempeſtates formidandas diluvio Noëmiano non abſimiles, quando cataractis Cœli apertis inundarunt univerſa: In hac tempeſtate decumanis fluctibus te jactari, ut nunc extolli te credas ad Cœlum usque, patente infra te aquarum voragine velut abyſſo quadam, ad quam horribili præcipitio ex mari altiſſimo in imum ejus barathrum dejiciatur malè ſarta rates. Et hujusmodi abyſſos, & barathra procellarum ſibi continuò ſuccedere, quaſi altera alteram invocaret ad ſuccedendum alteri, & hoc eſt, quod ait de vitæ hujus tentationibus: *abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum.* q. d. ſicut fluctus fluctum premit in tempeſtate, & procella procellam, ita calamitas calamitatem excipit, & vel propter terribilem undarum ſtrepitum, vel tonitruorum fragorem, diruptarúmq; per flumina nubium ſtridorem, quaſi cataractæ Cœli, ſicut in diluvio ad aperiendam pluviis viam, aut ſubductæ, penitúsve disruptæ eſſent, timore incredibili me percellunt.

Et ne vanus, panicúsq; timor iſte videri ſolùm poſſit, addit cauſam tertiam experientiam ſuam. *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Illi, inquam, excelſi procellarum montes, illæ dehiſcentes fluctuum abyſſi involverunt me non ſemel horribili tempeſtate, ut expertus loqui poſſim, quantæ, & quàm formidabiles vitæ hujus tentationes ſint. E quibus meritò velut è tempeſtuoſo mari, ad quietum beatæ æternitatis portum ſuſpiro. Certè qui ingentes hujus vitæ tentationes ſecum cum Davide ex illuminato polo expendit, quibus divina providentia electos ſuos exerceri ſinit, ſimúlq; penſat, quanta periculorum

magnitudo, quámq; multiformes hoſtium noſtrorum ſint inſidiæ; & quid, quantiq; ſit excidere gratia Dei, ea hac metaphora tempeſtatis benè exprimi non negabit, ut hic præterea ſenſus magis literalis eſſe videatur. Cæteri enim, ut rectè Bellarm. qui à nonnullis afferuntur. v. g. abyſſus humanæ miſeriæ invocat abyſſum miſericordiæ divinæ, item abyſſus cordis humani, quod inſcrutabile eſt, invocat abyſſum ſcientiæ Dei, qui ſcrutatur corda, & renes. Deniq; abyſſus myſteriorum veteris teſtamenti, invocat abyſſum ſecretorum novi teſtamenti, ut ſe mutuâ atteſtatione confirment, & ſi qui ſunt, alii aliorum ejusmodi, & ſi pii ſint, à litera tamen abeunt longiuſculè. Verùm, ne quis dicat, has tentationes non durare ſemper, vel non eſſe diuturnas, ſerenitatem placidam poſt tempeſtatem ſuccedere iterum, & poſt nubila Phœbum.

Reſpondet afferendo cauſam quartam. Nimirum eam ipſam viciſſitudinem, quæ facit, *ut neſciat homo, utrùm amore, an odio dignus ſit*. Eccl. 9. nam quamvis Deus interdum diem proſperitatis, & conſolationis faciat animo illuceſcere ; interim tamen nox tribulationum mox ſubſequitur, in qua nihilominus benedicendus eſt. *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus*. v. 11.

Nam *apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo ſuſceptor meus es.* v. 12. hoc nempe canticum illud nocturnum eſt, ut orem in ſecreto apud me Deum pro conſervanda vita animæ, ne ſinat, ut unquam *obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui adverſus eum.* Pſ. 12. Sed ſicuti eſt autor, ita ſit etiam conſervator, & Deus vitæ meæ duplici titulo, unicè confiſus *dicam Deo: ſuſceptor meus es*, niſi enim tu *adjuves me*, & in ſingularem protectionem ſuſcipias, *paulò minus habitabit in inferno anima mea.* Pſ. 93.

Et quamvis ſpem ita excitem, ſuboritur interdum tamen in animo nubes illa diffidentiæ, & deſolationis quaſi ab eo deſertus, & abjectus ſim, illíq; dicam idcircò, *quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus.* v. 13. tu verò diſſimulas, tuúmq; à me auxilium differs. *Dum confringuntur oſſa mea*: id eſt, dum debilitatus, & fractus tentationibus, eo puſillanimitatis, & infirmitatis devenio, ut iis perferendo vix ultra ſim.

Accedit & hæc miſeriarum propè ſumma, ſcil. *exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.* v. 14. confidentiam nimirum, fidelitatémq; in te meam, dum *dicunt mihi per ſingulos dies*, ſeu ſæpiſſimè,

ubi

ubi eſt Deus tuus? v. 15. in quo confidebas, quem Suſceptorem, & Protectorem tuum jactabas. Velut Tobiæ exprobrabat uxor ejus, *ubi eſt ſpes tua, in qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas? Manifeſte vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modo apparuerant.* Tob. 2. Et Judæi Chriſto in cruce: *Confidit in Deo, liberet eum, ſi vult eum.* Matth. 27. Hæ, ſimileſq; animi viciſſitudines, tentationeſq; tum ab hoſtibus externis, tum à proprio puſillanimitatis ſpiritu ſuggeſtæ, deſolationeſq; graviſſimæ meritò lancinant Chriſtianam, Deoq; devotam animam, ut ad cœleſtem patriam ſuſpiret, *cupidtq; diſſolvi,* & liberari his miſeriis, *atq; eſſe cum Chriſto.* Phil. 1.

Affectus aſpirationis ex hac vita ad alteram vitam beatam.

„ UNde exclamat cum D. Aug. ex eod. Pſalte: *Heu mihi, quia incola-*
„ *tus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, mul-*
„ *tum incola fuit anima mea. Quis mihi dabit pennas ſicut Columbæ, &*
„ *volabo, & requieſcam.* Med. c. 37. Tædet enim me Domine valde
„ vitæ hujus, & iſtius ærumnoſæ peregrinationis. Vita hæc, vita miſera,
„ vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita domina
„ malorum, regina ſuperborum, plena miſeriis, & erroribus, quæ non
„ eſt vita dicenda ſed mors, in qua momentis ſingulis morimur per va-
„ rios mutabilitatis defectus diverſis generibus mortium. C. 21.

Punctum III.

COnſidera media ex hujus vitæ miſeriis ad beatam, deſideratámq; alteram pertingendi.

Primum eſt patientia læta in perferendis vitæ hujus calamitatibus animando ſe, excitandóq; ſæpe cum Davide: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me.* v. 15.

Et 2. ſpes, *ſpera in Deo, qui eſt ſalutare vultûs mei,* altior propter ſalutare vultûs tui, id eſt Chriſtum, ejúſq; merita, juxta explic. v. 7.

3. Conſolari ſe ex ſacris ſcripturæ eloquiis, contemplando, meditando, legendo de felici vita illa: *adhuc confitebor illi* laudans, & magnificans ſalutem, quam ex illuminatione divini vultus, cœleſtiſq; lucis ejus ſuper nos hauſimus, quo illuſtrati fide certâ credimus, ſpéq; non dubitata percipimus, quod verè ſit Deus meus, cui fidere, & in quem ſperare poſſim.

Idem affectus, quem ſenſum, affectúmq; expreſſit in ſe S. Auguſt.

O Tu vita, quam præparavit Deus iis, qui diligunt eum, libet me tuæ intendere claritati, libet in te oculos cordis attollere, libet de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine quotidiè legere, & lecta ſæpius revolvere, ut vel ſic poſſim ab hujus mortalis, perituræq; vitæ ardoribus, periculis, & ſudoribus ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſire, & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus, vel paululum reclinare. Ut tali modo minus iſtius miſerrimæ vitæ amaritudines ſentiam. Ex c. 22. Medit. S. Aug.

ORATIO.

SUccende cœleſti deſiderio, tuóq; amore cor noſtrum Domine, ut quemadmodum cervus ad te Deum fortem, fontémq; vivum ſitiamus. Ut dum in hoc peregrinationis pelago miſeriarum abyſſus abyſſum in nos invocat, & omnia excelſa, fluctúsq; tentationum ſuper nos tranſeunt, ſpe patriæ cœleſtis, & ſalutaris vultus tui nos conſolemur, donec cum Beatis tuis confiteamur tibi in voce exultationis, & ſono epulantis.

IN PSALMUM XLII.

Judica me Domine, & diſcerne cauſam meam, &c.

MEDITATIO XLV.

Altare, & tabernaculum SS. Euchariſtiæ perfugium animæ.

Argumentum Pſalmi.

Idem ferè eſt, quod Pſalmi ſuperioris, cujus hîc eſſe appendix videtur. Solatur ſe ergò Propheta ſpe reditus ab exilio ad tabernaculum & montem Sion, ac immolanda ſacrificia, idq; precatur (ſenſ. lit.) Anima verò ſuos inter inimicos ſpe futuræ beatitudinis ad quam aſpirat (ſenſ. anagog.) vel etiam de-

ſiderio accedendi tabernaculi SS. Euchariſtiæ, & offerendi Deo diviniſſimam Hoſtiam illam (ſenſ. mor.) qui etſi novus fortè videri poſſit, quia tamen Eccleſia Sacerdotibus in ingreſſu ad altare recitandum hunc Pſalmum præſcripſit, iisq; etiam cum ſenſu literali valde congruit, cum hâc meditatione ad promovendam devotionem Sacerdotum proſequemur.

Punctum I.

CONſidera Actum animæ parantis accedere ad altare, & tabernaculum Euchariſtiæ, primum & nobiliſſimum eſſe cognitionem ſui, ſuorúmq; hoſtium, magnâ cum humilitate, & cordis contritione, nec non efficaci voluntate ab illis evadendi, innixum gratiæ, virtutíq; divinæ. Exemplo Davidis, qui oppreſſus ab hoſtibus, vel aliis viſibilibus, Saule ſcil. aliisve, vel ſpiritualibus tentationibus Dæmonis nimirum, aut peccatis etiam, vindicari, & liberari ab illis ſic flagitat: *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam.* Iſtis enim verbis non tam judicem, quàm vindicem Deum implorat, juxta græc. *Judica judicium meum; litiga litem meam* tanquam Patronus, & defenſor meus contra hoſtes meos, quod omninò facit Deus cum iis, qui ſeipſos prius per cognitionem ſui, contritionémq; dijudicant, hos enim abſolvit potiùs juxta Apoſtoli 1. Cor. 11. ex hac ipſa materia agentis monitum: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat,* &c. *quod ſi nosmetipſos dijudicaremus, non utiq; judicaremur.* Atq; per hanc abſolutionis tuæ ſententiam. *De gente non ſancta, ab homine iniquo, & doloſo erue me.* v. 1. ſive gens illa non ſancta, à qua erui orat Propheta, ſint infideles, & incircumciſi, apud quos exulabat, ſive exercitus Saulis, vel Abſalonis contra ipſum collecti; Item ſive homo iniquus, & doloſus, ſit Achitophel, Saul, Abſalon, aliúsve in particulari gentis non ſanctæ Princeps; ſive potiùs in genere omnis hoſtis, & quisquis inimicus etiam inviſibilis, numero ſingulari pro plurali poſito.

Cauſam porrò cur à Deo vindicandus ab hoſtibus ſuis meritò ſit, per amicam quaſi cum Deo expoſtulationem ſubjungit: *quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repuliſti, & quare triſtis incedo dum affligit me inimicus?* q. d. cum in te ſolo omnem ſpem meam collocaverim, ut in tuo adjutorio unicè confidam, cur talem te mihi ergò exhibes, quaſi à tua me (tanquam robore, & firmitate, quâ nitor) prote-

ctione, vel etiam amicitia repuleris, & idcirco mœrore propè conſumor, ac contriſtatus (hebraicè atratus ad conteſtandum luctum) incedo, dum permittente te hoſtes me mei perſequuntur? Vel tuâ confiſus gratiâ (in qua omne meum firmamentum, & fortitudo poſita eſt: *Quia tu es Deus fortitudo mea, & omnia poſſum in te, qui me confortas*) quantumvis velut à te derelictus, & à vultu tuo repulſus, aut videri poſſim, aut certè talis haberi dignus ſim, quantumvis etiam ab hoſtibus meis graviter affligar, & propè opprimar. Propono tamen ab eorundem jugo, & ſervitute emergere ad ſanctam, veramq; libertatem tibi ſoli mancipatorum ſervorum, & filiorum tuorum.

Affectus aſpirationis.

HEu quanti me hoſtes circumvallant! quo fugiam, niſi *ad altaria tua Domine virtutum?* nam ibi velut paſſer inveniet ſibi domum, perfugiúmq; anima mea, contra tot vultures, ut eripiatur de laqueo venantium. Utinam laqueus conteratur, ac *de gente non ſancta, & ab homine iniquo, & doloſo*, qui mihimet ipſe ego ſum, *eruar*. Tuâ id gratiâ confortatus, *Deus fortitudo mea*, conabor conſequi, ne repellas me à facie tua, ut triſtis incedam, dum affligit me inimicus.

Punctum II.

EXpende ſecundum actum, qui ad altare accedentem præclarè diſponit, qui eſt *Petitio luminis, & gratiæ*, ut tanti myſterii dignitatem, & cognoſcat, & pro cognita dignitate id dignè tractet. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam* in animam meam, gratiæ tuæ, inquam, auxilium, & tui radios fervoris, miſericordiámq; ad cognoſcendas veritates, quas fides de hoc admirabili myſterio tradit.

Vel: Emitte Spiritum Sanctum, qui eſt lux, & veritas increata, per quem pellantur animo tenebræ, quiq; me *doceat omnem veritatem*, de hoc myſterio. *Ipſa me deduxerunt, & adduxerunt.* (Hebr.) *deducent, & adducent* (præteritis pro futuris more prophetico poſitis, propter certitudinem eventus) *ad montem ſanctum tuum*, qui eſt Chriſtus ſub ſpeciebus SS. Euchariſtiæ, velut in tabernaculo propitiatorii contentus, vel ad *tabernacula tua*, ſeu altare, ſub quo Arca

fœde-

fœderis quieſcebat. Hâc gratiâ, & miſericordiâ tuâ duce, & comite, *introibo ad altare Dei* ſacrificaturus, & immolaturus Deo ipſi hoſtias, non animalium, ut in antiqua lege; nec laudis tantùm ſacrificium; aut gratiarum actionis oretenus perficiendum; ſed veram Euchariſticam hoſtiam conſubſtantialem tibi Deo, æterno Patri filium tuum. Hoc propitiatore, ac interpellatore, imo primario offerente Pontifice, & Sacerdote ſecurus *introibo non ſolùm ad altare Dei, ſed ad Deum* ipſum, *qui lætificat juventutem meam.* (Hebr.) *Ad Deum lætitiæ, & exultationis meæ*, qui me ſingulari gaudio, & ſolatio perfundere in hoc ſacrificio ſolet, & juveneſcere quaſi facit. Eſt enim manna abſconditum continens in ſe omnem ſaporis ſuavitatem, & vinum cor hominis exhilarans; eſt & alimonia immortalitatis, & velut *lignum vitæ*, quo reſtauramur ad priſtinam juventutem, & immorales reddimur.

Quanquam etiam per juventutem novitas vitæ intelligi poſſit, quâ converſi ad Deum renovamur, per contritionem, confeſſionem, & propoſitum *exſpoliandi*, vel *exuendi veterem hominem cum actibus ſuis, & induendi novum, qui renovatur ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Col. 3. Itaq; diſponere nos oportet ad accedendum ad altare Dei, eámq; etiam juventutem, quam velut effectum hujus ſacramenti poſt ſacrificium peractum percipimus.

Affectus petitionis.

„ O Ergò divini amor Numinis Omnipotens Paraclete Spiritus cor-
„ dis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebroſa quæ-
„ que laris negle͏cti latibula, coruſci luminis fulgore lætifica! Saucia in-
„ terioris hominis arcana tui amoris jaculo, & torpentis medullas jeco-
„ ris, flammis ſalutaribus penetrando ſuccende, ſanctiq; fervoris igne il-
„ luſtrando, intima mentis, & corporis univerſa depaſce, ut ſanctis alta-
„ ribus diviniſſimi ſacrificii dignè miniſtrem. Credo enim, quod quem-
„ cunq; inhabitaveris, Patris, ac pariter Filii domicilium condis. S. Auguſt. med. c. 9.

Pun-

Punctum III.

COnſidera alios ad ſacrificium Euchariſticum offerendum præparationis actus. Inter quos eſt affectuum internorum, externorúmq; ſenſuum compoſitio, & harmonia; ſive concors quies, contra diſtractionis, & inquietudinis, ſeu turbationis cujuſcunq; ſtrepitum proponenda, & procuranda. *In pace enim factus eſt locus ejus*, quod ait Pſaltes: *Confitebor tibi in cithara.* Nam fides citharæ benè concinnatæ, & concordantes ſibi ſuavem harmoniam edunt: idcircò SS. laudes in citharis fieri dicuntur. Apoc. 14. *& vocem, quam audivi, ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis.* Dúmq; ſuæ recordatur infirmitatis quoad iſtam recollectionem, compoſitionémq; animi, meritò dejicitur, & ſeipſum alloquitur: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* Monens cum reverentia conjungendam eſſe animi alacritatem, & promptitudinem Deo ſe conjungendi, quæ vera devotio eſt, & inter tumultuantes etiam cogitationum motus haberi poteſt, quam triſtitia immodica impedit: per eam enim obſcuratur animus, charitatis ardor defervet, ſpei deſiderium langueſcit, torpeſcit fides, & pietatis affectus omnis enervatur. Quare contra eum excitandus animus per ſpem in Dei bonitate, gratiáq; ipſius cœleſti, per Chriſti merita; qui actus etiam nobiliſſima diſpoſitio eſt ante ſacrificium, dicendo cum Davide: *Spera in Deo*, qui primarius Sacerdos eſt, ſecundum ordinem Melchiſedech, & ſe Patri æterno in hoc ſacrificio offert, ſupplebítq; miniſtri ſecundarii imperfectionem, atq; illi gratiâ aſſiſtet. *Quoniam adhuc confitebor illi*, inter quaſcunq; animi quas invitus patior turbas: quia ipſe eſt *ſalutare vultus mei, & Deus meus*, ut ſuperiori Pſalmo dictum eſt, unica ſpes, ſalus, Deus meus, & omnia.

Quem etiam affectum benè exprimit imitator Chriſti libellus l. 3.
„ c. 48. Jeſu bone, quomodo ſtabo ad videndum te? Deſidero te inti-
„ mè frui, ſed deprimunt me res temporales, & immortificatæ paſſio-
„ nes. Sic ego homo infelix mecum pugno, & factus ſum mihimet
„ ipſi gravis (&) O quid intus patior, dum mente cœleſtia tracto! Deus
„ meus, ne elongaveris à me! Fulgura coruſcationem tuam, & diſſipa
„ eas, emitte ſagittas tuas, & conturbentur omnes phantaſiæ inimici.
„ Recollige ſenſus meos ad te, fac me oblivíſci omnium mundanorum.
„ Succurre mihi æterna veritas, ut nulla me moveat vanitas. Adveni
„ cœleſtis ſuavitas, & fugiat à facie tua omnis impuritas, &c.

Affectus iam poſitus.

SUSPIRIUM.

VIndica nos ab hoſtibus noſtris Liberator, & Salvator noſter, qui es fortitudo, ſpes, & ſalus noſtra; & emitte lucem gratiæ tuæ ad diſſipandas tenebras cordis noſtri, ut introeuntes ad altare Dei, cum devotionis gaudio, & exultatione, offeramus tibi hoſtiam viventem, & placentem unigenitum filium tuum, qui eſt ſalutare vultus noſtri, & Deus noſter benedictus in ſæcula.

IN PSALMUM XLIII.

Deus, auribus noſtris audivimus, &c.

MEDITATIO XLVI.

Recordatione miſericordiæ, priſtinorúmq; beneficiorum inſtantibus preſſi calamitatibus Dei auxilium ſperemus, & imploremus.

Argumentum Pſalmi.

Eccleſia ſive Judaica (ſenſ. lit.) ſive Chriſtiana (ſenſ. allegor.) ſive utrovis ſenſu à Spiritu Sàncto intento; ſive anima (ſenſ. mor.) commemoratis priſtinis Dei erga ſuos beneficiis, oppreſſa ab hoſtibus Divinum auxilium efflagitat.

Punctum I.

REvoca in mentem cum David, & expende miſericordiam, priſtináq; beneficia, quæ Deus ſuis olim, tibíq; exhibuit: *Deus auribus noſtris audivimus, Patres noſtri annuntiaverunt nobis.* v. 1. Vox Eccleſiæ in Martyribus, vel Machabæis ante Chriſtum, vel aliorum poſt Chriſtum, vel Animæ cujusvis. q. d. Non vanis incertorum hominum rumoribus, ſed infallibilibus partim ſenſuum propriorum experientiis noſtris; partim Majorum noſtrorum omni exceptione majorum revelatis teſtimoniis, tam ſcripto, quam traditione nobis relictis comperi-

mus *opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* v. 2. id eſt, magnalia, & beneficia illis olim præſtita, ſive per te ipſum, ſive per ſervos tuos Patriarchas, & Prophetas in antiquo, vel Apoſtolos, Doctores, &c. in novo Teſtamento.

Nam manus tua (potentia) *gentes diſperdidit*, vel ſeptem illas in Antiquo Teſtamento ſcil. Hetheum, Gergezæum, Ammorrhæum, Cananæum, Pherezæum, Hevæum, & Jebuſæum. Deut. 7. vel in Novo fortiſſimos Gentiles idololatras, eorúmq; Reges, regiones, & exercitus: vel contra animam noſtram inſurgentes potentiſſimos hoſtes, Mundum, Carnem, Diabolum, ut innumeris exemplis conſtat: atq; ita iis eradicatis, vice, & loco illorum *plantaſti eos, afflixiſti populos.* v. 3. & *expuliſti eos* ex terris ſuis.

Non enim in gladio ſuo, ſeu viribus, virtutéq; propria *poſſederunt terram* promiſſionis Patres noſtri, *& brachium*, ſeu fortitudo *eorum non ſalvavit eos.* v. 4. à tot hoſtibus numero, & viribus longè ſuperioribus.

Sed dextera tua in ſecundis rebus eos dirigendo, *& brachium tuum* in arduis confortando, *& illuminatio vultus tui* conſilia ſuggerendo, & mentes illorum in dubiis perplexiſq; illuminando. Verbo, potentiâ tua, & miſericordiâ, quibus eos roboraſti, & benigno vultu favoris, & gratiæ; ſerenáque facie providentiæ tuæ aſpexiſti. Hæc ſunt, quibus quicquid belli, domíque, quacunque in re feliciter actum eſt, attribuendum eſt, non virtuti, aut prudentiæ noſtræ. Et hæc omnia non ex meritis noſtris, ſed bonitate, & miſericordiâ tuâ feciſti, *quoniam complacuiſti in eis, quoniam ſic fuit placitum ante te.* Matth. 11. ut eligeres eos in populum tuum, & prædeſtinares ad gratiam, & gloriam.

Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Jacob. v. 6. Cauſam reddit tantorum operum. q. d. Tu non ſolùm Rex es populi tui, qui, ſicut cæteri Reges, qui conſcriptis exercitibus bellando ſuos protegunt, ſed etiam es Deus, qui verbo ſolo, & mandato, ſeu ſolo nutu populum tibi confitentem, & devotum ſalvare potes: ſeu Angelis tuis mandando. Pſ. 90. vel creaturis cæteris, *quia venti, & mare obediunt tibi.* Matth. 8. & quicquid Cœlo, terrâ, maríque continetur.

In

In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, veluti tauri feroces cornibus in altum excutiunt res, quibus iraſcuntur, & diſſipant velut paleas (metaphora in ſcripturis uſitata) ſic profligabimus hoſtes noſtros in te, tuáq; virtute. *Et in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* Hebr. *conculcabimus*, contemptui habendo, vel ut Lxx. *pro nihilo reputabimus*, quoscunque, quantumvis potentes, & feroces hoſtes contra nos inſurgentes in prælium, tuo freti adjutorio, atq; te, nominéq; tuo, ſeu gratiâ imploratis.

Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſalvabit me. v. 8. q. d. Abſit à me, ut in viribus, robore, armíſq; meis ſpem ullam collocem, cum his edoctus ſciam, omne à te robur, ſubſidiúmq; noſtrum proficiſci.

Salvaſti enim (tu ſolus) *nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti.* v. 9. Tibi enim acceptum refero, & profiteor, quotiescunq; victoriam, ſalutémq; ab inimicis conſecuti ſumus, vel illi confuſi propter irritos conatus ſuos ab oppugnatione noſtrâ receſſerunt, tuâ id virtute factum eſſe.

Propterea in Deo laudabimur, ſeu gloriabimur, ſeu (hebraiſmo) *gaudebimus totâ die* i. e. ſemper, quoties occaſio ſeſe offeret. *Et in nomine tuo confitebimur.* Hebr. *nomini tuo confitebimur*, ſeu laudabimus illud in ſæculum.

Affectus gratitudinis. Ex Soliloq. S. Auguſt. c. 26.

„ Recordare miſericordiæ tuæ antiquæ, quâ nos à principio in bene-
„ dictionibus tuæ dulcedinis prævenisti. Præparans nobis ſemitas,
„ quibus incederemus, & veniremus ad terram promiſſionis, ſeu glo-
„ riam domus tuæ, diſſipatis hoſtibus noſtris, qui nos inde arcebant.
„ Laudetur idcircò miſericordia, & benignitas tua, & non nobis, Do-
„ mine, non nobis, ſed nomini tuo detur gloria in perpetuum.

Punctum II.

Expende ſtatum contrarium utriusq; Eccleſiæ, vel animæ, in quo multis gravibúsq; calamitatibus oppreſſa fuit, & quomodo iſto in ſtatu ſe geſſerit. *Nunc autem* hoc ſtatu luctuoſo, in quo verſamur modo, *repuliſti, & confudiſti nos*, ut à ſingulari illâ curâ, & protectione olim

exhibita videamur repulſi, & propter confidentiam, quam in te habuimus, precéſque, quibus te invocavimus, nec tamen exauditi ſumus coram inimicis noſtris ſtamus confuſi magno cum pudore, quaſi à te eſſemus derelicti: quod Judæis accidit tempore Antiochi, quando opprobrium erat vocari Judæum, & tempore perſecutorum Eccleſiæ, Imperatorum, & Tyrannorum, quo Chriſtianorum nomen infame erat. Quod etiam dici poteſt de SS. & Deum ſincerè colentibus reſpectu Mundi, aliorúmq; hoſtium ipſorum.

Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris. v. 10. quæ altera calamitas eſt, quaſi Deus conatibus, & cœptis noſtris non aſpiret, non comitetur vires, bellum, & exercitus noſtros ad prælium, ut dimicet pro nobis, ſicut olim.

Sed contra, quæ tertia eſt miſeria: *Avertiſti nos retrorſum poſt ini-*
„ *micos noſtros.* Hebr. habet: *Vertiſti terga noſtra hoſti.* Pagninus: *Fe-*
„ *ciſti nos redire retrorſum ab hoſte* per fugam ſcil. Vel ut Bellarmin.
„ *Feciſti, ut qui primo loco, & glorioſi eramus*, jam in poſtremis ſimus, &
„ tanquam victi, & captivi ſequamur inimicos noſtros.

Et qui oderunt nos, diripiebant ſibi. v. 12. Bona nimirum, ſubſtantiámq; noſtram ſuum in commodum diripuerunt, quæ quarta eſt: Jactura ſcil. bonorum temporalium. Sed in his non conſtitit infelicitas noſtra.

Inſuper dediſti nos tanquam oves eſcarum, ceu menſæ, vel macello, aut lanienæ deſtinatos, feciſti nos ſine numero trucidari: quibus Martyrum quinta afflictio exprimitur in perferendis cruciatibus, ipſáq; morte ſubeundâ.

Et (quod morte ſæpe gravius eſt) in exilium exturbâſti ex cæde reliquos, & *in gentibus diſperſiſti nos.* v. 13. per barbaras, & à cultu divino alienas gentes nos ab invicem ſeparando, & diſpergendo: quod *genus* eſt *ſextum* miſeriarum.

Atq; his *vendidiſti populum tuum ſine pretio*: ſeu permiſiſti, ut pretioſus ille, dilectúsq; tibi populus ſanguine tuo emptus venundaretur viliſſimo pretio.

Et non fuit multitudo in commutationibus eorum. v. 14. ut tanquam pro viliſſimis mancipiis, vel pretii, vel licitatorum, emptorúmq; nulla copia, ac multitudo; vel vix aliquid præſentaretur, quod *ſeptimum* eſt.

Ad

Ad quod accedit *octavum*, quoad bona honoris, & exiſtimationis: *Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem, & deriſum, his qui ſunt in circuitu noſtro.* v. 15.

Atq; ob hæc facti ſumus ita deſpicabiles, ut vicini, & amici noſtri, qui propter gloriam ante nos in oculis, & ore ferebant, nunc velut probrum, & dedecus æſtiment, & iis, qui circa nos habitabant, & ad quos fama nominis noſtri celeriùs, & ſinceriùs pertingebat, deſpicatui ſumus; & ſubſannationis, ac deriſionis materia, atq; objectum.

Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. v. 16. alia habet, *poſuiſti nos in proverbium,* & ut alio Pſalmo dicitur, *in parabolam,* ſeu *in dicterium,* ut qui alicui mala precari velit, noſtram illi calamitatem precetur, vel ut gentes, & impiæ nationes de noſtra calamitate parabolam, & proverbium ſibi faciant; & ludibrii cauſa capita moveant, nobis conſpectis, & memoratis miſerijs noſtris. Deridentium enim eſt caput movere.

Horum effectus, & nova calamitas eſt ingens, tum interna, tum externa confuſio. *Totâ die verecundia mea contra me eſt: & confuſio faciei meæ cooperuit me.* v. 17. Continuò animo obverſatur, eúmque lancinat, ex tot, tantíſq; opprobriis conceptus pudor, quem nec animo continere poſſum, quin in faciem prorumpat, & velamenti inſtar vultum operiat, ut oculos attollere non auſim confuſione ſuffuſus.

A voce exprobrantis, & obloquentis à facie inimici, & perſequentis. v. 18. quia ſcilicet convitiatores maledici peſtilentibus me linguis ſuis configunt, & hoſtes me inſidiis continuò infeſtant, & perſequuntur; ſic enim *à facie*, id eſt, propter, cauſam reddit verſûs præcedentis.

Affectus confidentiæ inter adverſa.

„ UBi nunc miſericordiæ iſtæ antiquæ, miſericordiarum Pater? Ecce ſto in hac nocte tenebroſa miſeriarum tam multiplicium, & timor, & tremor venerunt ſuper me, dum video mihi undique imminere multa pericula; à multis quoq; hoſtibus venari, multitudinéq; innumerarum miſeriarum in hac vita me circumdari! & niſi in tantis malis adforet mihi tuum adminiculum, deſperarem. Sed ſpes mihi magna ſubeſt, de te, mitiſſime Princeps Deus meus, & conſideratio multitudinis miſerationum tuarum, quæ apud te ſunt, ſuble-

„ vant mentem meam. Et præcedentia ſigna miſericordiæ tuæ, quæ „ me, antequam naſcerer, prævenerunt, & nunc ſpecialiter in me ef- „ fulſerunt, de futuris benignitatis tuæ melioribus, & perfectioribus mu- „ neribus, quæ amicis tuis reſervas, ſpem meam admonent. S. Aug. Soliloq. c. 26. Tract. 3.

Punctum III.

CONſidera, quomodo in tribulationibus ſuis, tum utraq; ſe habuerit Eccleſia, tum Anima Chriſtiana habere debeat, ut Dei auxilium, ſolatiúmq; conſequatur.

Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & iniquè non egimus in teſtamento tuo. v. 19. q. d. In tantis tribulationibus, quas permittente te ſuſtinuimus, conſtanter tibi ita adhæſimus, ut ad Deum alium per Idololatriam non reſpexerimus (hoc enim obliviſci Deum eſt, phraſi uſitatâ ſcripturæ, ut benè hic Bellarm.) quod Martyres utriusq; Eccleſiæ, Sanctíque cæteri, præclarè præſtiterunt, ut ex hiſtoria eorum conſtat: & anima Chriſtiana de ſe profiteri poteſt, ſi ad creaturas ſolatii, auxiliíq; cauſa Dei oblita, non receſſerit ſuis in adverſitatibus.

Et iniquè non egimus in teſtamento tuo, ſeu contra pactum (pro quo hic ſumitur teſtamentum) vel fœdere, quod tecum pepigimus, ſive in monte Sina, ut ſervaremus legem tuam; ſive in baptiſmo, renuntiantes Diabolo, & pompis ejus; ſive in ſervandis vitæ, vocationiſque noſtræ propoſitis, ac votis; quibus nos tibi obſtrinximus.

Et non receſſit retrò cor noſtrum, vel à te, vel à fide, vel à cultu tuo: *&* (repetenda particula *non*) *declinaſti ſemitas noſtras à lege tua*, quæ ex Hebr. clarius vertit S. Hieron. *nec declinaverunt greſſus noſtri à ſemitis tuis.* Dicitur autem, Deus non declinare greſſus, quando non permittit, per gratiam ſuam ut à lege ejus exerremus, quæ verſus prioris repetitio eſt.

Quoniam (pro *& tamen*) *humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.* v. 21. q. d. nihilominus tamen in profundum miſeriarum demerſiſti nos: nam in loco afflictionis humiliari

liari nihil aliud eſt, quàm in barathrum calamitatum præcipitari; vel in carcerem ſubterraneum profundiſſimum detrudi. Hebræa lectio habet, *in loco Draconum*, qui ſunt tyranni, & gentes efferæ. Verbo, attriviſti nos in loco miſerrimo, & afflictiſſimo inter barbaros tyrannos; quorum ſervitus, & tyrannis umbra mortis, & morti ſimillima fuit, quâ oppreſſi, jacuimus in tenebroſis lacubus; qualia ſunt antra Draconum caliginoſa, deſerta, horrentia, quæ dicuntur pluribus locis utriusq; teſtamenti *umbra mortis*: Ut enim vita, luci; ſic tenebræ, morti; quæ vitæ lumen extinguit, comparatur.

Si obliti ſumus Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum. v. 22. *Nonne Deus requiret iſta, ipſe enim novit abſcondita cordis.* v. 23. Confirmant, quæ de ſua conſtantia, & fide in Deum profeſſi ſunt SS. 1. Teſtimonio ipſius Dei juſtiſſimi vindicis ſcelerum, & ſapientiſſimi Judicis, qui etiam abdita cordis penetrat, ut nihil eum lateat: *nonne* certè enim *Deus requiret iſta*, qui omnia pervidet. 2. Teſtimonio etiam tacito ipſorum tyrannorum, & hoſtium, à quibus idcircò Dei, ipſiúsq; fidei, & cultûs cauſa, crudeliſſimis tormentis excarnificati diutiſſimè fuerunt, & mactati velut oves lanienæ deputatæ, ut habet v. 24.

Quoniam propter te mortificamur totâ die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Quin ergò, cum hæc ita ſint, vel nunc tandem.

Exurge, quare obdormis Domine, exurge, ne repellas in finem. v. 25. *quare faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ?* quia deſtituti omni ope ſumus, quæ exhortantis oratio eſt ad ſumendam, accelerandámque vindictam; cujus diſſimulatio, moráque diuturnior triplici ſimilitudine, vel metaphorâ, deſcribitur: primò dormientis, quâ ratione Chriſtus Matth. 8. exortâ graviſſimâ tempeſtate, in navicula dormiens, à Diſcipulis ſuſcitatus dicitur: *Domine, ſalva nos, perimus.* 2. Avertentis vultum, ſeu irati in modum, ſeu evagantis oculis in alia objecta, ut non videat, quæ coram geruntur. 3. Obliviſcentis, & quaſi ignorantis, quæ fiunt, quæ tametſi in Deum cadere non poſſunt, tunc tamen humano modo de Deo dicuntur, quando auxilium non affert in tribulatione imploratus.

Exurge

Exurge ergò, & ne repellas nos à favore, & adjutorio tuo *in finem*, in perpetuum, ſeu ad conſummationem, donec ab hoſtibus noſtris planè opprimamur; ab hoc enim longè non abſumus.

Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. v. 27. usq; ad ſummum humiliati ſumus, ut magis non poſſimus, ſcil. ad ipſum prope ſepulchrum; idque, vel ab hoſtibus noſtris, per ultimam ignominiam, ſummúmq; contemptum, quo abjecti, & enervati, non hominum, ſed brutorum ſimiles, reptamus in terra magis, quàm gradimur ſuper eam: *conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Vel à nobis ipſis: dum non ſolùm animo humiliato, & contrito ſpiritu, ſed corpore etiam proſtrati in faciem, terræ provoluti adhæreſcimus, vel pulvere conſperſi, pœnitentium, & lugentium more incedimus: quâ corporis compoſitione, non ſtans, nec ſedens, nec genuflexus, ſed *proſtratus in terram in agone* Patrem ſuum oravit Chriſtus. Marc. 14. *Procidit in faciem ſuam ſuper terram.* Quæ demiſſio, habitúsq; corporis ad movendum Deum efficaciſſimus eſt.

Quare concludit: *Exurge, Domine, adjuva nos, & redime nos*, & rationem ultimam, efficaciſſimámq; addit: *propter nomen tuum*, ut non blaſphemetur illud à perſecutoribus noſtris, ſed glorificetur à nobis, & non propter merita noſtra, ſed *propter bonitatem, & miſericordiam tuam*, ut habet Hebr.

Affectus confugientis ad Deum.

Ex Solil. D. Aug. c. 12.

„ ERue me virtus ſalutis meæ, ne ſibi riſum exhibeant de me inimici
„ tui, qui oderunt te. Exurge Domine Deus meus, fortis meus, &
„ diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua, & ego
„ abſcondar in abſcondito faciei tuæ, ut gaudeam cum filiis tuis ſatia-
„ tus omnibus bonis tuis. Exurge, qui non dormitabis, neq; dormies
„ cuſtodiens Iſraël, quia non dormit, neq; dormitat, qui impugnat
„ Iſraël.

ORATIO.

E*Xcita Domine potentiam tuam, quâ te Patribus noſtris tam glorioſè ſuccurriſſe cognovimus, & exurge in adjutorium noſtrum, ac tantis in tribulationibus magnâ nobis virtute ſuccurre: &, ut in fidei, cultúsq;*

tui

tui profeſſione conſtantes, tui nunquam obliviſcamur in adverſitatibus noſtris; Tu ne obliviſcaris inopia noſtra, & tribulationis noſtra, ſed exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum. Amen.

IN PSALMUM XLIV.

Eructavit cor meum, &c.

MEDITATIO XLVII.

EPITHALAMICO-PANEGYRICUM CARMEN.

Seu

Sponſi Chriſti, & Eccleſia Sponſa, encomia, virtutes, & dotes.

Argumentum Pſalmi.

Etſi fortè rectè dici poſſit David carmen hoc nuptiale de Salomone Sponſo, ejúsq; Sponſa filia Pharaonis cecinìſſe (ſenſ. lit.) quin tamen per Salomonem Chriſtus præfiguratus ſit, & per Sponſam ejus Eccleſia ex gentibus collecta, dubium nulli eſſe poteſt, adeoq; concors PP. tam Græcorum, quàm Latinorum ſenſus eſt, ſenſum hunc allegoricum intentum à Spiritu S. præcipuè eſſe. Cui moralis de Sponſa Anima Chriſtiana, vel accommodatius de B. Virgine, vel alius facilè aptari poteſt. Communiorem hic tenebimus de Chriſto, & Eccleſia.

Punctum I.

COntemplare Sponſum Chriſtum, quem ſibi revelatum à Spiritu S. & de eodem dictatum hoc carmen duo primi verſus ſatis demonſtrant.

Eructavit cor meum verbum bonum, ex abundantia, & plenitudine illuſtrationis divinæ, animus meus veluti ſuaviſſimis epulis ſaturatus, hoc carmen velut levem ructum, minimúmq; repletionis, vel comeſtarum epularum ſpiritum eructavit, naturali magis expreſſum neceſſi-

tate, quam propriâ voluntate, aut deliberatum, aut elaboratum. Ut oſtendat nihil ſe ex ſuo afferre, ſed totum à Spiritu Sancto eſſe, quo agitante, movente, inſpirante ſcripſerit *verbum bonum*, vel auſpicatiſſimum vaticinium, omnibus bonum, conducibile, & jucundum; vel *verbum* Divinum eſſentialiter *bonum*, quod ſicut ructus ex plenitudine naturaliter enaſcitur, ita à Patre cœleſti ex perfectiſſima intelligentia, velut ex plenitudine cordis, non ex electione, ſed naturaliter ab æterno, tanquam verbum mentis unicum, & ſummè bonum progeneratum eſt.

Dico ego opera mea Regi. v. 1. Huic nimirum Regi Chriſto unigenito Patris æterni Filio, Regi Regum, Dominóq; Dominantium, pango, ſcribóq; hoc opus epithalamii, carménq; nuptiale, ſeu panegyricum, quod non proprio ex ingenio, meâq; operâ, & induſtriâ elaboratum profluxit, ſed ex dictatione, inſtinctu, & afflatu S. Spiritus, qui linguâ meâ uſus eſt, non tanquam inſtrumento conjuncto, & naturali, ſed veluti ſeparato, ac ſupernaturali.

Nam *lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis.* v. 2. Sicut Scriba celerrimè ſcribens calamo utitur, quod ſcribit præmeditatus ipſe non fuit, ſed ſcribentis manum, digitóſq; ſecutus; ita lingua mea Spiritum S. ejúſq; ductum ſecuta eſt, qui dexteræ Dei digitus appellatur, & velociter ſcribens dicitur, quia non eget tempore, & deliberatione ad ſcribendum, ut ſcriptores creati, qui ut cogitent, quam ſententiam, quibus verbis exprimant, moram requirunt, ideoq; tardè non velociter ſcribentes dicuntur.

Hactenus præfatio, vel propoſitio ad excitandam expectationem tam grandis myſterii. Nunc ad Encomia Sponſi aggreditur. Inter quæ

Primum eſt Species, & Pulchritudo ejus. *Specioſus formâ præ filiis hominum.* Cui nemo umquam, uſpiam formæ decore, & ſpecioſitate ſimilis inveniri, & comparari poſſit.

Hæc verò duplex in Chriſto contemplari poteſt. *Interna, & Externa.*

Et Interna quidem alia increata extitit ex Divinitate, & hypoſtaſi Verbi, quâ Chriſtus ſubſtitit, quam, ſi fidei oculis intueamur infinitam ſine dubio, fuiſſe adeoq; incomprehenſibili pulchritudine præditum Chriſtum fuiſſe cernemus. Alia verò creata animæ, infinitâ gratiâ ſancti-

ſanctificante, ſcientiâ, aliiſq; donis ſupernaturalibus exornatæ; quâ internâ pulchritudine non ſolùm præ filiis hominum, ſed etiam præ ſpiritibus Angelicis ſpecioſiſſimus, & infinitè infinities pulcherrimus extitit, tanquam caput hominum, & Angelorum. Cui addi poteſt illa, ex ſymmetria excellentiſſimarum virtutum, ſpecioſitas ſpecioſiſſima.

Externam verò illam, & primam corporis glorificati ſpeciem ſi intueamur, omni ſplendore Solis, omni candore Lunæ illuſtriorem, nitidiorémq; cernemus, imò *cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirentur.*

Corporis verò paſſibilis in his terris ea elegantia; & dignitas; decor, & pulchritudo extitit, ut ob eam *ſpecioſus formâ præ filiis hominum* veriſſimè dicatur, quam iterum exornabant virtutes amabiliſſimæ, ut nulla ſpecies tam ſuavis, tam jucunda, tam amabilis; quàm vultus JESU CHRISTI, Maximi, Optimi, benigniſſimi, gratioſiſſimus, manſuetiſſimus, modeſtiſſimus: ita ut unico aſpectu cujuscunq; vellet ad ſui amorem cor rapere poſſet, vehementiâ planè ſuaviſſimâ.

Depinxit eam Sponſi venuſtatem Sponſa Cant. 5. per partes, dum interrogata: *Qualis eſt dilectus tuus*, reſpondit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput ejus aurum optimum. Coma ejus ſicut elatæ palmarum, nigra quaſi corvus. Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima. Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, diſtinctus ſaphiris. Cruraillius columnæ marmoreæ,quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species ejus ut Libani, electus ut Cedri. Guttur illius ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis. Talis eſt dilectus meus, & ipſe amicus meus, Filiæ Jeruſalem.* Quæ piè, & doctè explicat R. P. Claudius Aquaviva in hunc Pſalmum. Verbo, ut Codex hebr. *Pulcher, pulcher fuiſti, ſeu totus deſiderabilis.*

Secundum Encomium eſt: Suaviloquentia, verborúmq; ſuadela. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, tam ſcil. grata, tam ſuavis, & plena auctoritatis, eſt oratiò tua, ut omnis perſuadendi vis labris tuis inſediſſe videatur; ut non ſolùm teſte S. Luca 4. *Omnes* ejus auditorés *mirarentur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus*, dicerént q; Johan. 7.

Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Sed & ad unam ſolam vocem ejus, *relictis omnibus eum ſequerentur* Apoſtoli. Imò etiam voci ejus *venti, maria*, febres, & morbi, demum mortui ipſi, & Dæmones *obedirent*.

Et hæc ſermonis gratia non acquiſita ſtudio eloquentiæ, non comparatâ exercitatione, ſed *diffuſa in labiis* naturaliter fuit, & permanens, talis, inquam, quæ à Verbo Subſtantiali Divino in carne aſſumptâ cum verbis efficaciſſimis, & ſermone ſuaviſſimo, omniq; gratia edulcorato procedebat.

Quam ejus rei cauſam ſequentia verba reddunt. *Propterea* (pro quia vel propterea quod) *benedixit te Deus in æternum.* Horum enim cauſa omnium unio hypoſtatica extitit, quâ non ad tempus, ſed in æternum duraturâ benedictus, & unctus à Deo Divinitatis ſuaviſſimo balſamo fuit, ut loquuntur paſſim ſcripturæ, & cujus fragrantia, velut ex fonte, hæc dona in Chriſti humanitatem profluxerunt. Quanquam etiam explicari illud *propterea* poſſit per effectum, quod his donis in ſua prædicatione, cæteriſq; beneficiis, in ſalvatione humani generis præſtitis ita uſus fuerit Chriſtus, ut immortalem gloriæ benedictionem ſit conſecutus. Ex quibus

Tertium Encomium exurgit: à ſingulari, omnigenâq; benedictione, quam à Deo Patre accepit. *Non enim ad menſuram dedit* Deus Filio ſuo benedictionem, uti *neq; Spiritum*, ut S. Baptiſta ait Johan. 5. *ſed benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto*, Eph. 1. *Benedictus* (quod de Joſeph Gen. 49. dicitur) *benedictionibus cœli deſuper, à benedictionibus abyſſi jacentis deorſum. Benedictionibus* „ *uberum*, &c. Et ut S. Bernardus Serm. 3. ſuper miſſus benedictus in „ odore, benedictus in ſapore, benedictus in ſpecie.

Quartum Encomium. Fortitudo, ſeu virtus bellica. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Eja Heroum fortiſſime, gladio Divinitatis ſuper femur humanitatis te accinge: hoc enim ſtratagemate vincetur à te hoſtis teterrimus, ſcilicet per humanitatem, carnémq; „ infirmam, Divinitati unitam. Ut quemadmodum S. Leo ait Serm. „ 9. de paſs. *Dum hoſtis capit, capiatur, dum irruit*, ruat; *dum perſequi-* „ *tur mortalem, incidat in Salvatorem.*

Et hâc novâ, & admirabili pugnandi ratione, & ſtratagemate, victoriam, & triumphum eſt conſecutus, de quo ingenti cum plauſu exulta-

vit Cœlum, & terra; ſuóq; cum turpiſſimo dedecore ingemuit, infremuítq; infernus. Ut inſinuat Apoſt. Col. 2. *Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter* (faciendo ſpectaculum omnibus, ut deriſui eſſent) *palàm triumphans illos in ſemetipſo*, in femore, & gladio ſuo, ſeu in humanitate hypoſtaticè unita Verbo Divino, qui eſt ipſemet Chriſtus.

Alii exponunt, quod gladius in femore Herois potentiſſimi ſit vis illa ſpiritûs, & verborum efficaciſſima virtus penetrabilior omni gladio ancipiti, quâ præter hoſtem ante dictum, ſub poteſtatem, & ditionem ſuam omnes etiam nationes, terráſq; ſubjunxit. Et hoc eſt, quod Iſaias prædixit c. 27. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leviathan ſerpentem vectem, & Leviathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum, qui in mari eſt* (hoſtem ſcil. ter geminum, Diabolum, Carnem, & Mundum) *& vinea meri* (Eccleſia) *cantabit ei* (canticum ſcil. liberationis) quia contritis hoſtibus liberata eſt, & regi ſuo naturali iterum ſubjecta. Apoc. 5. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum*, quod canticum illud eſt.

Quintum ſumitur *à proſperitate*, & felicitate regnandi. *Specie tuâ, & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna.* v. 5. q. d. hâc tuâ ſpecie, decore, & gloriâ, hoc habitu, & cultu armatus, femur ſcil. gladio accinctus, ſeu Divinitate cum humanitate unitâ, *intende*, ſeu dirige velut in hoſtem arma tua, vel in corda hominum radios gloriæ, & decoris tui, & ſic *proſperè procedes*, ſeu proſperaberis, feliciterq; regnabis. Ut nempe poſt debellatum proſperrimo prælio principem hujus mundi, in cordibus hominum per fidem, & charitatem, quibus ſpeciem tuam videant, & pulchritudinem tuam diligant, feliciſſimè regnes. S. Hieron. legit pro *proſperè procede*: *proſperè aſcende*, ſive ſolium regium more ſcil. regio, ſive ſuper equum regiè inſtratum, ſive ſuper quadrigam triumphalem, quæ eandem proſperitatem, & felicitatem regnandi, vincendíq; indicant.

Sextum ducitur à virtutibus rege dignis: & arte, modóq; regnandi. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* v. 6. q. d. Quemadmodum regnum tibi comparaſti non aſtu, & perfidiâ; nec tyrannide, & crudelitate; non per injuſtitiam, & fraudem; vel nefas quodcunque; ſed per regias virtutes. *Veritatem, & manſuetudinem; & juſtitiam.* Hebr. clarius ſic habet:

Propter verbum veritatis , & manſuetudinem juſtitiæ , &c. Quæ Regi Chriſto conveniunt cumprimis; Eſt enim in verbis, & promiſſis veraciſſimus, & fideliſſimus; imò ipſa veritas, ut de ſe ait: *Ego ſum via, veritas*, &c. Johan. 8. Nec ſicut Reges terræ, vel artificiis, & technis; vel ſimulatione, & aſtu; vel multis à ſe promiſſis, ſed paucis, aut vix ullis poſteà ſervatis , ac præſtitis ; aliâve humanâ arte parum ſincerâ ſuos regere , & in obſequio continere ſtudent : ſed ingenuo candore , & fidelitate ſinceriſſimâ, veraciſſimiſque verbis, ac promiſſis ſubditos ad ſe allicit , allectóſque regit , & conſervat. *Fidelis DEUS in verbis ſuis ; qui nec fallere poteſt , nec falli. Cuſtodit veritatem in ſæculum , facit judicium injuriam patientibus , dat eſcam eſurientibus.* Beatus igitur , cujus ſpes in Domino ejus ! gloriari cum Apoſtolo poteſt. 2. Timoth. 3. *Scio , cui credidi , & certus ſum , quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Et Rex ille manſuetus , de quo Zachar. 9. cap. prædixit : *Exulta ſatis Filia Sion. Ecce Rex tuus veniet tibi manſuetus.* Ut S. Matth. 21. reddit pro *Juſtus , & Salvator* , qui ſe meritò omnis manſuetudinis exemplar nobis propoſuit. *Diſcite à me, quia mitis ſum.* Marc. 10. Et quid aliud ejus ortus, vita , converſatio , prædicatio , paſſio , mors , quam manſuetudinem clamant? *Verè Agnus* dictus idcircò paſſim , *qui tollit* , & tolerat *peccata mundi.* Agnus in præſepio , agnus inter matris ubera , agnus inter inſidias , agnus inter Apoſtolos , agnus inter peccatores , & publicanos, agnus in contumeliis , agnus in cruce , agnus in ſacrificio incruento , agnus in throno , & gloriâ cœleſti. *Eſt Rex juſtus* , quia per juſtitiam accepit regnum , ut juſtè , & condignè ſatisfaceret Deo Patri. *Si dederit pro peccato animam ſuam , videbit ſemen longævum.* Iſai. 9. ſeu regnum in ſuos redemptos conſequetur. Per juſtitiam Dæmonem magis debellavit , quàm per majeſtatem , & potentiam. Per juſtitiam Patri pro liberandis nobis ſatisfecit ex rigore. Per Juſtitiam Advocatus in Cœlo apud Patrem cauſam noſtram agit. Per juſtitiam reddet unicuique ſecundum opera juſtiſſimus Judex. Per juſtitiam juſtificat impios, gratóſq; reddit. *Juſtitia deniq; ejus ſicut montes Dei.* Pſ. 35. Eſt deniq; manſuetè juſtus, juſtiſſimè quidem judicans, ſed ſine moroſitate , ſine aſperitate , ſine duritia, ut Judices

alii,

alii, concilians ſibi animos ſubditorum non abſterrens manſuetudinem juſtitiæ ſemper admiſcendo.

Septimum Encomium à potentia propria, quâ ſolâ, nullius auxilio egens, victor regnabit. *Et deducet te mirabiliter dextera tua.* q. d. ad benè adminiſtrandum, conſervandum, amplificandúmque regnum non indigebis alienâ manu, ſed ſolâ dexterâ, potentiâque tuâ ad id ſufficiet, quæ dextera, ut legit S. Hieron. *docebit te terribilia*, id eſt, vincendo, ſternendóque hoſtes cernere te faciet, terribiles eorum ſtrages, eventus, progreſſus, victorias, triumphóſque admirabiles ad amplificationem regni tui, quod ipſum Pſalm. 97. deprædicatur: *Cantate DOMINO canticum novum, quia mirabilia fecit, ſalvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus.* Hæc ſcilicet mirabilia, non aliorum opera, & præſidiis, ſed ſuâ propriâ fortitudine perfecit. De quo etiam per Iſaiam, ipſe gloriatur cap. 63. *& ſalvavit mihi brachium meum.* Nec certè mirabilia illa ab alio fieri poterant, quàm iſta dexterâ Chri-
„ ſti. Nam vincere Diabolum, peccata delere, mortem abolere
„ (ait S. Ignatius Martyr Epiſt. 11.) homines ſanctificare, amore
„ allicere, ad cœleſtia provehere, & innumera ejuſmodi patrare, ſoli
„ divinæ virtuti, & dexteræ conveniebat. De qua Pſalmo 117. *Dextera Domini fecit virtutem.* Et Exod. 15. *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſſit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti adverſarios tuos.* Ita hunc Regem deduxit mirabiliter ſola dextera tua.

Octavum petitur ab armis, & modo pugnandi: *Sagitta tua acuta (populi ſub te cadent) in corda inimicorum Regis.* v. 7. Qui verſiculus clarior evadit, ſi ordo verborum mutetur nonnihil, & uno verbo ſuppleatur ſic: *Sagitta tua acuta in corda, vel corde* (ut Græ. & Hebræ. legunt) *inimicorum Regis* (ſubaudi) *infigentur*, & ſic *(populi ſub te cadent.)* Qui effectus quaſi præproperè poſitus parentheſi includitur.

Quibus modus explicatur, quò dextera Regis Chriſti deductura eum ſit mirabiliter in amplificando regno ſuo. Nimirum per ſagittas verbi ſui Divini, & prædicationem Evangelii, quod uti gladius anceps dicitur

citur Hebr. 4. *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, ita hic *ſagitta acutiſſima*, & alibi *malleus* vocatur, eò quod ſit generale inſtrumentum Regis Chriſti, ad propugnandum regnum ſuum, ut Pſ. 2. ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Peracutæ* verò hæ *ſagittæ* ſunt propter efficaciam penetrandi corda multò majorem, quam quævis humana ſit eloquentia. His ſagittis vulnerantur, & transfiguntur corda eorum, qui Regi adverſantur, ejúſq; inimici ſunt, transfiguntur, inquam, non ut perimantur, ſed ut concilientur, fiántq; amici, vel ut moriantur quidem peccato, *vivant* autem *juſtitiæ. Pertingunt hæ* ſagittæ usq; *ad diviſionem animæ, & ſpiritus* à carne, & ad conjunctionem cum Rege Chriſto: inimicos configunt, & configendo amicos faciunt: ſauciantur iis ſalubriter, & moriuntur vitaliter, qui iis transfiguntur. *Sagittaveras*, inquit S. Aug. 9. Conf. 2. *cor noſtrum charitate tua, & geſtabamus verba tua transfixa viſceribus.* Hinc ille optatus, & præclarus effectus *populi ſub te cadent*, ſcil. ut te Regem agnoſcant, tibi ſe ſubmittant, qui ante adverſabantur; cadant humiliati, reſurgant erecti: penetrentur ſagittis, & transfigantur amore, dulces ſagittæ! ſuavia vulnera! quibus vel ſanctæ compunctionis, vel amoris caſtiſſimi, vel deſiderii ſanctiſſimi, & innumeris ejusmodi affectibus transfiguntur quotidiè animæ, & ſubjiciuntur Regi ſuo, & cum Sponſa dicunt Cant. 5. *Vulnerata charitate ſum*, pro eo, quod legunt, *quia amore langueo.* Hæc Regis Chriſti armamentaria, hic modus pugnandi, hæc victoria eſt.

Nonum Encomium. Excellentia regalis throni. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* v. 8. Thronus tuus regius non eſt, qualis eſt aliorum Regum, qui homines tantùm ſunt, throníſq; inſident quidem artificioſiſſimis, qualis ille Salomonis fuit, ſed hos omnes quia breves, facilè mobiles, & perituri ſunt, excellit ille Chriſti Regis: quia Deus eſt, ideoque *thronus ejus* ſempiternus eſt, *& in ſæculum ſæculi* permanſurus. Nam Chriſto Regi eadem eſt, & ſedes, & regnum, & ſubſtantia, & Deitas. Unde non magis poteſt è regno, ac throno dejici, quàm à propria natura, & ſubſtantia. Hinc Luc. 1. dicitur: *& regni ejus non erit finis.* Felices, qui tali ſub Rege & reguntur, & regunt, imò ideò regunt, qui reguntur.

Decimum Encomium. Rectitudo gubernationis. *Virga directionis,*

nis, virga regni tui. v.8. Senſus eſt. Sceptrum, ſeu virga regni tui, eſt ſceptrum rectiſſimum, (Phraſi hebr. genitivus rectitudinis, pro adjectivo rectiſſima) rectiſſimè, & æquiſſimè imperabis. Velut alia habet: *Sceptrum æquitatis, ſceptrum regni tui.* Quæ virga nulla pravitate, reſpectúve curvari poteſt, vel ob æquitatem inflexibilis eſt, ſive regat juſtos, ſive percutiat impios, ut ex ſeq. verſu eluceſcit. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem,* &c. poteſt etiam ſceptrum regni ſceptrum directionis inſuper dici, tum quia regnum ejus proſperè, rectéq; procedit, juxta quod ſuprà dictum eſt: *intende proſperè, procede, & regna;* tum quia eos, qui in regno ejus ſunt, per ſe ipſe dirigit, ut gratulari queant ſibi, *Dominus regit me,* cum Pſalmiſta. Pſ. 22. Quod adeò de ſingularibus eorum actionibus, verbis, cogitationibúsq; etiam internis verum eſt, pro quibus & tribuit intellectum, & vires ſuppeditat, & gratiam, ut rectæ ſint non tortuoſæ: quod cæteri Reges univerſali tantùm providentiâ, & generalibus placitis, ac præceptionibus facere poſſunt; tum quia ſceptrum gubernationis ejus, velut exemplum, & regula eſt rectiſſima, ſecundum quam vitam, moréſq; noſtros dirigamus, ejúſq; ductum hâc virgâ directum, & demonſtratum ſequamur, velut paſtoris virgâ præcedentis, præſertim cùm ſceptro, & Virgâ S. Crucis; ut in Pſ. 22. ſuper illa inſinuatum eſt: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Verè enim Crux Chriſti ſceptrum regni ipſius dici poteſt. *Regnavit enim ab hoc ligno Deus, & factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus.* Iſ. 9. Per hanc dirigimur in via vitæ hujus, in adverſis erigimur, deprimimur in proſperis, rectè procedimus in omnibus. Tum quia deniq; virga directionis ejus clementia dici poteſt, virga verè regia, quâ ad ſe omnes, & admittit, & vocat, velut extenta virga aurea Aſſuerus faciebat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. & ego reficiam vos.* quod nuſquam pleniùs, & dulciùs facit, quàm in diviniſſima Euchariſtia.

Undecimum Unctio Regis hujus admirabilis. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* v. 9. q.d. Te, O Chriſte Deus, & homo, Deus Pater tuus æternus in primo inſtanti conceptionis tuæ oleo unxit admirabili; tum unionis hypoſtaticæ, tum gratiæ, & chariſmatum S. Spiritus, quæ in te ſunt maxima. Nam *vidimus eum, tanquam Unigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Johan. 1. tum glorificationis, & exalta-

 tionis,

tionis, usque ad dexteram Patris, per quam, quia finis impoſitus eſt omnibus vitæ doloribus, ideò unctio perfectæ lætitiæ dici poteſt. Unxit ergò te Pater in Regem, unxit in ſummum Sacerdotem, unxit in Salvatorem, & caput generis humani, ut Aaronis inſtar usque *in oram veſtimenti ex hoc capite unguentum deſcenderet*. Pſalm. 132. Idcoque præ conſortibus, & comparticipibus Angelis, & cohæredibus tuis hominibus unxit te longè uberiùs; illis enim virtus Spiritûs Sancti, qui *ſpiritualis unctio dicitur*, finitè communicatur per merita tua: in te verò copioſiſſimè, largiſſiméque effuſa, tota totum replevit. *Non enim ad menſuram dedit Spiritum ſuum tibi Pater*, ut B. Baptiſta, Joh. 3. ajebat. Comparticipibus autem tuis, & cohæredibus definitus eſt modus, quantum cuique metitur liberalitas tua, ex quo tanquam ex fonte pleniſſimo ad nos omnia bona promanant. Sicut ex lampade illa (quam vidit Zachar. cap. 4. ſuper caput candelabri aurei, quod eſt Eccleſia tua) in lampades alias minores influebat oleum, Sacerdotale illud, inquam, quod ex myrrha prima, & electa, cinnamomo, & calamo; & caſia componebatur Exod. 30. *Ita factus es nobis à Deo ſapientia, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* 1. Cor. 1. quibus ungimur, & velut compoſito ex pretioſis his aromatibus Sacerdotali unguento perfundimur. Factus inſuper es nobis oleum, quod ulcera, tumoréſq; noſtros mollit, quod morbos ſanat, quod paſcit, & inpinguat, quod lucet nobis in tenebris, luctantes cum hoſtibus corroborat, mare cordis noſtri inquietum ſedat, exhilarat faciem, & in Sacerdotes nos tuos conſecrat.

Hoc autem oleo lætitiæ delibutus es, propterea *quia dilexiſti Juſtitiam, & odiſti iniquitatem*, ut non ſolùm ipſe ſanctiſſimus, & juſtiſſimus eſſes, ſed ut nos ſanctos etiam, juſtóſque efficeres, & hoc eſt, quod Danielis 9. prædixit ſancto Gabrieli: *Ungitur Sanctus Sanctorum, ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, ecce odiſti iniquitatem, & adducatur juſtitia ſempiterna, ecce dilexiſti juſtitiam.*

Duodecimum Encomium à fragrantia, & deliciis veſtimentorum. *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis.* v. 10. Quibus verbis ſignificatur: Virtutes varias heroicas, fragrantiſſima velut aromata reſpirare ex Chriſti humanitate, quæ è puriſſimis viſceribus SS. Genitricis producta eſt. Benè etenim humanitas Chriſti,

ſti, ſanctiſſima, inquam, anima illius, & corpus, veſtimenta dicuntur, quibus ejus Divinitas circumamicta, velut *ſub velamine*, ut D. Paulus ad Hebr. 10. loquitur, continebatur, & latebat. Ex his naturæ humanæ veſtimentis unguenta, & aromata ſuaviſſima excellentiſſimarum virtutum, divinum omnibus afflant odorem.

Illæ porrò virtutes ſignificantur 1. per Myrrham, quæ amara quidem, ſed perquam odora eſt, indicatur fortis patientia, cujus heroica exempla Chriſtus, in paſſione ſua præſertim, velut odores efficaciſſimos ſpiravit. 2. Gutta, vel ſtacte, quam aloen interpretantur, quæ humilem obedientiam denotat, quâ *factus eſt obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis*, ad Phil. 2. 3. Caſia, quæ calida, & odorata item eſt, ardentiſſimæ charitatis ſymbolum, quâ etiam pro Crucifixoribus ſuis, & patiebatur, & orabat cum fragrantiſſimo odore apud Deum, & homines.

Hæc etiam Aromata S. Hieron. ſic explicat, ut myrrha mortificationem membrorum, quæ ſunt ſuper terram, ſignet. Aloe bonum Chriſti odorem. Caſia, ut ſuo calore medicinali pituitam excoquat. Et ut fiſtula vocalis ſit in laudem Dei. Atque hæc indumenta, hortatur Principiam in epiſtola ad eam, ut parcet Sponſo: & ut his ob ea veſtibus comptus incedat. Sed prior Bellarmini præplacet.

Regia porrò hæc veſtis, vel humanitas Chriſti, tot virtutum odoribus imbuta, deprompta, & prolata dicitur *à domibus eburneis*, per quas promptuaria, & diſpoſitarias arces pro aſſervandis veſtibus odoratis intelligunt aliqui ex ebore factas; ſed minus convenienter, ut obſervat Bellarm. eò quod hebraica, & græca vox non exiguas capſas, ſed magnificas domos, palatia ebure veſtita, & baſilicas, templáq; incruſtata eburneo artificio ſonet, Divo Baſilio adſtipulante. Quare per eburneas domos ipſe Chriſti humanitatem vult intelligi, quàm cum veſtibus in eandem ſignificationem coincidere, & conjungi, non eſſe inconveniens ex Apoſtolo probat 2. Cor. 8. Verum melius dicitur ſignari per eburneas domos puriſſima, & ſanctiſſima viſcera intemeratæ Virginis, & Deiparentis *Mariæ*. Quæ verè *domus eſt eburnea*, & baſilica, ac *templum* extitit *S. Spiritus*, & *enixa puerpera Regem* hunc fuit, *qui Cœlum, terrámq; recit.* Ex his domibus, vel ædibus eburneis candidiſſimis, & caſtiſſimis (eas enim virtutes ebur adſignificat) deprompta, &

producta ſunt veſtimenta illa ſummi Regis odoratiſſima, & omni aromatum fragrantia delibuta. Nec obſtat expoſitioni huic domos plurali numero, pro ſingulari poni. Illud enim perfrequens eſt phraſi ſcripturæ, & Hebræorum, præterquam quod id peculiare habeat domus; ut propter multitudinem conclavium, una, & multa dicatur, quomodo etiam ædes eodem multitudinis numero vocitamus, ut ipſe Bellarm. benè obſervat.

Decimum tertium, & poſtremum Encomium Chriſti Regis, & Sponſi ſumitur à ſtudio, & amore, & comitatu filiarum Regum, ſeu multitudinis populorum ex omnibus regnis. *Ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo.* v. 10. quibus veſtimentorum tuorum pretioſiſſimorum, & ornatiſſimorum fragrantiſſimis odoramentis, & exhalationibus attractæ, non adoleſcentulæ ſolùm de plebe, ſed filiæ Regum etiam, animæ ſcil. regiæ, & excelſæ, vel diverſis ex regnis multitudo populi *delectaverunt* te, vel *lætificaverunt* te. Hebr. *dilexerunt te in honore tuo*, ſeu ſolennitate nuptiarum tuarum, cùm velut Sponſus iis veſtimentis decorus, & fragrans procederes; quas his illiciis poſt te vi quâdam mirabili quaſi traxiſti. Juxta illud Cant. 1. *Trahe nos poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum, quia oleum effuſum non ſolùm nomen tuum*, ſed etiam veſtimenta tua, *ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.* Certè nullâ re magis lætificatur, ac delectatur Chriſtus Sponſus, quam dum videt poſt ſe, & in odorem, & imitationem virtutum ſuarum currere ſanctas animas, idq; in honore ejus ſive ex intentione majoris gloriæ, & honoris ipſius. Non ignoro expoſitionem illam, quæ refert explicata verba ad domos eburneas, quaſi non quæcunq; mulierculæ unguentariæ, ſed filiæ Regum veſtes Sponſi imbuerint odoramentis illis in domibus, ac palatiis eburneis, indeq; exprompſerint. Cui S. Hieron. ſupra cit. ad principium favet, ſed prior magis expoſitio arridet.

Affectus amoris.

O Specioſe præ filiis hominum, & Spiritibus Angelicis, animarum Sponſe Chriſte! O mellitiſſimi eloquii, & ſuaviloquentia, gratiâq; ipſa ſermonis! Rex manſuetiſſime, & juſtiſſime, quis te non diligat, quis te non ſequatur? Evibra ſagittas amoris tui acutas in cor meum, & transfige illud charitate tuâ igneâ, tibiq; plenè ſubjice, ut

præter te nil amet, nil ſequatur, nil concupiſcat. Sonet vox tua in auribus meis, extende virgam ad me regni tui auream, & dirige me Rex meus, & Paſtor meus, trahe me aromatibus veſtimentorum tuorum; & curram in odorem unguentorum tuorum.

Punctum II.

COntemplare Regis hujus Sponſam, illiúsq; excellentias, & præconia.

Primum eſt: præcipua ejus dignitas, quod in Reginam elevata ſit, & ſtet à dexteris Sponſi. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Quæ de Eccleſia ex gentibus congregata PP. pleriq; intelligunt. Cujus dignitas planè admiranda hæc eſt, quod in Sponſam Regis Chriſti, & per conſequens in Reginam electa evectáq; ſit, locóq; proximo, & honoratiſſimo, nempe à dextris collocata, quanquam inferiori in ordine infra thronum Chriſti, ubi non ſedere, ſed ſtare, vel aſſiſtere dicitur; quia, ut obſervat Chryſoſt. ſedere convenit æquali, & ideò Filius ſedet ad dexteram Patris, ut æqualis. Eccleſia autem aſſiſtere dicitur cum cœleſtibus poteſtatibus, quæ etiam aſſiſtere dicuntur coram Deo, verum non à dexteris, ſed à ſiniſtris: quod ipſos Angelos præcedat Eccleſia ſaltem quoad B. Virginem. Quanquam & ſtandi, aſſiſtendíq; verbum firmitatem, conſtantiámq; denotet, ut Eccleſia, ceu *columna veritatis* firmiter *fundata* ſignificetur *ſupra petram, contra quam portæ inferni non ſint prævalituræ.* Matth. 16. Veruntamen aſſiſtit ut Sponſa, non ut concubina, ut aliqui Hebræum verbum explicant, ſed ut Regina, quæ ad regium thalamum, velut Sponſa, Conjux, & Regina, aſſumpta ſit, quam dignationem mirificè exponit Ezech. cap. 16. cum conſiderat ſtatum, ex quo extracta, & ad quem evecta eſt. *Projecta es*, inquit, *ſuper faciem terræ in abjectione animæ tuæ, in die quâ nata es, & eras nuda, & confuſione plena*, &c. *Expandi amictum meum ſuper te* (quæ nuptialis ceremonia fuit Sponſorum in conjugium aſſumentium uxores) *& juravi tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum* (deſponſationis ſcil. ad firmitatem perpetuam, ſine ullo repudii periculo) *& facta es mihi*; *id eſt, tota mea, & veſtivi te diſcoloribus*, &c. de quo mox. Quæ non magnâ operâ accommodari poſſunt cuivis animæ ſanctæ. Nam, ut „ S. Bernardus ait: *Sponſus Deus noſter eſt; Sponſa, ſi audeo dicere, nos*

„ *ſumus. Non me capio præ lætitia, quod tanti nos fecerit illa majeſtas.* (Si ſenſu tranſlatitio intelligere hunc locum voluerimus.) maximè Beatiſſimæ Virgini quadrat, ut quæ Sponſi filii, & Sponſa ſit, & mater: mater carne Sponſa Spiritu; eadémque Angelorum, & cœli, terræque Regina, cui thronum multò ſublimiorem, quàm Salomon matri ſuæ Berſabææ, Chriſtus filius, & Sponſus ejus in Cœlo præparavit, ut conſiſtat à dextris Filii, ſicut Filius ſedet ad dexteram Patris.

Secundum Sponſæ hujus præconium eſt veſtitus, & ornatûs ejus. Aſſiſtit enim *in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* v. 11. Hebr. habet *in auro de Ophir.* Quod S. Hieron. vertit, *in diademate aureo.* Sed melius Lxx. volunt, univerſum amictum ejus fuiſſe aureum. Vel ipſam totam auream, quoad ornamenta omnia. Auream in diademate, auream in monilibus, auream in annulis, auream in cingulo, auream in fimbriis, auream in calceis, auream denique in amictu univerſo, ex auro de Ophir, quod excellentiſſimum erat, ſive per aurum gratiam ſanctificantem intelligamus cum S. Chryſoſtom. & Hieron. per varietatem verò varias virtutes cæteras. Sive ſapientiam cum S. Auguſtino, & per varietatem varias linguas, quibus illa prædicatur. Sive cum Baſilio doctrinam Eccleſiaſticam, & per varietatem varia dogmata ejus; vel varia dona pro varietate membrorum Eccleſiæ, & munerum, ut alia ſint Apoſtolorum, & Paſtorum, alia Martyrum, alia Doctorum, &c. prout Apoſt. 1. ad Cor. c. 12. recenſet. *Diviſiones enim gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, &c.* & *alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum*, & plura alia, quæ ſequuntur. Juxta quod ſupra apud Ezechielem Sponſæ ſuæ hoc in mentem revocat Deus: *Et veſtivi te diſcoloribus* variarum virtutum, manſuetudinis, humilitatis, miſericordiæ. *Et calceavi te janthino* cœleſtibus affectibus, & deſideriis; *& cinxi te byſſo*, puritatis, & ſanctitatis; byſſus enim juſtificationes Sanctorum ſunt. Apoc. 19. *& indui te ſubtilibus*, exquiſitiſſimorum, & ſubtiliſſimorum donorum Spiritus S. (Hieron.) *& ornavi te ornamento*, omnigeno decore: *& dedi armillas in manibus tuis*, bona, ſanctáq; opera, *& torquem circa collum tuum*, monile ex variis gemmis (Hieron.) quæ ex ſapientia. Prov. 1. Eccl. 9. *& dedi inaurem ſuper os tuum*, dogmatum divinorum; *& circulos auribus tuis*, cuſtodiæ contra verba, & ſermo-

ſermones quosvis pravos; *& coronam decoris in capite tuo*, diadema glorationis, ſeu gloriæ æternæ, & alia pulcherrima, quæ proſequitur. Quid iſto amictu pretioſius, quid ornatu hoc pulchrius, quid varietate jucundius?

Tertium Sponſæ præconium. Affectus in ſolum Sponſum à cæteris rebus creatis abſtractus, quem prophetica exhortatione Vates regius exponit, vel ſuo, vel Patris cœleſtis nomine.

Audi filia (Eccleſia enim Prophetarum filia eſt etiam, & Dei partus imprimis) *& vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui.* v. 12. q. d. Si Sponſum Chriſtum tui amore velis flagrare, tuúmq; concupiſcere conjugium, neceſſe eſt, ut in illum omnem amorem tuum transfundas, atq; omnia obliviſcaris, quæ ante chariſſima habebas, etiam ipſos parentes, cognatos, notos, patriámq; domum, &c. quæ eſt illa præſtantiſſima, hominíſq; Chriſtiani maximè propria affectio, quæ abnegatio vulgò vocatur.

Atq; ad hoc media opportuna ſuggerit: *Audi*, inquiens, per fidem (quæ auditus cordis eſt) quæ ſacra Sponſi oracula, vocéſq; te docent, & vide conſiderationis, & meditationis oculis, ea quæ audiſti, attentiùs perluſtrando, & *inclina aurem tuam*, pronò ad obediendum ſtudio, exercendo te in iis, ut promptâ acquiſiti velut habitûs facilitate in ea inclines, quaſi naturaliter; & cum jucunditate experiaris in deſerendo creata omnia ita perfectè, ut oblitâ oblivione naturali eorum videare, ſic ut ne vel ulla de iis tibi ultra occurrat cogitatio, nedum ut affectu iis adhæreſcas. *Obliviſcaris autem populum tuum, & domum Patris tui*, cum Abraham *egrediens de terra tua, & de cognatione tuâ, & domo Patris tui.* Gen. 12. Mundum ſcil. ex quo electa eſt Eccleſia, vel gentilitatem, unde aſſumpta eſt, vel ſæculum hoc nequam, à quorum conſortio, moribus, legibus, & principiis quàm remotiſſima debet eſſe Sponſa Chriſti, quia nec ipſe, nec qui illum ſequuntur, de mundo ſunt, nec *mundus eos diligit, ſed odit potiùs.* Johan. 15. & *domum Patris*, id eſt, veteris hominis, ſeu Adami infelicis Patris noſtri, inclinationes, conſuetudines, habitus, depravatæ naturæ, carníſq; noſtræ, ſeu Diaboli ipſius, qui eſt Pater mendacii, & iniquorum omnium, ſuggeſtiones, & inductiones, de quo Ezech. 16. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.*

Quæ eadem de ſancta anima dici poſſunt, quæ Regis Chriſti filia, & Sponſa eſt, ut terreni, veteriſq; Adami actibus, nec non amore proprio, creaturarúmq; affectu ſepoſito, Chriſto tantùm adhæreat. Vel ſuo etiam modo, de B. Virgine, quæ eſt filia æterni Patris, & Filii mater, Sponſáq; S. Spiritus eſt.

Quartum Sponſæ præconium, ſimúlq; incentivum eſt amor Dei ergà eam reciprocus. *Et concupiſcet Rex decorem tuum, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus.* v. 13. q. d. Ex hoc ingens conſequetur gloria, & dignitas tuá, ut eam nempe pulchritudinem, decorémq; nanciſcaris, cujus amore, & deſiderio capiendus ſit Sponſus tuus Chriſtus, qui non ſolùm Rex, & Dominus, ſed etiam Deus tuus eſt. Non enim aliunde decor ille tuus oritur, quàm quod à tenebris mundi per ejus oblivionem te avertas, & ad Solem Juſtitiæ Chriſtum, radióſq; ipſius te convertas. Ita enim ipſius ſimilitudinem, & imaginem indues, in qua totus animæ „ decor ſitus eſt. Anima, inquit appoſitè ad hoc S. Macarius hom. 1; „ quæ planè illuſtrata eſt ab illa ineffabili pulchritudine gloriæ luminis „ vultus Chriſti, & Spiritu S. repleta ac digna quæ fieret domicilium, „ & thronus (ac Sponſa) Dei, tota oculus, tota facies, tota gloria, tota „ Spiritus (tota decor, & ſpecioſitas) evadit. Cujus rei ſimilitudinem in Sole, & igne affert. Et ſimilem addit S. Chryſoſt. hom. 7. in argento perpolito, ad Solis radios expoſito, & ſpeculo etiam, pulvere omni abſterſo, & nitido, quod radium à Solis gloria accipit, & lucidius factum, illum viciſſim à ſe remittit. Id quod S. Apoſt. expreſſit appoſitiſſimè in converſione Sponſæ Chriſtianæ Eccleſiæ, à velamine Judæorum, & figuris Moſaicis, ad revelatum ſplendorem lucidiſſimæ legis Chriſti, dum ait 2. Cor. 3. *Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu.*

Atq; ita eveniet, ut *concupiſcat Rex decorem tuum.* At quis Rex? *quia ipſe eſt Dominus Deus tuus*, quæ ingens dignatio Sponſi, & dignitas Sponſæ eſt, concupiſci à tanto Domino, qui eſt Deus adorandus. Quod motivum poſſit eſſe efficacius? quod incentivum mutui amoris „ ardentius? Benè S. Auguſt. in hunc locum. Deus tuus eſt Rex tuus, „ & ipſe eſt Sponſus tuus. Regi nubis Deo ab illo dotata, ab illo decora„ ta, ab illo redempta, ab illo ſanata: quicquid habes, unde illi placeas, „ ab illo habes.

Ex

Ex iiſdem verbis motivum reverentiæ, & obſervantiæ ducit S. Chryſoſt. in eund. Pſalm. urgetq; Sponſam docet hoc nomine, quod Deus ejus ſit, non ſolùm ut ſe jungat ſe ab illis omnibus, quæ obliviſcenda præmonuit, ſéque ipſam totam illi dedicet; ſed etiam non ſine myſterio admonet, ne ita Sponſum amplectatur, ut Dominum, & Deum eſſe obliviſcatur. Quare ut debitus ei reddatur honor, affectus miſceat reverentiæ, & amoris; ſic eum diligens caſto, ardentiq; amore, ut cum reverentia, & timore ei deſerviat. Quæ animæ ſanctæ cuivis documento etiam eſſe, ſerviréq; poſſunt.

Quintum Præconium. Adoratio, & verus Dei cultus, oblationéſque munerum à procul poſitis gentibus, & magnatibus in Eccleſia factæ. Et *adorabunt eum, & Filia Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* Græca, & Hebræa lectio quidem *(& adorabis eum)* oſtendit hæc verba convenienter verſui ſuperiori ſubnectenda eſſe. Sed quia altera Lxx. & SS. PP. unanimis, & communior eſt, etiam cum ſequenti jungi poſſunt, ad novam Sponſæ dignitatem declarandam: quod nimirum Dominum Deum Sponſum Eccleſiæ, omnes populi adoraturi ſint *in ſpiritu, & veritate*, ut Chriſtus Samaritanæ in adventu Meſſiæ inſtante denuntiavit, fore à veris adoratoribus ad Chriſtum converſis in Eccleſia, non Hieroſolymis, aut in monte Garizim. Johan. 4. & quod præſertim Filiæ Tyri (quo nomine gentes ſignificantur) nam filia pro populo poni ſolet, ut filia Babylonis, filia Hieruſalem, quæ à vero cultu Dei maximè alienæ, etiam cum muneribus vultum ejus, vel in conſpectu ipſius deprecaturæ ſint; atque ex aliis populis Magnates, & Principes, qui divites plebis dicuntur, & potentiores in plebe, magnifica donaria allaturi. Ut accidit non ſolùm Chriſto nato à tribus Regibus, Eccleſiæ primitiis, ſed poſt oppugnatam diu ab Ethnicis Tyrannis Eccleſiam, à Conſtantino Magno, aliíſque Chriſtianis Imperatoribus, Regibus, & Principibus, imò populis potentiſſimis, qualis erat ille gentium domitor, & Dominus Romanus; qui mirabili commutatione ex perſecutoribus, & hoſtibus, in cultores, & adoratores converſi ſunt.

Cui rei favet vox Hebræa צֹר Zor, quæ ſimul Tyrum, & robuſtum,

vel potentem ſignificat. Ut illi nimirum potentiſſimi, & fortiſſimi Monarchæ, & populi, qui potentiam, & vires contra Eccleſiam oppugnandam, & opprimendam exerebant antea, nunc ad eam defendendam, & exaltandam, quicquid ſunt, & quicquid habent, impendant, quæ admirabilis iterum mutatio eſt, titulo Pſalmi (qui eſt *pro iis, qui commutabuntur*) omninò conveniens; ut ſicut ipſa Eccleſia ex Æthiopiſſa, in formoſam; ex ſerva Idololatriæ, in Reginam; ex nuda, & confuſione plena, in ornatam veſtitu deaurato, & circumdatam varietate; ex abjecta, & projecta humi, in elevatam, & à dextris Sponſi conſtitutam commutata fuit, ita ejus perſecutores, in cultores; ejus hoſtes, in filios; ejus detractores, in deprædicatores; ejus exciſores, in fundatores; ejus deſpoliatores, in remuneratores converſi, ei ſe ſubjiciant, eam devenerentur, ejus in muneribus vultum deprecentur, id eſt, Chriſtum, quem S. Baſilius Vultum, & caput Eccleſiæ interpretatur.

Quamvis ſimpliciori, communioriq; ſenſu cæteri Eccleſiam ipſam intelligant, phraſi hebraicâ, quâ deprecari vultum alterius illum ipſum deprecari ſignificatur, juxta illud Pſalmi 118. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo.* Et Malach. 1. *Deprecamini vultum Dei*, aliiſque in locis. Nam deprecatores communiter in vultum intendunt illius, quem deprecantur, ex cujus triſtitia, vel hilaritate, aliâve conſtitutione internam ejus propenſionem, & quid ſperare habeant, colligunt.

Quod ſi de Eccleſia ipſa hæc intelligantur, ut propter ejus vel pulchritudinem, vel propinquitatem ad Regem, à quo in Sponſam aſſumpta eſt, vel propter impetrationem beneficiorum ab ipſo Rege, apud quem tam gratioſa eſt, vultum ejus omnes populi deprecentur: Profectò multum augeſcit ejus dignitas. Ideoque SS. Auguſt. & Hieron. hæc ſententia eſt: vel propter munera, & inſignes divitias, quas Reges, & Principes Eccleſiæ ex devotione obtulerunt; vel propter ſapientiam, & ſcientiam, quam Philoſophi, & doctiſſimi quiq; in eam contulerunt; hæc & veriſſimè de illa dici, & experientiâ comprobari.

Quæ etiam haud dubiè de glorioſiſſima Virgine, Dei Genitrice ſuaviſſimè dici poſſunt, in cujus laudes Eccleſia hæc verba uſurpat: *Vultum tuum deprecabuntur*, &c. fideléſque filii ejus idipſum in praxi exercentes factitant, tum propter ſummam illius amplitudinis dignitatem,

tem, quà amictam Sole, & Stellis coronatam SS. Trinitas ſuper omnes Angelorum choros ſublimem poſuit in Cœlis, tum propter efficaciſſimam impetrandi quidvis à Deo facilitatem, utpote cui ad hoc nec deſit voluntas, nec facultas. *Nam Regina eſt*, inquit S. Bernhar. Serm. 1. in aſſump. *miſericors eſt, deniq; mater eſt unigeniti filii Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis ejus, ſeu pietatis magnitudinem commendare, niſi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem; aut dubitare quis poteſt, omninò in affectum charitatis tranſiſſe MARIÆ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex DEO eſt, charitas novem menſibus corporaliter requievit.* Tum deniq; ut oblationes noſtræ per ſe exiguæ, & deſpicabiles, per manus mediatricis hujus gratioſiſſimæ Deo gratiores evadant. Quod idem mellifluus Doctor monet Serm. de Nat. Virg. *Cæterùm, quicquid illud eſt, quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, à quo influxit. Fortè enim manus tua, aut ſanguine plena, aut infectæ muneribus, &c. Ideoq; modicum iſtud, quod offerre deſideras, gratioſiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. Nimirum candidiſſima quædam lilia ſunt, nec cauſabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quicquid illud ſit, quod inter MARIÆ manus invenerit.*

Sextum. Pulchritudo interna. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* v. 15. Mirum non immeritò videri poſſit, cur iterum à pulchritudine commendetur Sponſa, & eodem ferè præconio; eo tantùm cum diſcrimine, quod ab intus ea eſſe pulchritudo dicatur.

An fortè ne quis putaret, hanc quam laudaverat ſpeciem in Sponſa, & gratiam externam, donáq; recenſita, de corporalibus tantùm ornamentis mulierculæ alicujus, puta filiæ Pharaonis, & Salomonis Sponſæ intelligi, & ideò corrigere quaſi ſe voluit Propheta, vel potiùs Spiritus S. moneréq; transferri hæc omnia ad internam pulchritudinem, ut S. Auguſtinus ſentit, unde etiam internum præcipuè decorem Chriſtianis conjugibus ad imitationem Sponſæ hujus præſcribit S. Petrus 1. Epiſt. c. 3.

An ut ſignificaret Sponſam non ſolùm cùm in publicum prodit, ita ornatam eſſe, ſed domi, & in thalamo potiſſimum; quæ ideò pul-

chritudo Sponſæ, vel maximè placeat, ut cujus unius cauſa, placendíq; ſtudio uni illi ſoli, ſuſcepta ſit?

An ut indicet internum decorem multis paraſangis externum antecedere, quam ſupra tam prolixè commendaverat? q.d. præclara quidem iſta ſunt, quæ de pulchritudine Sponſæ externâ, déque ornatu ejus, & veſtibus, ac monilibus, de veneratione populorum, de illius gratia apud Regem, & impetrandi præ aliis facultate ſunt dicta, & digna, ob quæ hunc decorem Rex Sponſus concupiſcat; ſed ſuper iſta omnia eſt pulchritudo interna. Quâ ratione Cant. 4. cum eandem Sponſam à pulchritudine per comparationem cum rebus variis laudaſſet Sponſus, *quàm pulchra es amica mea*, &c. bis adjungit *abſq; eo, quod intrinſecus latet.*

An ut moneat illi præcipuè decori interno, & formæ à Sponſa (anima ſancta) ſtudendum eſſe, quæ perpetua ſit, nec marceſcat unquam, aut deflloreſcat, ut externa, quam fœno idcircò S. Jacob cap. 1. comparat, *exortus eſt Sol, & areſecit fænum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit*, aut ſi fortè non minuatur, certè non augeatur, uti interna, quæ ſingulas in horas incrementa ſumit cum gratia, charitate, puritate mentis, virtutibúsq; cæteris, ex quibus conflatur. Quare ad interiora curam præcipuam convertendam eſſe, ut de die in diem in hac creſcat.

Porrò quid ſit hunc ornatum gloriæ *in fimbriis aureis, circumamictum varietatibus* conſiſtere, ſupra explicatum eſt. Quibus adde, ſi lubet, fimbrias eſſe extremitates, & limbos veſtis variegatæ, vel Phrygio opere elaboratæ, eáſque ex mero auro eſſe, ut ſignificetur omnes virtutes, operáq; omnia in charitate firmari, fundaríque, eáſque ex fine charitatis procedere debere. Hæc illa veſtis polymita eſt, quam induere nos vult Apoſt. Coloſſ. 3. *Induimini viſcera miſericordia, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*, &c. ſed addit fimbriam auream: *Omnia autem veſtra ex charitate fiant.* 1. Cor. 16.

Septimum Præconium. Ex adoptione in filiam, & conjunctione arctiſſimâ cum Sponſo. *Omnis gloria ejus filia Regis.* (Particulam *ejus* redundare Hebræo more nihil attinet repetere) illud quæritur, quomodo iſta, cujus Pater Amorrhæus, & mater Cethæa eſſe ſupra dictum eſt, ex vili oriunda genere, terræ filia; nunc filia Regis

voce-

vocetur? In promptu cauſa duplex eſt: altera quod eam Rex prius adoptarit, nobilitarítque, ut, quod à Regibus fieri ſolet, non niſi filiam Regis duceret in Sponſam. Ingens iterum Sponſi dignatio, ingens Sponſæ dignitas, ut Sponſi eſſet & Sponſa, & Soror, de qua Cant.4. *Vulneraſti cor meum, Soror mea Sponſa.*

Altera, ex intima conjunctione cum Sponſo ſumitur. Ut quia Sponſus, & Sponſa ſunt duo in carne una, Sponſa filii Regis, etiam filia Patris Regis dicatur, ſicut uſitatè parentes Sponſi, etiam parentes Sponſæ vocantur.

Non negaverim interim hæc de Deiparente Virgine intelligi, dícíq; diſtinctius; quam & filiam æterni Patris ab æterno electam, & matrem unigeniti filii ejus, & Sponſam S. Spiritus eſſe jam ante inſinuatum eſt.

Octavum ducitur à comitatu, & ſubſequis virginibus utriusque Sponſi. *Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ ejus offerentur tibi.* v.16. Rectè per has virgines intelliguntur Eccleſiæ particulares, quæ univerſalem quaſi ſequuntur doctrinæ incorruptione, quæ enim verbum Dei adulterant, adulteras, & infamia proſtribula jure dixeris.

Rectè etiam intelligi poſſunt animæ caſtæ, & integritate virginali prӕditæ, quæ Sponſæ Dei ſunt & ipſæ, ſed non niſi in Eccleſia inveniuntur, quæ hanc integritatem profitentur.

Non malè inſuper ſub nomine virginum comprehenduntur Doctores incorruptæ doctrinæ, & integritate morum eximii, quo ſenſu Apoſt. ad Cor. ait: *Deſpondi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. Cor. 11. Hæ virgines poſt principalem Sponſam, Eccleſiam univerſalem, & una cum ea adducentur Regi Chriſto; ad thalamum ejus, inquam, nuptialem, & non tantùm ut comitentur, Sponſámq; velut corona ex multarum honore gemmarum ornent, & cingant. Hæ tanquam proximæ ejus comites, & pediſſequæ, imò filiæ, vel maximè familiares ei ſimiles, & conjunctæ virginitatis, morum, & doctrinæ integritate, tibi Chriſto Sponſo ſolæ adducentur ad excludendos, ut SS. PP. Baſilius, & Auguſtinus, & alii exponunt, hæreticos & ſchiſmaticos. Nam extra Eccleſiam virginitas Sponſæ prærogativam non habet.

Atq; hoc modo una quidem eſt Regina, una Sponſa, ſed multæ ſunt virgines Sponſæ, ut de illa dicitur Cant. 6. *Una eſt columba mea, una eſt perfecta mea*, quæ tamen Sponſas poſt ſe adducit, quibus dilecti thalamum non invidet, ſed optat.

Quæ iterum ſenſu myſtico de puriſſima Virgine, & de Virginum Regina, Dei Genitrice, ab Eccleſia, & SS. PP. optimè exponuntur, ut quæ non ſolùm primiceria virginitatis, & principalis Sponſa ſit agni caſtiſſimi, ſed etiam cujus ad exemplum virginitatem tot millia virginum conſervarunt, & conſervant, eámq; velut Reginam ſuam comites, & pediſſequæ conſectantur, & illius protectione innituntur. *O quantis* (exclamat S. Ambroſ. l. 2. de virg.) *illa virginibus occurret! quantas complexa ad Dominum trahet.* Et S. Hieron. epiſt. 22. hac cogitatione Euſtochium animat: *O qualis*, inquiens, *erit illa dies, cum tibi MARIA mater Domini choris occurret comitata virgineis. Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus, tunc & ipſe Sponſus occurret*, &c. Hujus Sponſæ exemplo, & auxilio adducuntur, quin & trahuntur, ut poſt eam currant, & clament Cant. 1. *Trahe nos poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, & ita adducentur, ut proximæ efferantur, & offerantur Regi Sponſo. *Quia incorruptio facit eſſe proximum Deo.* Sap. 6.

Nonum à ſolenni adductionis, & feſtiva lætitia petitur. *Afferentur in lætitia, & exultatione adducentur in templum Regis.* v. 17. quibus tum modus afferendi deſcribitur, tum locus quo adducuntur.

Modus: *in lætitia, & exultatione.* Etſi enim in pariendo filios, & Sponſas Chriſto, triſtitiam patiatur, quemadmodum Chriſtus Joh. 16. monet: *Mulier, cum parit, triſtitiam habet, cum autem pepererit*, dum Sponſas, & filias ad Sponſum adducit, *jam non meminit preſſuræ propter gaudium*, & *flet* quidem *eundo, mittendóq; ſemina ſua, veniens autem* ad Sponſum *cum exultatione* affert Sponſo *manipulos ſuos*, lætante Deo, & Angelis de *converſione gentium*, & *peccatorum*, lætantibus ipſis de ſua vocatione, & converſione, lætante toto fidelium cætu, de Eccleſiæ amplificatione, & ſanctificatione.

Locus eſt templum, ſeu palatium Eccleſia, ſive militans, ſive triumphans, ſive thalamus Regis, ut alii legunt, ſeu intima penetralia Domus Dei; quæ ſanctitate templum, magnificentiâ palatium, amore ſociali thalamus, ſecretorum communicatione intima, abditiſſimáq; pe-

 netra-

netralia dicuntur, de qua domo benè Propheta Pſ. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

Non incongruè etiam jubilus ille, & exultatio, quibus virgines adducuntur, dici poteſt eſſe ſingularis illa, tum hujus, tum futuræ vitæ lætitia, & exultatio, quâ ex ſpeciali privilegio perfruuntur virgines. Si quidem in hac vita pacem cordis, conſtantiam in virtutibus, terrenarum cupiditatum contemptum, intimam cum Deo conjunctionem, & conſolationem Spiritus, ſuavitatésq; alias percipiunt. In altera verò prærogativâ illa gaudent præ cæteris Sanctis, *quòd ſequantur Agnum quocunq; ierit, & cantent canticum illud novum, quod nemo poteſt canere, niſi qui virgines ſunt, & ſequuntur Agnum* virginali itinere gradientem *cum lætitia, & exultatione ad templum* cœleſtis Hieruſalem, ut deſcribit S. Johan. Apoc. 14. Quos alloquitur hiſce ſuaviſſimis verbis D. Auguſt. de virginit. c. 27. Pergite itaq; ſancti Dei pueri, & puellæ; mares, ac fœminæ; cœlibes, & innuptæ; pergite perſeverantes in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius; ſperate felicius, cui ſervitis inſtantius; amate ardentius, cui placetis attentius, &c. Vos affertis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in citharis veſtris, h. e. in cordibus dicatis laudibus. Non utique tale, quale cantat univerſa terra, (ut dicitur Pſ. 95.) ſed tale, quale nemo poterit dicere niſi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypſi. c. 14. Quidam præ cæteris dilectus Agno, duodecies duodena millia Sanctorum Citharædorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde; & quia ſequimini agnum quocunque ierit, &c. quo ire putamus hunc agnum, quo eum nemo ſequi, vel audeat, vel valeat, niſi vos? quo putamus eum ire? in quos ſaltus, & prata? ubi credo ſunt grandia gaudia; non gaudia ſæculi hujus vana; nec gaudia, qualia in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt, ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta, gaudium virginum Chriſti de Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum gaudia propria virginum Chriſti. Non ſunt eadem non virginum. Nam ſunt aliis alia, nullis talia. Ite in hæc: ſequimini agnum, quia agni caro utiq; virgo. Hucusq; S. Aug.

Affe-

Affectus amoris, & deſiderii erga CHRISTUM.

„ O Anima mea inſignita Dei imagine, redempta Chriſti ſanguine, „ deſponſata fide, dotata Spiritu, ornata virtutibus, deputata cum „ Angelis! dilige illum, à quo tantùm dilecta es, intende illi, qui inten- „ dit tibi. Quære quærentem te, ama amatorem tui, à quo amaris: „ cujus amore prævenca es, qui eſt cauſa amoris tui. Ipſe eſt meritum, „ ipſe eſt præmium, ipſe fructus, ipſe uſus, ipſe finis. Eſto ſolicita cum „ ſolicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum ſancto ſan- „ cta. Qualis apparueris Deo, talis oportet, ut appareat tibi Deus: „ ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ, ſuaves, mites, dulces, humiles, „ & miſericordes requirit. Ama illum, qui eduxit te de lacu miſeriæ, „ & de luto fæcis. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, „ qui cum omnia ſubtracta fuerunt, ſolus tibi fidem ſervabit. In die „ ſepulturæ tuæ, cum omnes amici tui recedent à te, ille te non dere- „ linquet: ſed tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam, & conducet „ te per ignotam regionem, atque perducet ad plateas ſupernæ Sion, „ & ibi collocabit te cum Angelis ante faciem majeſtatis ſuæ, ubi audies „ illud Angelicum melos: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Ibi eſt canti- „ cum lætitiæ vox exultationis, & ſalutis, & gratiarum actionis, & vox „ laudis, atq; Alleluja in perpetuum. Ibi eſt cumulus felicitatis, ſuper- „ eminens gloria, ſuperabundans lætitia, & omnia bona. Sic Sanct. Aug. in Man. c. 24.

Punctum III.

CONſidera caſtiſſimi matrimonii hujus Sponſum inter Sponſamq; fructus, & effectus.

Quorum primus eſt *fæcunditas*, ſuſceptæq; præclaræ proles, Orbi terrarum imperaturæ. *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* v. 18. Quem alloquatur Propheta his verſibus, Sponſum, an Sponſam, an utrumq; ambigitur. De Sponſa videtur probabilius. Cui loco patrum, quos juſſa fuit oblivisci, ſive ex gentilitate, ſive ex Judaiſmo, Patriarcharum, & Prophetarum filios in nova lege Apoſtolos, atq; Doctores naſcituros prædicit: ut

ut Chryſ. Aliiq; exponunt, vel loco ipſorum etiam Apoſtolorum, primorum quaſi Eccleſiæ naſcentis parentum, eorum ſucceſſores, Prælatos, Viroſq; Apoſtolicos, parentum non degeneres, ſed ſpiritu Apoſtolico eodem præditos: de quibus Doctor gentium Eph. 4. ait, dediſſe Sponſum dilectæ Sponſæ ſuæ: *Quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti, quod eſt ipſa Sponſa Eccleſia.* Atq; hos *conſtituendos Principes* (quæ prima filiorum præcellentia eſt) non regni unius, ac gentis, ut ſicut cæteri Monarchæ. v. g. Romani Romanis, Perſæ Perſis, tantùm imperaturi, legéſq; daturi ſint; ſed qui *ſuper omnem terram*, ſeu ſuper omnes Orbis univerſi populos, & Perſas, & Romanos, &c. principatum ſuum extenſuri, daturiq; ſint omnibus leges, ut latius præſideant religione divinâ, quàm Monarchæ potentiſſimi dominatione terrenâ. *Nam in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Pſalm. 18. Et ſicut in primâ Eccleſiæ ætate pro Patribus Patriarchis filios Apoſtolos habuit, ita conſequentium ſucceſſu temporum, pro patribus Apoſtolis, filios Epiſcopos, viróſque Apoſtolicos eduxit, eâdem poteſtate, eodémque Spiritu præditos.

Secunda eorum Excellentia. *Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione, & generatione.* v. 19. Iſti, inquam, filii curæ ſibi unicè, memoriæq; altè impreſſum habebunt, non ſolùm ut cum nobilitate, & principiandi aliis poteſtate, ac gloriâ, ſeu nominis claritudine, quæ hæreditate quaſi à Deo acceperunt, facta ſua heroica conjungant, ne ſolo nomine tuo Chriſtiano glorientur, illud verò actibus deturpent; ut è claris parentibus, ſæpe orti degeneres filii conſueverunt, nomine nobiles, re verâ terræ filii: ſed etiam ut memoriam tuam, tuam fidem, tuam legem, tuam vitam, mores, atque exempla toto orbe latiſſimè evulgent, & in omnes, omnium generationum progenies, poſteritatémq; propagent, convertendo gentes, inſtruendo populos, iiſq; tuam potentiam, ſapientiam, bonitatem annuntiando, & religioſo, perpetuóq; cultu celebrando, atq; ita nomen tuum per omnes generationes, ad finem uſq; mundi ſucceſſuras decantabunt, æternâque memoriâ colent. Velut de S. Paulo gloriaris. Act. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.*

Quin adhæc etiam juge illud ſacrificium, quod ſui *in memoriam inſtituit* cœleſtis Sponſus. Luc. 22. eſtq; memoriale, & compendium omnium beneficiorum, & in *quo memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus*, dum *eſcam hanc dedit timentibus ſe*. Hoc, inquam, ſacrificium ab Eccleſia, ejúsq; filiis Principibus, ſeu Sacerdotibus quotidiè offertur in ſui Sponſi memoriam.

Lectio porrò illa ex codice Hebræo, & Græco, *memor ero*, in ſingulari pro *memores erunt*, diverſitatem nullam inducit, ſive enim Sponſa Eccleſia, quaſi gratias agens Sponſo, qui tantis eam beneficiis affecerit, memoriam Sponſi nominis per ſe, ſive per filios polliceatur, celebrare, nihil magnoperè intereſt.

Atq; ex his conſequetur alter affectus ille univerſalis, & principalis, ut Deus ab omnibus laudetur, tum duraturi mundi ſæculis conſecuturis, tum in æternum. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi*. v. 20. populi nempe fideles ab Eccleſiæ Principibus, & Prælatis ritè inſtituti, & gloriam ſuam Deo gratulati, & de ſua converſione læti, palàm laudes Deo decantabunt; tum in Eccleſia militante, hujus vitæ curriculo, tum in triumphante in perpetuas æternitates.

Affectus congratulationis.

O Felix Sponſa Chriſti Eccleſia, cui tales filios Sponſus cœleſtis dedit, qui Patres, & Principes eſſent Orbis terrarum! O felices filii, qui talibus Patribus gaudent, & gloriantur! O felices, & beatos nos nepotes eorum, qui doctrinis eorum erudimur, exemplis roboràmur, patrociniis adjuvamur. *Memores* ſimus Chriſtiani, *nominis tui Domine*, & nominis noſtri, quod à te acceptum portamus coram gentibus, & Regibus, ut illud in nobis *ſanctificetur* ſemper, dedecoretur nunquam; ut illud laudemus continuò, nec illius obliviſcamur tempore ullo, ſed *nomen tuum, & memoriale tuum ſit in deſiderio animæ noſtræ ſemper*. Iſa. 6.

ORATIO.

Rex Regum, & amabiliſſime Sponſe Chriſte JESU, da nobis diviniſſimam tuam, tuæq; Sponſæ caſtiſſimæ virtutum, & variarum excellentiarum ſpecioſiſſimam ſpecioſitatem ita contemplari, ut te Deum Re-

gem, & Sponſum noſtrum cognoſcamus, ſequamur, diligamus, tuiq; ſanctiſſimi nominis, beneficiorúmq; memores, filii tantæ matris noſtræ, Sponſæ tuæ, & iſta magnalia tua in omni generatione annuntiemus, & laudes tuas cum omnibus Ecclesiæ militantis, & triumphantis populis hic, & in æternum decantemus. Amen.

IN PSALMUM XLV.

Deus noſter refugium, & virtus, &c.

MEDITATIO XLVIII.

CAUTES MARPESIA MEDIIS IN FLUCTIBUS.

Seu

DEO protectore nihil timendum, quacunq; etiam in perturbatione rerum.

Argumentum Pſalmi.

Etſi Recentiorum opinio ſit, (ſenſu hiſtorico) Pſalmum hunc eſſe gratiarum actionem Davidis, pro devictis hoſtibus ſuis. 2. Reg. 5. Concors tamen SS. PP. eſt ſententia illum (ſenſu literali etiam) de liberatione Eccleſiæ Chriſti à perſecutionibus infidelium conſcriptum eſſe, ut probat titulus *pro arcanis*, id eſt, futuris occultis, non de præteritis jam notis: quare ut præcedenti prædixit exaltationem Eccleſiæ, & conjunctionem cum Chriſto Sponſo per nuptias ſpirituales; ita hoc exponit ejusdem oppugnationem, & liberationem à perſecutoribus, aſſerens Civitatem illam Dei contra quantosvis aſſultus hoſtiles, Dei ejusdem præſidio, & tutelâ ſat tutam eſſe: qui certè ſenſus allegoricus eſſe à nemine negatur, & ad juſtum (ſenſu morali) uti & Beatum (ſenſ. anagog.) transferri poteſt.

Punctum I.

COnſidera, quàm meritò Dei protectione confiſi, nihil quacunque in perturbatione rerum timere debeamus; quia *Deus noſter refugium, & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* v. 1. quibus præcipua confidentiæ motiva continentur.

1. *Deus*, inquit, *noſter*, qui non eſt ſicut Dii gentium, vani, falſi, infirmi, & ideò impotentes ad ſuccurrendum, qui graphicè depinguntur. Pſ. 113. *Simulacra gentium, argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur*, & quæ ſequuntur. Unde qui illis confidunt, ſimiles illis evadant infirmi, & impotentes, quia in vaniſſimis rebus, & quæ nihil ſunt, ſpem ſuam ponunt. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & qui confidunt in eis. Deus autem noſter* ècontra *in Cœlo omnia quæcunq; voluit fecit*. ibid. Quod motivum primum confidentiæ noſtræ eſt. Nempe poteſt in omni nobis tribulatione, quantacunq; etiam ſit ſuccurrere, ex eáq; nos eripere.

2. *Deus noſter* dicitur, quia non ſolùm poteſt, ſed vult etiam auxilio venire. Cum enim per initum quaſi fœderis mutui pactum nos illum in Deum, & ipſe nos in populum ſuſceperit, *memor erit in ſæculum teſtamenti*, ſeu pacti hujus *ſui*, & ideò *virtutem, ſeu fortitudinem, & potentiam operum ſuorum* re ipſa *annuntiabit*, ſeu experimento teſtatam faciet huic *populo ſuo*.

3. Non ſolùm poteſt & vult, ſed ſcit etiam tum neceſſitates noſtras, tum opportuniſſimum iis ſuccurrendi modum, & remedia, quia *Deus noſter* Chriſtus, qui ob naturam noſtram aſſumptam Deus noſter rectè dicitur, & eſt, non ſolùm theoricam, ſed experimentalem cognitionem conſecutus eſt afflictionum noſtrarum. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*: Hebr. 4.

Ex quibus conficitur, quod ille *Deus noſter* opportuniſſimè ſit *refugium noſtrum, & virtus:* refugium nimirum ad quod fugiendo ab hoſtibus tutiſſimè nos recipimus, virtus verò, & fortitudo, dum hoſtes eoſdem vel oppugnando aggredimur, vel tolerando perferimus. His enim modis Chriſti miles vincit.

Verùm

Verùm quia non eſt refugium inanimatum, quod ſine cooperatione ſua nos tueatur per nudam noſtri ſuſceptionem, qualia ſunt munitiſſima. v. g. caſtra, & fortalitia; nec virtus ſine coëfficientia roborans ad hoſtium inſultus, vel ſuſtinendos, vel reprimendos; qualia ſunt arma tum defenſiva, tum offenſiva; quæ ſine poſitiva cooperatione nil agendo nobiscum id præſtant. Verum ſimul robur ſubminiſtrat, & cum illo ſimul concurrit poſitivè cooperando; additur *adjutor in tribulationibus* in partem veniens tum laboris, & pugnæ nos adjuvando, tum ſuſtinentiæ, nos effectivè corroborando, viresq; ſufficiendo viribus noſtris in *tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*, ſeu quæ *ſunt graviſſimæ*, vel (ex Græco) *valde nobis impendent*, niſi illud (*nimis*) cum Hebræo ſic legere placeat: *adjutor in tribulationibus inventus eſt nimis*, ſeu valde potens, & fortis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. v. 2. Rectiſſimè infert, tali, tantóq; confiſi auxiliatore non trepidabimus, ut omnia turbentur maximè; & terra, ac mare mutatis ſedibus priſtinis ſusq; deq; horribili cum fremitu moveantur, ita ut altiſſimi etiam, conſtantiſſimíq; montes, qui mole ſuâ immobiles, maximéq; fundati videbantur, in ſublime elevati, & impulſi in medium mare (quod cor dicitur) præcipitentur, aut licèt horrificis terræ motibus orbis univerſus conquaſſetur, pacato tamen tranquillóq; animo erimus, velut ille de viro conſtanti canit: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Quod revera accidit, vel in graviſſimis, quibus Eccleſia concuſſa eſt tempeſtatibus, quando terreni homines, (qui per terram rectè ſignificantur) & potentiſſimi Monarchæ (qui per excelſos montes ob ſuperbiam intelliguntur) aliíq; Tyranni, & hoſtes quaſi concitata tribulationum, & perſecutionum amariſſimi maris tempeſtate, concuſsêre Eccleſiam, afflixerúntq; fideles Chriſtianos, Sanctósq; Martyres; verum contra fundatos *ſupra firmam petram*, nec illi, nec *portæ inferi* quicquam *prævaluere*, ſed velut alliſi ad ſcopulos fluctus, diffracti eorum conatus in nihilum reciderunt.

Vel explicari poteſt de conſtantia, & æquanimitate cujusvis electorum, Sanctorúmq; in adverſitatibus contra ſe concitatis à terra, vel mundo; & Dæmonibus, velut elatis montibus. Præſertim de tribulatione univerſali, in fine mundi ante ſupremi diem judicii futura,

quando *erunt terræ motus per loca, & præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum areſcent præ timore homines*, tunc enim electi Deo confiſi veri Chriſtiani *levabunt capita ſua, quia appropinquat redemptio eorum.* Luc. 21. *Tunc ſtabunt* iidem etiam *juſti* SS. Martyres *in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt.* Sap. 5. Contra verò impii, & perſecutores eorum *turbabuntur timore horribili*, & magni Reges Eccleſiæ vexatores, velut montes transferentur in cor maris, & in profundum abyſſi inferorum demergentur.

Idem ſeqq. vv. deſcribitur, & explicatur uberiùs: *Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum* (ſcil. marium, ut in Hebræo habetur priore numero plurali pro ſingulari ejus) *conturbati ſunt montes in fortitudine ejus* (ſcil. maris, ut S. Auguſt. legit) q. d. Nam quamvis tanta à perſecutoribus tempeſtas concitata eſt contra Eccleſiam, & Electos Dei, ut mari fluctuum, & procellarum colliſione horribilem fremitum edenti, & undarum impetu montes ipſos concutienti ſimilis eſſe videatur. Verum *fluminis impetus lætificat Civitatem Dei* tantùm abeſt, ut minæ, & ingruentium malorum impetus obfutura ſint Civitati, & Sacrario Dei, Eccleſiæ, inquam, fidelium, in qua verus Dei cultus viget, ut potiùs per cœleſtis gratiæ ſuaviſſima fluenta, quæ tutam illam incolumémque præſtabunt jucundiſſimis, limpidiſſimíſq; gaudiis exhilaranda ſit, ſicut derivati aquarum rivi ex fontibus Ciſſon, & Silôe influentes in torrentem Cedron recreant Hieroſolymam, quæ civitas Dei dicebatur, quæq; ſanctificata in Sacrarium Dei figura erat Eccleſiæ.

In Hebræo habetur: *Fluminis rivi, ſive diviſiones*, pro fluminis impetu, nam illi ipſi rivi fontium diviſi, de quibus dictum eſt cum impetu, & magnâ cum plenitudine fluere potuerunt, ad vehementiam ſimul dulcedinis, quæ in Civitate Dei redundat ſignificandam, & puritatem etiam limpidiſſimam, in qua nihil paluſtre, nihil limoſum reperiatur.

Nam ſanctificavit tabernaculum ſuum altiſſimus. v. 4. ne à turbidis, & concitatis ſalſi maris fluctibus inficiatur, & in ſedem ſuam elegit, in qua reſideret, unde nec eum concuti à turbulenti maris fluctibus, mirum non eſt.

Quia Deus in medio ejus non commovebitur, nunquam ab ea receſſurus, ſed præſentiſſimus ſemper ei futurus eſt, utpote in medio, & inti-

intimis ejus commorans, ut æternâ ſtabilitate ſolidetur, ne unquam, ſicut terra, & montes conturbari, aut transferri poſſit in cor maris.

Et quamvis hujusmodi procellæ in eam irruerent, nihil tamen contra eam ſunt profecturæ: *Quia adjuvabit eam Deus manè, diluculo*, ſeu mox, maturè, & primo tempore opportuno, ei ſuppetias feret; vel *manè diluculo*, exoriente die, cœleſtis luminis infuſione contra errorum tenebras eam tutabitur, & illuſtratione Spiritûs Sancti, ſuíq; inſpectione divini vultûs defendet, ut antiqua D. Auguſt. lectio habet, quâ utitur etiam Eccleſia, *adjuvabit eam Deus vultu ſuo, Deus in medio ejus non commovebitur.*

Deniq; fidem his omnibus conciliat ab experientia, & exemplis utriusque Teſtamenti. *Conturbatæ ſunt gentes*, tum cum viderunt Deum pro populo, & Civitate ſuâ, ſeu Eccleſia ſtare, trepidaverunt nationes, & regna Orbis terrarum potentiſſima ſe ſubmiſerunt: *& inclinata ſunt regna*, dejecta ſcil. ab altitudine ſuâ, & usque ad terram proſtrata ſuccubuerunt. *Dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.* v. 6. ad ſolam vocem, & nutum Dei, quaſi ad terribilis tonitrui ictum tremefactus orbis, & quaſi metu diſſolutus (ut Hebræus habet) *& liquefactus eſt.*

Hujus rei experimentum, exemplúmq; præbet Vetus Teſtamentum, quando tempore Ezechiæ, cæſis unâ nocte per Angelum centum octoginta quinq; millibus Aſſyriorum Civitas Dei Hieroſolyma liberata eſt obſidione. Iſa. 37. Quoad Novum verò Teſtamentum, de quo prophetavit hic regius Vates (nam pro arcanis, ſeu futuris ſecretis idcircò Pſalmum inſcripſit, ut ſupra dicebamus) clariſſimè prædixit Daniel c. 2. Regnum Chriſti *conſumpturum omnia regna, & ipſum manſurum in æternum.* Quod & indicat Apoſt. 2. Cor. 15. dum ait: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.* Quæ etiam de regno vitiorum, ſpiritualibus hoſtibus, & principatibus intelligi poſſunt. Verè enim cum vox Evangelii intonuit, Apoſtolorum, & Succeſſorum prædicatione, & miraculorum fulgura coruſcaverunt *gentes* idololatræ *conturbatæ* fuerunt, & *regna* orbis *inclinata* ad adorandum verum Deum Chriſtianâ fide ſusceptâ ſe proſtraverunt. Aut illi etiam populi, qui Chriſtianam gentem, Eccleſiámq; oppugnaverunt attriti, & cum

Regi-

Regibus, regniſq; ſuis exciſi fuerunt. Quorum exemplis plena eſt hiſtoria utraque, tam ſacra, quàm profana.

Affectus confidentiæ.

QUid turbaris anima mea ab hoſtium inſultantium tibi robore, & ferociâ? *Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus.* Si ille *pro nobis, quis contra nos?* Conturbentur gentes, ſonent maris procellæ, transferantur montes in cor maris? *Dominus virtutum nobiscum, & Suſceptor noſter eſt Deus Jacob.*

Punctum II.

EX hactenus expoſitis verſibus conſidera admirabilem, & ſuaviſſimum, ſimúlq; potentiſſimum modum, quo Eccleſiæ Deus, & electis ſuis *adjutor in tribulationibus* eorum *exiſtit.*

Primus eſt, quod dum procelloſis hoſtilium ventorum turbinibus, & maris, tempeſtatúmq; amaris fluctibus involvantur, à S. Spiritu amico, jucundiſſimóq; ſolatii influxu recreentur; qui *fluminis* ſui illapſu, ſuaviſſimóq; *impetu lætificat civitatem Dei* Eccleſiam, vel animam etiam ſanctam. Sic *ibant gaudentes Apoſtoli à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Actor. 5. Quod idem expertus Doctor gentium ſcribebat. 2. ad Cor. 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Sic Tiburtius Martyr nudis pedibus inſtratos carbones ardentes inambulans ad Tyrannum. *Diſce,* ait, *ex hoc, ſolum eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt: pruna enim mihi flores videntur.* Sic S. Laurentius, aliiq; innumeri Martyres in acerbiſſimis tormentis; ſic Sancti alii in preſſuris, & afflictionibus omni ſolatio circumfluxerunt.

Secundus modus eſt, quod iisdem tribulationibus Deus utatur ad expurgandam, ſanctificandámq; Eccleſiam, in eáq; degentes fideles animas, quas gratiâ ſuâ inhabitat: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Dum *tanquam aurum in fornace probat illos* ab omni ſcoriâ imperfectionum emundans, ut ſic *in paucis vexati, in multis benè diſponantur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Sap. 3.

Tertius. Ut veluti de SS. Tobia, & Job atteſtatur Scriptura. Tob. 2.

Hanc

Hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ, ſicut & Sancto Job. Ut ſua conſtantia, perſeverantiáq; in virtute inter afflictiones alios in bono firment; & vel per hoc gratia Dei in illis cognoſcatur, quæ vaſa fragilia iſta roborat, ut nullis tentationibus à vitæ innocentia, ſtatuq; perfectionis deturbentur. Quemadmodum etiam Eccleſia inter procellas inconcuſſa perſiſtit, quod inhabitantis in ea Dei certiſſimum ſignum eſt, *Deus in medio ejus non commovebitur*, nec commoveri eam facit gratia ſua.

Quartus eſt. Ut opportuniſſimo tempore Deus ſubſidio veniat. Quod vel eſt primum, mox ut invocatus fuerit; vel illud etiam cum deſperatum, conclamatúmq; de omni ope hoſtes putant. Tunc enim, *cum te conſumptam putârint, orieris ut Lucifer.* Job. 11. *Nam adjuvabit eam Deus mane diluculo:* vel illuminando mediis in tenebris luce ſuâ cœleſti; vel illuſtrando, & clarificando nomen ipſius, quod obſcuratum calumniis ipſorum inimicorum, detractationibusque, quaſi pedibus proterebatur: confuſis, conturbatiſq; hoſtibus, quantumvis numeroſis, & potentibus, ac inclinatis, & tuis pedibus advolutis, vel ſubſtratis. Ut cum triumpho canere poſſis poſt hanc victoriam Dei ſolius gratiæ non propriis viribus eam adſcribendam eſſe.

Affectus laudis.

DOminus virtutum, ſeu *exercituum* pugnat *nobiſcum Suſceptor noſter*, ſeu refugium *Deus Jacob*; quem Jacob, & Patres noſtri vero cultu proſecuti fuerunt, qui verus, & unus Deus eſt. Verè enim Dominus virtutum, in quo omnis vis, virtus, & fortitudo noſtra; verè ſuſceptor noſter, qui nos contra perſecutores in ſuam tutelam ſuſcipit, & ſub alis protectionis ſuæ fovet; illi Regi ſæculorum immortali, illi Domino virtutum potentiſſimo, illi unico Suſceptori, & refugio noſtro ſoli Deo honor, & gloria: in ſæcula ſæculorum. Amen.

Punctum III.

COnſidera media, quæ ad excitandum erga hanc Dei protectionem affectum noſtrum ſuggerit Prupheta: *Venite, & videte opera Domini,*

mini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. v. 8. 1. Ut per fidem accedimus, & mentis oculis contemplemur, quæ Deus pro Eccleſia ſua, & Sanctis liberandis operatus eſt, in utroq; teſtamento admirabiliter, & quorum contemplatione Dei erga ſuos in terris providentiam conſpicientes, velut in Extaſin rapti, vel ſtupore defixi prodigia illa admirabimur, & attoniti ad ea hærebimus. Quam enim commemoranda, omnemq; naturæ vim longè exſuperantia ſunt, quæ ab Eccleſiæ fundatæ initio per Apoſtolos prodigia edidit, dum per rudes, & idiotas ſapientiam Sapientum confudit: per paucos numero, nationes univerſas ſubjugavit; per homines infimæ fortunæ ſummorum Principatuum potentiam debellavit; per mortales infirmos; Diabolum, & ſatellites immortales devicit, & detriumphavit? Inter quæ illud præcipuè eſt, quod hoſtes omnes, qui bellum Eccleſiæ, fidelibúsq; movebant, damnabit, & deſtruet potentiam adverſariorum univerſam. *Auferens bella usq; ad finem terræ*, quando noviſſimo tempore ſub finem mundi ſubjectis omnibus hoſtibus ſub ſcabellum pedum Chriſti, finis erit bellorum, & juxta ſupra allegati Apoſt. 2. Cor. 15. prædictionem, nullo rebellante amplius, regnum illud exſpectatiſſimum initium ſumet, ad quod aſpiramus quotidie precando: *adveniat regnum tuum*: quando ſolus in nobis regnabit Deus: quæ cogitatio ad ſpem noſtram in omni adverſitate corroborandam, & eam in Deo ſolo firmiſſimè locandam efficaciſſima eſt.

Pergit porrò poſt ſubactos hoſtes regnum illud pacatiſſimum deſcribere. *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* v. 9. Arma, inquam, hoſtilia, tam offenſiva; (Nam in Hebræo pro *arma*, ponitur lancea, haſta, arcus, & ſagittæ) quàm defenſiva, ut ſcuta, pro quibus currus ponit Hebræus; hæc, inquam, arma hoſtilia (inſtrumentis pro cauſa principali poſitis) conteret, confringet, comburet æternis ignibus. Vel arma etiam propria, quibus in hoſtes pugnavit, eos feriendo, & debellando, quæ unà cum devictis hoſtibus ceſſabunt, & è medio tollentur. Quæ de illa pace æternâ in fine ſæculi futurâ, quando Eccleſia deſinet eſſe militans multò rectius exponuntur, ut benè Card. Bellarm. quam de pacifico adventu, & regno Chriſti, tempore Auguſti Cæſaris, vel Conſtantini Magni, ſub quo Eccleſia à tot perſecutionibus reſpirare, & pace frui temporali cœpit: quanquam

quod

quid obſtet de his omnibus Davidem divinâ doctum revelatione hæc propheticè locutum eſſe?

Secundum medium: *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus*, vacare ſcil. ad hoc cognoſcendum. Namq; accidit, ut S. Baſilius rectè advertit, multos oretenus hæc profiteri, verſaréq; lingua illum Davidis verſiculum. *Deus noſter refugium, & virtus*, &c. ſed animo, & affectu in contraria omnia diſcedere. Vel quia in ſuperandis tentationibus, & tribulationibus ad Deum non recurrunt, verùm turpi ſegnitie victas manus dant hoſtibus: vel, quod fœdum magis eſt, ad præſidia humana, imo ad artes ſæpe diabolicas convertuntur, magnâ cum Dei adjutoris injuria. Cujus rei cauſa prima eſt, quod fides in illis deficiat, per quam non accedunt ad Deum, ut videant opera Domini, ut monentur. *Vacate, & videte*, &c. quod autem id accidat, cauſa ulterior eſt, quia non vacant, ad quod nos hortatur Pſaltes. *Vacate, & videte*, vacate, ut videatis, vel vacate, & videbitis, quod ut magis perſuadeat, inducit Deum ipſum nos adhortantem.

Porrò hæc vocatio in his ſita eſt. 1. Ut à cupiditatibus, & deſideriis divitiarum honorum, & deliciarum animus avocetur, & intra ſe cogatur. Hi enim tumultus perturbationum ſæcularium unà cum moleſtiſſimis occupationibus, quas ſecum vehunt, nullam animi quietem relinquunt, ſed æſtu quaſi continuo animum, ollæ in morem, effervefcere faciunt. Contemplatio autem rerum divinarum animum liberum ab his curis, & ſedatum requirit. *Vacate* exp. Hebr. *Ceſſate ab his terrenis*, & ſecularibus deſideriis, quicumq; hæc oculo interno fidei, & contemplationis cernere concupiſcitis.

2. Ut non ſolùm à perturbationibus, ſed ab externis ſenſuum objectis, quæ diſtrahere poſſint, animus per ſui cuſtodiam avocetur. *Tu autem* (mandat Chriſtus Matth. 6.) *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio* (ſenſuum maximè) *ora Patrem tuum.* Quod non magis verbo, quàm exemplo docuit, dum oraturus in montem aſcendit; aut in ſolitudinem, nemine, vel paucis comitantibus ſeceſſit. Quare S. Hieron. vero contemplativo illud Thren. 3. accommodat. *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quoniam levavit ſe ſuper ſe.*

3. Ut non ſolùm ab objectis ſenſuum nos diſtrahentibus, ſed ab occupationibus etiam non illaudatis ſubducatur animus, ut in otio ſancto ſibi ſoli vacet, & *videat. Quoniam ego ſum Deus* ſolus, ex *quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, nec ulla creatura ab eo abſtrahatur. Quomodo Sponſus adjuravit filias Jeruſalem. Cant. c. 3. *per capreas, cervosq; camporum* (quæ animantia huc illuc diſcurrunt, & [illegible] repræſentant imaginationem, animiq; noſtri inſtabilitatem) *ne ſuſcitent, & evigilare faciant dilectam animam.* Ad quem ſecreti vacationis Diſcipulos ſuos cœleſtis Magiſter Chriſtus hortatus eſt. Luc. 9. & Marc. 6. *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Quæ omnia S. Bernard. Serm. de Obedient. Patient. & Sapient.
„ his benè complexus eſt: Studeamus, inquit, furari aliquando nos
„ metipſos, & à peſſimis occupationibus iſtis ſubripere, vel ad horam
„ jaculari animos, & vibrare corda in id, quod ſuum eſt, & quod quanto
„ naturalius, tantò ſuavius eſt. Hoc enim eſt, quod dicitur, *vacate, &*
„ *videte, quoniam ego ſum Deus.* Neque enim eſt oculorum viſio illa,
„ ſed cordium, cum Dominus dicat: *Beati mundo corde, quoniam ipſi*
„ *Deum videbunt.* Ita S. Bern. Atque hoc eſt, ad quod ore Davidis Deus hortatur. Vacate animum purum, & tranquillum afferte, quoniam ſanctum quærite, & attentiſſimè conſiderate opem, & beneficia mea, & videbitis, *quoniam ego ſum Deus ſolus, Dominus virtutum ſuſceptor, adjutor, refugium, & virtus,* ſine quo nihil poteſtis, & cum quo poteſtis omnia.

Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. v. 10. Majeſtas, & potentia mea, quæ exaltata eſt ſuper Cœlos, & SS. notiſſima eſt, exaltabitur, & innoteſcet etiam omnibus gentibus, & univerſæ terræ, quando me Regem, & Deum ſuum agnoſcent, venerabuntur, & adorabunt.

Ex quibus conſideratis, & vivâ fide cognitis, Eccleſia plenum gaudio triumphans in affectum exultationis, & congratulationis ſupra poſitum iterum erumpit, repetens verſiculum ſeptimum ſuperius explicatum. *Dominus virtutum nobiſcum, Suſceptor noſter Deus Jacob.* v. 11.

ORATIO.

DEUS *noſter refugium, & virtus! adeſto adjutor Eccleſiæ tuæ* [illegible]

eſſe-

tempeſtatibus ſuis, cæleſtiq; fluminis impetu, qui S. Spiritus eſt, lætifica civitatem, ac ſanctifica tabernaculum tuum, ut ſuperatis hoſtibus, eorumq; curribus, armiſq; confractis, prodigia, & magnalia tua animo nostro agnoſcamus, & te ſolo gaudeamus, ac gloriemur: quod tu Dominus virtutum ſis nobiſcum, & protector noſter ſit Deus Jacob.

IN PSALMUM XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus, &c.

MEDITATIO XLIX.

Plauſus Eccleſiæ ob ſubditas Chriſto gentes, ipſiúſq; in Cœlo regnum.

Argumentum Pſalmi.

Ad jubilum, & congratulationem invitatio eſt Pſalmus hic. Cur autem? An ob arcam fœderis ſolenni pompâ tranſlatam in tabernaculum à Davide in monte Sion conſtructum? Ut (ſenſ. lit.) intelligunt nonnulli ex 2. Reg. *6*. An potius ob redempti orbis à Chriſto auguſtiſſima myſteria, & beneficia, propagatámq; ejus fidem toto mundo, & poſt glorioſam in Cœlis Aſcenſionem, ipſius ibidem regnum: cui omnes populi ſubjecti ſint? Certè ſenſum hunc principaliter à Spiritu S. intentum (etſi myſticum, & præfiguratum in elevatione Arcæ) cum SS. PP. meritò dixerimus. Cui ſervit meditatio hæc. Poſſet applicari fortè etiam aſſumptæ in Cœlos, & elevatæ ſuper omnes Angelos veræ Arcæ, in qua paſſis Angelorum Chriſtus novem menſibus delituit Reginæ Cœli; cui gentes omnes, Cœli, terræque applaudant, eique ſe ſubjiciant.

Punctum I.

COnſidera cauſas, ob quas David omnes gentes invitat ad lætitiam, & exultationem tum animo, tum voce, tum geſtibus, cæteriſq; corporis motibus declarandam. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*. y. 1.

Prima eſt excelſitas, & potentia Regis noſtri Jesu Chriſti, qui imperio omnium terrarum potitus, ſuam apud omnes Majeſtatem divinam, poteſtatémq; declaravit. Nam *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra* (inquit S. Matth. ult.) *quoniam Deus excelſus, ſeu altiſſimus*, ut vertit S. Hieron. ob divinitatem *terribilis, ſeu tremendæ Majeſtatis*, ob potentiam, cui reſiſtere nihil poſſit, *Rex magnus ſuper omnem terram*, cui abſolutum, & univerſale imperium in univerſum orbem [illegible] debetur, cui uni omnes Reges cum omnibus regnis ſubjecti ſunt, & ſolus ipſe omnium Dominus eſt: qui *habet in veſtimento ſcriptum, & in ſemore ſuo, Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Apoc. 19.

Secunda Cauſa. *Subjecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris*. v. 3. ſuæ Eccleſiæ, & ſancti religioni noſtræ, ſubdidit nationes, quæ falſis diis ſerviebant, ut adorabundæ ſe nunc proſternant pedibus ſuis, & ſui in terris Vicarii, per Apoſtolos, & Prædicatores Evangelii, quibus Matth. 28. dixit poſt indicatam ſuam illis poteſtatem, [illegible] ante: *Euntes, docete omnes gentes, bapsizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Etenim poſtquam Eccleſiam è Pharaonis inferni poteſtate ereptam per mare rubrum pretioſi ſanguinis ſui eduxit [illegible] promiſſionis, ſalutisque, non ſeptem duntaxat gentes, quæ Deuter. [illegible] enumerantur, ſubjecit ditioni noſtræ, fecitque, ut re ipſa pedibus conculcaremus colla Regum gentium illarum, de quibus Joſue [illegible] gentes planè univerſas, Regesq; illarum Eccleſiæ ſuæ, & pedibus [illegible] ſulum ipſius, ſeu Pontificum ſummorum per obedientiam ſubdidit.

Tertia ratio. *Elegit nobis* (id eſt, in, vel ex nobis) *vel* [illegible] *ditatem ſuam.* Et licèt Hebr. legat: *Elegit nobis hæreditatem* [illegible] *ſpeciem Jacob*, nimirum terram promiſſionis ſpecioſiſſimam, ut [illegible] ex vulgata noſtra educitur: *Elegit nobis optimam terræ* [illegible] quam jure quaſi hæreditario poſſideat, & quicquid ſpecioſum, [illegible] cellens erat pro *Jacob quem dilexit.* Clariùs tamen, & [illegible] ſtræ congruentiùs ad ſignificandum divinæ electionis beneficium [illegible] Sic vertitur. *Elegit, & adſeruit in peculiarem ſibi populum* [illegible] *& hæreditatem quaſi ſingularem, præter gentes,* [illegible] *ſua, ut alia) pulchritudinem* Jacob, optimos quosq; ſc. ex Iſraelitis, [illegible] carne & ſpiritu fuerunt veri filii *Jacob, quem dilexit*, ut per hoc [illegible]

dat motivum electionis, ſuam ſcil. bonitatem, & voluntatem, de quo Romanorum nono Apoſt. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret)* non ex operibus, ſed ex vocante *dictum eſt Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, quemadmodum hoc profundiſſimum electionis myſterium, & beneficium eodem loco declarat idem Apoſtolus per inſertos olivæ Eccleſiæ loco confractorum per incredulitatem ramorum oleaſtros, ſeu gentes unà cum genuinis ramis, qui fideles permanſerunt, Patriarchis, eorūmq; filiis veris Iſraëlitis tam carne, quàm ſpiritu. Hanc ſpecialem, & ſpiritualem fidei pulchritudinem amavit, & unà cum gentibus elegit in hæreditatem SS. ſuæ Eccleſiæ Chriſtianæ, qui *regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Luc. 1.

Quarta jubilationis ratio. *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Quod nimirum poſt myſteria jam explicata Incarnationis Verbi Divini, quâ natura humana ad tantum gloriæ, poteſtatiſq; faſtigium elevata eſt, (ut v. 1. dixi) poſt gentes, & populos orbis terrarum partim per mortem, & paſſionem à Dæmonis jugo vindicatos, ſibiq; acquiſitos lytro ſanguinis ſui per redemptionis beneficium, partim per prædicationem Evangelii à ſe, & ab Apoſtolis ſuis ſibi ſubjectos (de quo v. 2.) poſt conſtitutam Eccleſiam vocatis ad eam tam Judæis, quàm gentibus per gratiam electionis, & vocationis, (ut ſuperiori verſu inſinuatum eſt) poſt glorioſam à morte reſurrectionem; tandem eundem Rex noſter propriâ virtute, utpote Deus Cœlos triumphans conſcenderit ingenti ſpirituum cœleſtium, totiúſq; Eccleſiæ Beatorum collaudantium congratulatione, jubilo, & applauſu, ſuóq; & captivorum ex Limbo vindicatorum triumpho immortali. Unde tum in Apoſtolos, tum in univerſam Chriſti fidelium Eccleſiam, maxima per Spiritum S. dona tanquam fontem bonorum omnium uberrimum profluxerunt, quod Pſ. 67. prædicitur: *Aſcendit in altum captivam duxit, captivitatem dedit dona hominibus.* Quæ ratio tergeminum gratulationis laudis, & gratiarumactionis argumentum ſubminiſtrat, ſive ut Regi noſtro congratulemur; ſive ut voces jubilationis, & exultationis cum Sanctorum cœlitum laudibus conſociemus; ſive ut pro affluentia cœleſtium gratiarum, tam multiplicium, atque excellentium gratias agamus.

Si enim illud argumentum in translatione Arcæ velut figuræ aſcen-

aſcendentis Chriſti efficax viſum eſt ſancto Prophetæ, ut translatio illa cum ſolenni muſicorum jubilo, & omnium inſtrumentorum concentu, choriſq; ſymphoniæ univerſæ celebraretur, quanto efficacius videri debet infigurato per Arcam Chriſti multò ſolenniori pompa, & Angelorum, hominumq; ſalvatorum applauſu in Cœlos evecto?

Affectus laudis, & gratiarum actionis pro enumeratis beneficiis.

O Quàm meritò *exultat non modò ſpiritus, ſed cor, & caro, & corpus noſtrum in Deum vivum, & in Deo ſalutari noſtro.* Pſ. 28. & Luc. 1.
,, Quàm meritò gratias agimus, & labiis, & corde, & omni, quâ vale-
,, mus virtute mentis, & corporis infinitæ miſericordiæ tuæ, Domine
,, Deus noſter, pro omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter no-
,, bis perditis ſubvenire dignatus es per Filium tuum Salvatorem, &
,, recuperatorem noſtrum, qui mortuus eſt propter peccata noſtra, &
,, reſurrexit propter juſtificationem noſtram: & nunc aſcendens ſuper
,, omnes Cœlos, & vivens ſine fine ſedet ad dexteram tuam, & inter-
,, pellat pro nobis; & ſimul tecum miſeretur: quia Deus eſt ex te Pa-
,, tre, coæternus, & conſubſtantialis tibi per omnia; unde poteſt eos
,, in perpetuum ſalvare: ſed & ſecundum id, quod homo eſt, ex qua
,, parte minor te eſt, data eſt ei omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, ut
,, in nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & *in-*
,, *fernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter JESUS*
,, *Chriſtus in gloria eſt tua, Deus Pater* Omnipotens (& infra) O ad-
,, mirabile myſterium. O inenarrabile commercium! O mira, ſem-
,, perque miranda divinæ propitiationis benignitas. S. Auguſt. præ-
dit. c. 16.

Punctum II.

EXpende modum jubilationis, & congratulationis, quem Divinus Pſaltes exigit.

Primò enim v. 1. jubet gentes, *plaudite manibus, (&) jubilate*
,, *in voce exultationis.* Quia, ut monet D. Auguſtinus, illorum demon-
,, ſtrat gaudium Deo gratum eſt, qui & operibus bonis (quæ per manus
,, ſignificantur earúmq; plauſum) & voce laudis teſtantur ſe in Domi-
,, no gaudere.

2. Iterum, atque iterum, iterúmq; ad pſallendum hortatur. v. 16. *Pſallite Deo noſtro; pſallite, pſallite Regi noſtro: pſallite:* ſive ut ad fervorem in pſallendo nos excitet, ſive ut continuò, & ſine intermiſſione Deum laudandum doceat, idq; tum intellectu, tum affectu, tum voce, tum opere, quod per repetitum quater *pſallite* voluiſſe videtur indicare; ſeu, ut non linguâ tantùm, ſed inſuper attentâ mente; nec mentis duntaxat attentione, ſed plenâ etiam cordis devotione; nec linguâ ſolùm, & animo, ſed moribus etiam Deus laudetur, atq; ita exactâ operum bonorum ſymphoniâ conſentiat vocis pſalmodiæ.

3. Addit v. 7. *Pſallite ſapienter,* (alia) *eruditè*, ſeu *ſcitè, & concinne* (ut Græcus habet) vel ut (quod Chryſoſt. & Auguſt. admonent) qui pſallit, intelligat quod canit, ut ex intelligentia myſteriorum moveri poſſit pietatis in Deum affectus. Vel *conſiderate*, ut nullus ſubrepat error, cum omni ſcil. diligentia. Vel *ſcitè, & reverenter*, uti non ſolùm tantam, tamq; ſublimem carminis materiam, de qua pſallitur, adjicet, ſed tam excelſam etiam tanti Regis majeſtatem, coram quo pſallitur; unde tres conditiones illæ pervulgatæ, quæ pſalmodiam comitari debent, enaſcuntur; ut nimirum *reverenter* interno ſcil. externoq; cum decore. *Ut attentè* cum plena mentis advertentia; *ut devote* cum ſenſu, affectúq; internæ pietatis Deo pſallamus. De quibus S. Gregor. ad oblationem alludens, quam mater Samuelis 1. Reg. cap. 1. Deo obtulit *in tribus vitulis* (quibus triplex reverentia quoad tempus, locum, ſitúmq; externum intelligi poteſt) *& tribus modiis farinæ* (quibus diligentia, intelligentia, & attentio in pſallendo ſignificatur) *& amphora vini* (quâ indicatur devotio.) Nam ſine farina, inquit, vitulum offert, qui in Dei laudibus verba quidem edit, ſed mente vagâ, ad ea " quæ loquitur, non intendit; ſed ſi verba Dei laudando, vel orando " proferentes hilareſcimus, dum intelligentiæ miſcemus gaudium, il" lius vini, quod lætificat cor hominis, amphoram farinæ ſociamus. De quibus eisdem ſacræ pſalmodiæ conditionibus S. Bern. Serm. 7. & 47. in cant. lætè, piè, ſuavitérq; ſuo modo. Et Claudius Aquaviva Societatis Jesu Præpoſitus General. V. epiſt. 15. de recitat. divini officii hunc verſum adducens: Quanta, inquit, ad officium ritè perſolven" dum reverentia, & attentio requiratur, præclarè omninò Pſaltes re" gius propoſitâ ipſius Domini, quo cum agimus, excellenti præſtantiâ " commonſtravit his verbis: *Pſallite Deo noſtro, pſallite; pſallite Regi*

„ *noſtro, pſallite quoniam Rex omnis terræ Deus.* Idcircò enim ſubjun-
„ xit: *Pſallite ſapienter*, quia videlicet non quovis, ſed apto prorſus
„ quodam modo, id officium recitandum eſt, præcipuè quidem à no-
„ bis, quos huic miniſterio deſtinavit Eccleſia, ut ipſius quaſi nomine, &
„ creaturarum omnium, quæ id minimè norunt, aut poſſunt, præpo-
„ tentem mundi effectorem laudemus Deum, pro cunctis oremus,
„ & coram eo corda noſtra pandamus. Quibus ex rebus liquido ap-
„ pareat, quam nos deceat, ut monet Apoſt. *Pſallere ſpiritu, pſallere &*
„ *mente.*

Affectus deſiderii.

O Ergò pſallendi, orandíq; Magiſter optime, Sanctiſſime Spiritus, qui pro nobis *poſtulas*, nósq; doces *orare gemitibus inenarrabilibus*. Rom. 8. Aperi os noſtrum ad benedicendum Numen ſanctum tuum, munda quoq; cor noſtrum ab omnibus alienis, perversísq; cogitationibus, ut attentè, reverenter, & devotè tuáq; majeſtate dignè tibi pſallere, téq; laudare mereamur.

Punctum III.

COnſidera media ad perfectam pſallendi rationem hanc opportuna, quæ ex ſeqq. verſibus Pſalmiſtæ erui poſſunt.

Primum *eſt timor, & reverentia filialis*, vel mixtus reverentiæ amor: quæ v. 6. junguntur invicem. *Pſallite Deo noſtro*, cujus infinita majeſtas percellere ſancto nos timore, reverenriáque poſſit. Ut cum Abraham dicamus, egòne *loquar ad Dominum, cum ſim pulvis, & cinis?* Gen. 18. & *pſallite Regi noſtro.* Chriſto ſcil. qui ob elevatam humanitatis noſtræ vilitatem in regiam dignitatem, ad Dei Patris dexteram Rex noſter dicitur; unde amor, & confidentia enaſcitur. Et ne fortè liberior evadat, non qualemcunq; Regem eum eſſe admonet, ſed ſimul Deum, & Regem univerſalem omnium. *Quoniam Rex omnis terræ Deus.* v. 7. Ideoq; ſapienter pſallendum eſſe, ut decet eſſe eam laudem, quæ ſummo Regi præſtatur.

Secundum. *Laudis materia* excelſa, & varia, quæ vel à devictis gentibus populi ſui hoſtibus, vel earum ſub imperium Dei ultroneâ ſubjectione, ut quibus Deus ante quidem imperabat, ſed invitis, nunc volenti-

lentibus, & libentibus dominetur: vel à gubernatione omnium populorum univerſali: vel à providentia Dei erga ſuos admirabili, & præſtanti ejus eminentiâ ſuper omnes; vel totius orbis adminiſtratione; vel ſingulari directione populi ſui Iſraëlitici, vel Eccleſiæ ſuæ conſtitutione, & variis exemplis innoteſcit, & tum hoc eodem verſu exprimitur: *Quoniam Rex omnis terræ* Deus, tum ſequenti 8. *regnavit Deus ſuper omnes gentes.* Quibus verbis licet perpaucis omnia, quæ Deus populo ſuo per Arcam fœderis beneficia contulit, contra gentes, & hoſtes præſertim, in memoriam revocare videtur, velut tum laudis divinæ cauſam, tum argumentum. Quæ exempla diverſis Pſalmis ſuis deprædicat regius Vates, & nos cum illo, ut benè pſallamus, in eoſdem affectus tranſire quodammodo, & transfigurari oportet. Ut (quod ex S. Aug. conc. 3. in Pſ. 30. ante citatus P. Claudius Aquaviva animadvertit, docétq; faciendum) *Timeamus, cum timet Propheta; amemus, cum amat; laudemus, cum laudat; ploremus, cum plorat; poſtulemus, cum poſtulat, & (quod plurimum confert ad neceſſariam attentionem ſubinde renovandam) mentem ad Deum extollamus, cum ille ſe erigit; nosmetipſos deprimamus, cum ille ſe agnoſcit; pro inimicis oremus, cum orat; flagitemus exaltationem Eccleſiæ, cum eam flagitat: amemus pulchritudinem Chriſti Sponſi, eloquiorum dulcedinem exoptemus, ejúsq; liberalitatis amplitudini pectus aperiamus; eundem Patri mediatorem interponamus, pro firmiori ſpe obtinendi; quod ipſe nobis acquiſivit; mente exſpatiemur per turres illas, & Cœlorum palatia, gratias agamus pro egreſſu ex Ægypto: oblectemur nos rivis mellis è petra profluentis: ſitim expleamus aquis illis mirabiliter manantibus; lætemur de profligatis hoſtium copiis, & adverſus eorum vim, & inſidias opem imploremus; ſplendorem pariter, & multitudinem Sanctorum, quos ſibi Deus in terra ſervat, contemplemur. Deniq; nullum non pium animi affectum Pſalmorum recitatione concitemus.* Atq; hoc ita agere pſallentem convenit, ut illos Pſalmorum affectus, (quod ſaluberrimum Caſſiani conſilium eſt. Col. 10. c. 10. remediúmq; benè pſallendi efficaciſſimum) *Non tanquam à Propheta compoſitos, ſed velut à ſe editos, quaſi orationem propriam, profundâ cordis compunctione depromat; vel certè ad ſuam perſonam æſtimet, eos fuiſſe directos, eorúmq; ſententiam non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuiſſe completas; ſed in ſe quotidie geri, impleríq; cognoſcat.* Et poſtquam aliquot Pſalmorum affectus

percenſuit, ſubjungit: *Omnes námq; hos affectus in Pſalmis invenimus expreſſos, ut ea, quæ incurrerunt, velut in ſpeculo puriſſimo prævidentes efficaciùs agnoſcamus.* Et ita magiſtris affectibus eruditi, non ut audita, ſed ut perſpecta palpemus, & quæ ſequuntur.

Tertium *benè pſallendi modum* eod. verſu ſubdit: *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam*, quibus in mentem revocat Deum in Arca fœderis, velut in ſolio gloriæ ſuæ, aut propitiatorio in throno coram adeſſe, ut proinde omni cum perfectione, pſalmodiam, & jubilationem ſuam peragant. Quæ quid aliud præfigurant, vel pſallentibus ſuggerunt, quam Dei, Chriſtiq; præſentiam nobis proponendam eſſe, ſive ſuper Cœlos elevati, ſedentiſq; ad dexteram Patris in ſede Majeſtatis ſuæ, quomodo vidit S. Johan. Apoc. 4. *Sedem Agni in Cœlo poſitam, & qui ſedebat, ſimilis erat lapidi Jaſpidis, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, & de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitra,* &c. Quem enim ſacro horrore reverentiæ pſallentem non percellat hæc Majeſtas? Sive in vera illa arca SS. Sacramenti Euchariſtica, ad noſtrum ſolatium noſtris in Eccleſiis ſemper præſente, dum Pſalmodia illa in templis vel cantando, vel recitando peragitur: quo fine nonnulli divinum horarum officium coram eodem venerabili Sacramento perſolvere laudatiſſimè conſuerunt, ut per fidei repetitos actus meminerint coram quo præſentes aſſiſtant, ſacram Eccleſiæ hymnodiam perſoluturi. Sive denique conſtituere ſe coram eodem Majeſtatis Divinæ throno, qualem Iſaias deſcribit c. 16. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum: Seraphin ſtabant ſuper illud, &c. & clamabat alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis terra gloria ejus, &c.* Atque hiſce divinis Choris ſe immiſcere; Vel qualiter vidit Apocal. 5. D. Johan. *Coram Agno ſtante in medio throni quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores cecidiſſe, habentes ſingulos citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, & cantabant* (addit) *canticum novum: Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & Seniorum,*

rum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magnâ: dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in Cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Coram his, inquam, cœleſtibus, auguſtiſſimisq; choris ſe conſtituere, iisdémq; ſe etiam ingerere, & immiſcere, cum his ſociare hymnodiam ſuam, quamvis terreſtrem, & quod aptius, & efficacius benè pſallendi medium fieri, excogitaríve poteſt?

Et vide, an non hoc ipſum præfigurare nobis in ſolenni translatione Arcæ David voluerit, dum frequentiſſimum, magnificúmque conventum Principum, Populorum, Iſraëlitici ſcil. & aliorum, pro incitamento communis plauſus, & jubilationis affert. v. 9. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* Modo ex S. Johanne jam explicato.

Niſi fortè per Principes illos populorum Eccleſiam non triumphantem in Cœlis, de qua modo, ſed militantem adhuc in terris, ejúsq; pſalmodiam Jeruſalem cœleſti æmulam mali erit indicare.

Ex quo quartum *medium deducitur.* Inſinuat enim hiſce non ſolùm indigenas, ſed etiam Principes aliarum gentium conveniſſe ad translationem arcæ, per quos Eccleſia Chriſti in terris rectè intelligitur; ad quam Principes omnium nationum relicto cultu falſorum Deorum ſe cum vero Deo conjunxerunt, qui *Deus Abraham* dicitur; eò quod, cum Idololatria per omnes alias gentes pervaſiſſet, verus ejus Dei cultus apud Abraham, ejúsq; filios Patriarchas, & Nepotes permanſerit, atque ita una ex Judæis, & cæteris gentibus, Eccleſia conflata eſt.

Quo etiam facit, quod in hebræo Textu legitur: *Populus Dei Abraham* ſubaudito (&) vel (cum populo) quæ ſupplenda eſſent, ut ſenſus ſibi conſtet. Hujus ergò ex Judæis, & gentibus coadunatæ Eccleſiæ congratulatio, & collaudatio, meritò unumquodque particulare illius Eccleſiæ membrum excitare debet, ut ſuam laudis vocem, & devotionis affectum hiſce conſociet in pſallendo: totóq; corde Deum benedicat, & laudet. Nec enim conveniens eſt, ut perſonantibus Dei laudes omnibus, etiam Principibus, præcipuísq; capitibus, vile membrum unum particulare, vel obmuteſcat, vel frigidos, & elanguidos ſonos balbis labiis obmurmuret.

 Quin-

Quintum *illud ejuſdem. v. 9. Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*, ſuggerit: Hoſtium nimirum contra nos, & Eccleſiam ſuperbiâ elevatorum ferocia; qui non conveniunt cum Deo Abraham, ſed inter ſe contra eum, *& Dii terræ* dicuntur, qui terrena tantùm & curant, & ſapiunt. Sic enim D. Aug. exponit hunc locum: ut propterea reverenter, ferventérq; pſallendum ſit coram Arca, in qua reſidet Deus, qui tot hoſtes per eandem profligavit.

Etſi S. Chryſoſt. Apoſtolos intelligat, qui pleni fortitudinis, ſapientiæq; donis, nec non miraculorum in tantam eminentiam elevati ſunt, ut veluti Dii terræ haberentur juxta illud Pſal. 44. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*; litterali enim ſenſu ſatis commodè Principes populorum intelligi poſſunt, etſi iidem qui *Dii fortes terræ*; & ſenſu myſtico illi iidem, qui per fidem, & conjunctionem cum Eccleſia, & Deo Abraham *vehementer elevati ſunt*, ita ut qui ante per Idololatriam ſervi eſſent Dæmoniorum, nunc filii Dei vivi per fidem facti ſint. *Vel nunc* in Cœlum *elevati*, per apotheoſin, in Beatorum numerum relati cum Deo regnant. Ex qua S. Chryſoſt. expoſitione medium

Sextum enaſcitur. Illi enim cum Chriſto in Cœlis imperantes, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, cæteríque Beati, in quorum memoriam, & laudem ipſorum feſtis Deo grates per pſalmodiam accinuntur, velut è terris in cœleſtem gloriam translati, *tanquam Dii quidam terræ fortes vehementer elevati ſunt*, ut ſuâ apud Deum interceſſione polleant plurimum, quibus illud Pſ. 138. competit: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Favétq; huic expoſitioni hebræa lectio, *quoniam Deo adhæſerunt ſcuta terræ*, ſeu *protectores*, ut S. Hieron. vertit, quales ſunt Gubernatores, & Magiſtratus, quos Oſeas c. 4. appellat *clypeos*, idcircò quod populi eorum protectioni, & tutelæ commendati ſint; quos interpres noſter cum Lxx. *Deos fortes terræ* nominat, quod inſtar Deorum fortiter terram ſibi commiſſam protegere debeant, uti SS. in Cœlo, Eccleſiam, Provincias, Regiones, & Civitates ſibi peculiariter commendatas. Hos ergò in celebritatibus eorum præſertim, ut hymnodiâ ab Eccleſia illis decretâ, magno cum affectu devotionis colamus, uti ſuum ſub præſidium nos ſuſcipiant; nos, noſtráſq; Eccleſias, Populos, patriam defenſent, & conſervent, an non incitamentum ingens videatur?

Affe-

Affectus deſiderii, & laudis DEI.

Ex S. Auguſt. med. c. 27.

„ LAudemus ergò Deum, quem laudant Angeli, cum Beatis omni-
„ bus triumphantis Eccleſiæ, quem adorant Dominationes, tre-
„ munt poteſtates, cui Cherubin, & Seraphin inceſſabili voce procla-
„ mant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Jungamus voces noſtras cum vo-
„ cibus Angelorum, Beatorúmq; in Cœlis, imò Sanctorum etiam in
„ terris, & communem Dominum laudemus pro modulo noſtro, &c.
„ Sed quis dicere, vel cogitare ſufficiat, qualis ſit in conſpectu Domini
„ Dei Omnipotentis illa beatorum ſpirituum, cœleſtiúmq; virtutum
„ innumerabilis multitudo? quæ ſit ſine fine feſtivitas viſionis? quæ læ-
„ titia ſine defectu? quis amoris ardor non crucians, ſed delectans?
„ (& cap. 33.) Sed & ego peccator homuncio deſiderio magno cupio
„ te laudare Deus meus, vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea: di-
„ gnare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, & cor
„ meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea toto die cantet lau-
„ des tuas.

ORATIO.

REx magne ſuper omnem terram Chriſte triumphator, quia ſubjeciſti nos populos tibi, & elegiſti nos gentes in hæreditatem tuam Eccleſiæ, ideò te decet laus, hymnus, & jubilatio. Ut ergò ſapienter tibi ore, corde, & opere pſallamus, da nobis, ut te ſuper Cœlos elevatum, & regnantem cum SS. tuis, oculis fidei jugiter intueamur. Amen.

IN PSALMUM XLVII.

Magnus Dominus, & laudabilis, &c.

MEDITATIO L.

Laus Dei ob fundatam, dilatámq; Eccleſiam ſuam.

Argumentum Pſalmi.

Græci PP. de reædificatione Hieruſalem poſt reverſionem è captivitate Babylonicâ Pſalmum cantici hujus, ut inſcri-

inſcribitur, ad literam intelligi volunt. Latini verò de Eccleſia, qui ſenſus ſaltem myſticus, & principaliter à Spiritu S. intentus videtur, cum hujus figura ſit illa, nobiſq; propoſitus idcircò. Quanquam de utraque Propheta potuerit hæc ceciniſſe.

Punctum I.

CONſidera ſingulares Eccleſiæ eminentias, ob quas Deo laudes, & gratiæ, à Chriſtianis meritò decantandæ ſunt. Juxta titulum Pſalmi, qui eſt Canticum filiis Core. (Crucis, ut B. Bruno explicat, per Metonom.) Core enim Calvariam ſignificat, vide dicta medit. 44. in Pſal. 41. argumento, qui ſunt Chriſtiani.

Prima Eminentia ſumitur ab Architecto, & auctore, qui civitatem hanc ſanctam ædificavit. v. 1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: in civitate Dei noſtri* (fundata) *in monte ſancto ejus.* q. d. Etſi Architectus ſanctæ Civitatis hujus undecunq; maximus, & laude omni digniſſimus ſit, quod illud (laudabilis nimis) denotat; ſive Eſſentiam ejus ſpectes, ſive Attributa, Sapientiæ, Bonitatis, Potentiæ, cæteráque alia, quæ omnia infinita, æterna, incomprehenſibilia, & ineffabilia ſunt. Nihil tamen nobis revelatione ſupernaturali innotuit, unde magnitudinem ejus magis cognoſcamus, magiſq; eum laudare vel poſſimus, vel debeamus, quam fundatio Eccleſiæ, quæ eſt illa civitas Dei noſtri, & mons ſanctus ejus, excelſus, omnis ſanctitatis, & perfectionis ſedes; ſive *in civitate Dei noſtri* ædificanda, & *in monte ſancto ejus erigendo*, in quibus tum profundiſſima ejus ſapientia, tum infinita bonitas, ac miſericordia, tum potentia inexhauſta, tum ſanctitas, perfectio, & juſtitia altiſſima, aliæque virtutes eluceſcunt, ut de iſto monte benè prædixerit Iſaias c. 2. *Erit mons Domûs Dei præparatus ſupra verticem montium.* Sicut Chriſtus ipſe hanc Eccleſiam ſuam Matth. 5. Civitati ſupra montem poſitæ comparavit. Quod ſequentibus declaratur amplius.

Nam, quæ Secunda ejus eminentia eſt, à fundationis modo petita. v. 2. *Fundatur exultatione univerſæ terræ mons Sion.* q. d. Nihil admirabilius, quàm ad fundandum illum Domûs Domini montem ſanctum omnigenas gentes univerſæ terræ, tantâ licèt ex varietate linguarum, rituum, morum, ingeniorum, legúmque: Judæos, Gentiles, Græcos, Latinos, ſapientes, Idiotas; excultos diſciplinis, & barbaros, & quales enu-

enumerantur. Act. 2. *Parthi, & Medi, & Elamitæ, Cretes, & Arabes, Judæos, & Romanos, & Proſelytos ex Meſopotamia, Cappadocia, Ponto, Aſia, Phrygia*, &c. confluxiſſe in unius fidei, ſacramentorúmq; unitatem, & in unam quaſi domum, ac familiam conveniſſe, & ita conveniſſe, ut magnâ cum exultatione, & gaudio, ſummâ cum conſenſione, & pace, jucundiſſimè, pacatiſſiméq; velut unius genii, moris, ac indolis cohabitaverint, ſicut refertur Actor. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, & erant illis omnia communia.* Et c. 2. ibid. *Erant quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Et c. 8. fundante Eccleſiam Philippo in Samaria: *Intendebant turbæ his, quæ à Philippo dicebantur unanimiter, &, factum eſt ergò gaudium magnum in illa civitate.* Et cum Eunuchum Candacis eod. cap. Chriſti fide imbuiſſet, *ibat ille baptizatus per viam ſuam gaudens:* adeò verum eſt, quod de regno Cœlorum Chriſtus dixit: *Simile eſſe theſauro abſcondito, quem qui invenit; cum gaudio vendit omnia, quæ habet, & emit agrum*, in quo novit abſconditum latere theſaurum illum. Matth. 13.

Alter fundationis modus (unde Tertia eminentia deducitur) eſt ſitus Civitatis ſanctæ iſtius contra aquilonarem plagam, frigidam illam, peſtiferam, tempeſtatúmq; procreatricem. *Latera Aquilonis ſeu dorſum*, & velut murum ſe oſtendens Aquiloni. Reſpiciebat enim mons Sion, in quo erat arx David ſita, auſtralem plagam, ita ut latus, & dorſum obverteret Aquiloni, & declive montis, ſeu inferior Hieruſalem, quæ Salem dicebatur, porrigebatur verſus Boream, ſuperior enim multis collibus inædificata erat, per illud ergò declive obtendebatur Aquiloni, unde & *latera Aquilonis* dicitur. Per quæ Eccleſia Chriſti fundatio perpulchrè præfiguratur, admirabiliter facta ſupra petram, & humilem, infirmum, & ignarum Piſcatorem Petrum, ita firmiter tamen, ut omnes aquilonares Hæreſeon, Dæmonúmque procellas, & tempeſtates, contra illum inſurgentes latere, & dorſo exceptas repellat, & disjiciat; quod Petro eidem Vicario ſuo futuro promiſit Chriſtus. Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quare ſicut mons Sion ad partem borealem ſitus, quaſi murus quidam defendebat Civitatem ſan-

ctam, terrámq; promiſſionis à vento illo frigido, ejúsq; turbinibus; ita Eccleſia Dei inædificata Petro, ſeu petræ, Aquilonaribus Hæreticorum, & infernorum ſpirituum flatibus opponitur, ab iiſq; defendit habitatores ſuos, ſive eos, qui in ſinu, ac doctrinâ, legibúsq; Eccleſiæ requieſcunt contra pernicioſa dogmata.

Quarta eminentia eſt Eccleſiæ continua dilatatio, & incrementum; quæ indicantur per verbum præſens, *Fundatur*, non fundata eſt in præterito, quod de monte Sion terreſtri verum tantùm eſt, ſemel enim fundatus ille, ultra non fundatur amplius, Eccleſia verò continuis incrementis apud alias atq; alias gentes dilatatur per Evangelii prædicationem quotidie, fundabitúrq; porrò usq; ad diem noviſſimi judicii extremum.

Quinta eſt *pulchritudo*, & amœnitas, quam græcus Textus exprimit, addito adverbio *pulchrè*, vel *benè fundatur*. Et S. Hieron. exponit, *pulchris ramis*, & *ſpecioſo germine radiatur*, legúntq; alii, *pulcher locus, gaudium*. Quod de Eccleſia multò aptius, quàm Sionis terreſtris monte dicitur, illa enim pulcherrimis inſtitutis, ſaluberrimis legibus, conſiliis, atq; præceptis, nec non adminiculis ſacramentorum, aliorúmq; mediorum efficaciſſimorum præclariſſimis ſtabilita eſt, & ſpecioſo germine Sanctorum in ea excreſcentium effloreſcit, ut omninò *pulcher locus*, & gaudium, amœnitásq; ipſa dici poſſit.

Sexta *Civitas Regis magni* dicitur. v. 2. Chriſti, inquam, qui Rex Cœli, & terræ; Angelorum, & hominum; unus, ſolúsq; magnus eſt, qui non ſolùm fundavit eam, ſed in ea reſidet, reſidebitq; ſemper, velut Aſſuerus in Suſan; Nabuchodonoſor in Babylone; Senacherib in Ninive; David, & Salomon in Hieruſalem, &c. quæ prærogativa iterum Eccleſiæ eximia eſt.

Septima v. 3. continetur. *Deus in domibus ejus cognoſcetur, & ſuſcipiet eam.* q. d. Non ſolùm fundavit eam ex omni gente, tanto cum gaudio, & ita opportuno loco, ita amœnè, & ſpecioſè; nec eam ſolùm reſidentiâ ſtabili inhabitare vult, ſed cognoſci etiam, videríq; ab omnibus eam incolentibus, non in palatio ſolùm ſuo, ſed in domibus etiam privatis, quod hoc indicio demonſtratur, eò quod continuâ ſuâ protectione ſuſcipiat illam defendendam, & exaltandam; quæ eſt ſingulariſſima Dei erga Eccleſiam ſuam providentia, in perſecutionibus præſertim hoſtium; ſic enim pro verbo *ſuſcipiet eam* Hebræus ſcribit *in re-*

in refugium, in auxilium, in exaltationem illius veniet, ſeu *ſuſceptor, auxiliator, & defenſor ejus erit.* Quod quàm potenter, & providè fecerit Deus per omnia Eccleſiæ ſæcula in tempus hodiernum, teſtantur hiſtoriæ ſacræ, profanæq; monumenta.

Hanc porrò cognitionem ſui licèt privatis domibus, & hominibus ſingulis manifeſtam faciat, illuſtrius tamen declarat in publicis templis, & baſilicis Deo dedicatis, per earum Præſides, & Antiſtites, qui populo eam exponunt, & deprædicant. Unde in Hebræo pro domibus habetur in *palatiis, & baſilicis*, quæ Deo conſecratæ ſunt, in quibus etiam præſentiam ſingularem in SS. Euchariſtiæ Sacramento exhibet ad ſolatium, & refugium omnium eò concurrentium.

Hanc Dei providentiam, & auxilium erga Eccleſiam exemplis declarat vv. ſeqq. *Quoniam ecce Reges terræ congregati ſunt, convenerunt in unum.* v. 4. *Ipſi videntes admirati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos.* v. 5. *Ibi dolores ut parturientis in ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis.* v. 6. Nam ſicut ad civitatem Jeruſalem exſcindendam inito inter ſe fœdere convenerunt Principes, & Reges hoſtes ejus, gloriæ ipſius invidentes, ut in libris Regum, & Paralipomenon legimus, præſertim tempore Joſaphat, Moabitæ, Ammonitæ, & Syri, gentéſq; transmarinæ (quam victoriam hoc carmine à Davide decantari hic quidam volunt) verum temeritatis pœnas dederunt. Nam videntes eam (malo ſuo ingenti) & munimenta, & circumvallationes, robúrq; urbis, & Dei præſertim eam protegentis tutelam, *ſic* (planè) admiratione, & ſtupore perculſi fuerunt, ut conturbarentur indignatione, commoverentúrq; deſperatione expugnandi loci, denique terrore ob inexſpectatam Divini Numinis virtutem, opémque concuſſi profugerent, cum ingenti dolore, qualem parturientes fœminæ, & parere non valentes experiuntur; poſtquam præſertim divinæ potentiæ ſpiritus vehementiſſimo in eos impetu irruit, & profligavit velut exortâ vi ventorum, tempeſtas concuſſam claſſem navium disjicit, ac deprimit, (quæ *naves Tharſis* dicuntur, ſeu Cilicum, eò quod teſte Ezechiele illæ maximæ fuerint, vel maritimæ *naves, Tharſis* enim cœruleum ſignificat, & pro mari ponitur. Ita (ut materialem, litteralémq; ſenſum ſpirituali noſtro de Eccleſia applicemus) ab initio naſcentis Eccleſiæ usq; huc accidit; Auditâ enim famâ, & prædicatione Chriſtianæ Religionis, Reges, & Principes variis ex ſuperſtitionibus, &

Sectis congregati convenerunt, in unum hoc propoſitum, ut Chriſtianam fidem, & Eccleſiam exſcinderent. Viſâ autem Dei virtute in conſtantia, fortitudineq; Martyrum, etiam in tenera ætate, fragiliq; ſexu, nec non prodigiis, & miraculis ab illis editis, ſtupore attoniti, & furore conturbati, terroreq; commoti hæſerunt, cum templa idolorum deſeri, cultumq; Dei quaquaverſum propagari cernerent, ipſis nequicquam repugnantibus, & frendentibus. Unde velut parturientes, & fœtum non valentes edere excruciati ſunt intimis præcordiis, dolore vehementi, quod accidit, quia divina virtus idololatriam contrivit, cum declaratione ſuæ potentiæ admirabili, velut ſubitò exorta tempeſtas, ſuperbas naves Tharſis tumentibus velis in Tharſis aurum, argentumq; illaturas, (quibus faſtus, arrogantia, avaritia Regum illorum deſignatur) momento quaſi diſſipat, & diſperdit. Ita PP. Græci Chryſoſt. Theodor. Euthym. hos verſus exponunt, ſenſu planè alio, ac PP. Latini S. Hieron. Auguſt. Ambroſ. qui de converſione gentilium Regum, ac Principum ad fidem Chriſtianam hæc explicant. Juxta quos mirabilis Dei providentia eluceſcit erga Eccleſiam ex hoc, quod Apoſtolorum ſimplicium. Piſcatorum inermi prædicatione, accedentibus ſignis, & prodigiis ab ipſis perpetratis, Principes, Regeſq; terræ, Viriq; alii tum potentiſſimi, tum ſapientiſſimi, ac maximi veritate Evangelicâ convicti manus dederint, & congregati fidelibus in fidei unius Chriſtianæ conſortium convenerint, Eccleſiæq; ſe ſubjecerint, quæ

Octava Eccleſiæ eminentia eſt. *Ipſi* enim *videntes* miracula, & ſigna in confirmationem doctrinæ, & prædicationis Evangelicæ *admirati ſunt*, *& conturbati ſunt* dolore ſalutari, errore ſuo perſpecto, quod inania idola pro Deo vero coluerint, unde *commoti ſunt* verâ pœnitentiâ, & *tremor*, vel ſincerus Dei timor *apprehendit eos*, *doloreſq;* de vita in ſuperſtitione, & Idololatriâ traductâ. Verum ut *parturiens quæ dum parit, triſtitiam habet, cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Johan. 16. Ita & dolor eorum, ac triſtitia converſa eſt in gaudium, quia per adoptionis gratiam in filios Dei, & cohæredes Chriſti, ſalutiſq; æternæ, progeniti fuerunt per Spiritum S. qui eſt *vehemens* ille ſimulq; placidus Spiritus, in quo *naves Tharſis*, quibus inolita vitæ peccata, ſuperbiæ, luxus, avaritiæ, & ſignificari ſupra dictum eſt, *conteruntur*, & abolentur per Chriſtianam humilitatem, contemptumq; delicia-

ciarum, & divitiarum ad Chriſti exemplum, & Chriſtianæ legis, doctrinæq; normam, atq; præſcriptum.

Affectus ex Puncto ſequenti.

Punctum II.

COnſidera affectus gratitudinis erga Deum, quos in perſona filiorum Eccleſiæ Propheta prægustat, & illis propinat.

Primus eſt Beneficiorum, & prærogativarum Eccleſiæ à Deo collaturam grata recordatio, aut agnitio velut experimentalis. v. 6. *Sicut audivimus* à Prophetis, & Apoſtolis prædictum, & à Deo, & Chriſto Redemptore noſtro promiſſum eſſe, *ſic vidimus* oculis ipſi noſtris, & manibus quaſi palpavimus, experientiáq; indubitata clariſſimè comperimus *in Civitate Domini virtutum, in Civitate Dei noſtri,* quæ eſt Eccleſia, in qua virtutem, potentiámque ſuam ita declaravit ille, qui eſt Deus, & Dominus noſter Chriſtus, quia ſcil. idem *Deus fundavit eam in æternum, ut portæ inferi nunquam prævalituræ ſint adverſus eam.* Matth. 16. q. d. Agnoſcimus gratâ mente virtutem, potentiámque tuam Deus, quam in fundanda, dilatandáque Eccleſia tua SS. demonſtraſti, eáque re ipſa præſtita eſſe videmus, quæ per te promiſſa, & per tuos Prædicatores prænuntiata fuerunt tot ſæculis labentibus, atq; ipſo effectu comprobata lætamur, gratiásq; agimus. Quæ enim hoſtium vis tanta atq; poteſtas, quæ contra Eccleſiam quicquam mille ſexcentis amplius annis, in tam multis, támq; gravibus Paganorum, Hæreticorúmq; perſecutionibus profecerit? quod de Hieroſolyma illa terreſtri jam everſa vix dici poteſt, aut intelligi.

Secundus eſt æſtimatio eorundem beneficiorum, & publica apud omnes profeſſio. v. 7. *Suſcepimus,* (Hebr.) *æſtimavimus, & nobiscum reputavimus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Vel ut S. Auguſt. legit, *in medio populi tui*, coram omnibus publicâ in congregatione palàm profitendo magnitudinem, multitudinémq; miſericordiarum, & beneficiorum, in protectione, & tutela matris noſtræ Eccleſiæ inenarrabili exhibitorum.

Tertius. Optare, ut dignis ob illa laudibus ubique ab omnibus, & omni tempore celebretur Deus, ejúsq; beneficia iſta. v. 9. *Secundum nomen tuum ita & laus tua in fines terræ.* Sicut es magnus Dominus,

& laudabilis nimis; & divinæ virtutes, attributa, beneficia excellentiſſima, ac infinita ſunt; ita vovemus, & precamur, ut ad ultimas terrarum oras tui nominis fama penetret, & condignis tua opera laudibus deprædicentur ab omnibus populis, & in omnibus locis ad ultimos usq; mundi fines, nec non omnibus ſæculis ſubſecuturis, totáq; æternitate. Quia *juſtitia plena eſt dextera tua.* Nam plenâ manu liberaliſſimè tua munera in nos diſperſiſti; eadémq; prodiga propè dextera tua multò pluribus repleta eſt effundendis in eos, qui in judicio ultimo (quando juſtiſſimum ages remuneratorem meritorum) ſtabunt ad dexteram tuam judicandi, & præmiandi.

Quartus. Publico plauſu, & lætitiâ, inſtitutisq; ſolennitatibus feſtivis Dei illa celebrare beneficia, ſicut in feſtis Dedicationum, Cathedræ Petri, &c. uſu venit. *Lætetur mons Sion,* ſeu univerſalis mater Eccleſia, *& exultent Filiæ Judæ*, ſeu Eccleſiæ particulares, quæ confeſſione (quod Juda ſonat) ejusdem fidei gaudent. Rectè enim ſenſu ſcripturæ litterali Rex Sion, caput religionis intelligitur, qualis erat Hieruſalem, & per filias, ſubjecta majori civitati, caſtella, oppida, aliáq; minora loca, ut ex lib. Joſue videre eſt. *Ob judicia tua Domine.* v. 10. Propter hæc beneficia tua, quibus profunda, & juſtiſſima judicia tua declaras, defendendo dexterâ tuâ pios tibi ſubjectos, plectendo, perdendóq; hoſtes eorum infideles, & impios.

Affectus iam poſiti.

Punctum III.

CONſidera, quo animo, & affectu filii Eccleſiæ erga tam honoratam matrem ſuam eſſe debeant. Quod ſeqq. vv. S. David docet: *Circumdate Sion, & complectimini eam*, quæ exponi poſſunt de complexu amoris filialis, & teneri, quo inhærere Chriſtianum, velut bonum filium, Eccleſiæ matri ſuæ quàm arctiſſimè ſemper oportet, nec ab eo unquam amplexu laxari vel minimè, ſeu cogitatione, ſeu verbo, ſeu re ullâ. Qui

Primus *affectus eſt* ſcil. amor filialis, tener, atq; arctus erga Eccleſiam. Quanquam ſenſui litterali, quo hortari videtur Iſraëlis populum Propheta ad muniendam urbem Hieruſalem, arcémq; Sion. *Circum-*

cumdate Sion vallis, vel munitionibus, & *complectimini* muris eam civitatem veſtram, *narrate in turribus ejus*, deliberate de turribus excitandis: huic ſenſui, inquam, accommodatior eſt

Alter *affectus Zeli*, qui ex priore amore proficiſcitur, quo partim ad ædificandam civitatem hanc ſanctam accendit filios, & inquilinos ejus, novis, vivíſq; lapidibus ei inſerendis, ut 1. Pet. 2. dicitur, *tanquam lapides vivi ſuperædificamini*; partim ad cingendam mœnibus, qui ſunt veri perfecti: partim ad muniendam omnis generis propugnaculis, & turribus contra hoſtes ejus hæreticos, & infideles, eos confutando cum SS. PP. & gladio verbi Dei, ſcriptíſq; libris oppugnando; partim prædicando Evangelium, fidémq; Chriſtianam, & *narrate in turribus ejus:* partim convertendo, & aggregando novos quotidie cultores, & incolas. *Diſtribuite domus ejus.* His enim modis fundatur, ædificatur, munitur, propugnatur mons Sion, & Civitas Dei Hieruſalem: partim eam viſitando, contemplando, proſpiciendóq; de annona, rebúſque aliis neceſſariis. Quo ſenſu verſum hunc ita legunt, exponúntq; alii: *Obambulate montem Sion, circumite Civitatem Hieroſolymam, & diligenter contemplemini. Narrate,* (alia) *numerate turres quot habeat*, & quàm fortes, excelsáſque, quod munus Epiſcopalis intendentiæ eſt, ut in ſpecula, & turribus conſtituti Cathedrarum ſuarum, narrent ſibi, & numerent, deliberéntq; ſecum de his omnibus.

Propterea ſubdit v. 2. *Ponite corda veſtra in virtute ejus* conſideranda, & procuranda, intenti eſtote, & adjicite animum. Vel ut S. Hie„ron. legit: *Ponite cor veſtrum in mœnibus ejus.* Hæc omnia ſingulari cura, cordíſq; ſolicitudine accurando, ut muris firmis, robuſtis propugnaculis, munitionibúſq; omnis generis ei proviſum ſit, tunc poſtea *diſtribuite domus ejus* ædificandas variis operis Evangelicis, ut quotidie augeſcat S. Civitas, donec perficiatur in noviſſimo die. *Ut ſic enarretis in progenie altera* notitiam Dei ſcil. ad poſteros multiplicatos transmittatis, per quam cognoſcant, ſempérq; meminerint, *quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi ipſe reget nos per ſæcula.* Vel ut legit S. Hieron. *ipſe reget nos in morte.* Quibus quadrifarius Deum colendi titulus continetur; tum quia Deus eſt omni honore digniſſimus, tum quia Deus noſter eſt per aſſumptam naturam noſtram, non ad tempus, ſed in æternum. Tum quia ipſe reget nos, non ad breve tempus in vita, ſed in morte etiam, ubi Regum cæterorum

rum directio, & regnum deſinit; imò per ſæcula, in æternitate beata. Hi ſunt actus amoris, & Zeli ex amore profecti, quibus Civitatem ſanctam Eccleſiam matrem noſtram proſequi ipſius filiis fas eſt, cujus nobis exemplo fuit Chriſtus. Joh. 2. de quo idcircò Apoſtoli illud Pſalmi 68. rectè explicaverunt, eiq; applicaverunt, *Zelus domus tuæ comedit me*, & quo etiam gloriatur Deus ipſe Zachar. 3. *Zelatus ſum Sion Zelo magno.*

Affectus iidem ex S. Aug. med. c. 25.

„ MAter Hieruſalem, Civitas ſancta Dei, chariſſima Sponſa Chri-
„ ſti, te amat cor meum, pulchritudinem (& perfectionem)
„ tuam nimium deſiderat mens mea. O quàm decora, quàm glorio-
„ ſa, quàm generoſa tu es! Exulta, & lætare formoſa filia Principis,
„ quia concupivit Rex ſpeciem tuam, & amavit decorem tuum ſpe-
„ cioſus formâ præ filiis hominum. *Equidem ſi oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ.* Pſ. 136.

ORATIO.

DEUS, *qui in fundanda, protegenda, amplificandáq; Eccleſia tua magnus es, & laudabilis nimis: Præſta, ut miſericordiam tuam, quam in medio hujus templi tui ſuſcepimus, ita glorificemus, ut ſecundum divinum nomen tuam à nobis dilatetur laus tua in fines terræ; & eâdem à nobis per gratiam tuam propugnatâ, propagatáq; latè Eccleſia, ab omni progenie futura cognoſcaris, quia tu es Deus, Deus noſter in æternum, & quod ipſe regis nos in ſæcula. Amen.*

IN PSALMUM XLVIII.

Audite hæc omnes Gentes, &c.

MEDITATIO LI.

Virtutem per mundi contemptum ſata ſuadent extrema.

Argumentum Pſalmi.

Paræneſin habet Pſalmus hic ad declinanda vitia, contemnenda tranſitoria, ſectandámq; juſtitiam, quia in morte, & judicio extremo hæc ſola prodeſt, cætera fluxa, caduca, nociva ſunt.

Punctum I.

COnſidera, quàm ſit creditu, ſuaſúq; difficilis maxima illa, imò ſapientia unicè ſcitu omnibus neceſſaria, quam illuminatiſſimus Chriſti imitator libellus his tradit: *Hæc eſt vera ſapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cæleſtia.* Hanc ut perſuadeat S. David, tam operoſam huic Pſalmo ſuo doctrinam illam tradenti præmittit præfationem, & captationibus attentionis inſtructam. Nam v. 1. & 2. tanquam rem omnibus ſcitu, quàm maximè neceſſariam propoſiturus, audientiam omnium totius orbis populorum, cujuscunq; nationis, conditionis, ſtatus ſint, exigit:

Audite hæc omnes gentes, ſive ut habetur in Hebr. *omnes populi*, ne ad gentiles fortè tantùm loqui reſtrictè videatur. Idémq; inculcat cum augmento, *auribus percipite*, ita ut inhæreat hic ſermo meus, non pertranſeat tantùm aures; ſed ſic excipiatur, ut expendi mente, ruminaríq; cogitatione poſſit. *Omnes, qui habitatis terram.* v. 1. quæ univerſaliſſima eſt propoſitio, quam ob momentum cauſæ ſpecialiùs adhuc explicat v. 2.

Quiq; terrigenæ, & filii hominum, tam ignobiles, qui terræ filii, ſeu ex terra geniti γηγενεῖς dicuntur, quàm nobiles, qui filii hominum ſunt. Alii legunt: *Tam filii hominis, quàm filii viri.* Hoc enim ſenſu Hebræi hæc accipiunt, prô tam obſcuro, quàm claro genere ortis,

ſimul in unum dives, & pauper, ſine ulla differentia unum in conventum, & auditorium, ſimul ad audiendum colligimini.

Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. v. 3. Altera attentionis præparatio eſt à rei docendæ excellentia. *Sapientiam* enim, quæ rerum humanarum, divinarúmq; ſcientia dicitur, vel quæ de Deo, diviniſq; rebus ad æternitatem beatam conſequendam profuturis, neceſſariiſq; ex cauſis altiſſimis eſt; *Et prudentiam*, quæ ad actiones humanas rectè inſtituendas confert, vel quæ non tantùm theorica, & ſpeculativa principia, ſed practica etiam tradit, conjungendo monita ſapientiæ, quæ faciunt hominem ſapientem in altiſſimis cauſis contemplandis, cum documentis prudentiæ, quæ reddunt ſimul prudentem in vita rectiſſimè inſtituenda. Et ne modus fortè deſideretur tradendis rebus illis per ſe graviſſimis, & digniſſimis.

Tertiò eandem attentionem etiam ex hoc capite acuit dupliciter. 1. *Os meum loquetur, & meditatio cordis mei* non temerè ſcil. quæ in buccam veniunt proferendo, ſed conſideratè, quæ animo ante præmeditata fuerunt eloquendo, idque inſuper 2. non ſimplici, & vulgari methodo, ſed qualis rerum dignitatem, & altitudinem decet; & quæ pro viris ſapientibus ſimul erudita ſit, & clara pro ſimplicioribus. Nam

Inclinabo in parabolam aurem meam. Parabola enim modum utrumque importat: Eſt enim parabola apud Hebræos ſententia quæcunque gravis, elegans, & eruditione plena, imò proverbialis, & ænigmatica, quæ attentionem, & ſtudium ad intelligentiam ſui exigit, vocatúrq; hic problema, quale (eodem nomine græco πρόβλημα) Sampſon propoſuit enodandum. Judic. 14. *de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.*

Eſt & parabola oratio per ſimilitudines expreſſa, cujus apud Syros pro meliori captu frequens uſus, & apud ipſum Chriſtum Salvatorem in Evangelio ad captum faciliorem, & inſtructionem populi ad ſe promiſcuè accurrentis. Hanc porrò parabolam, non à proprio ſpiritu hauſtam, ſed à Spiritu S. traditam, doctámq; inſinuat, per illud: *Inclinabo aurem meam*, Spiritui S. ſcil. in me loquenti obaudiam, quæque ipſe in me locutus fuerit, efferam.

Tandem, quia omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci, Lectorem,

ctorem, vel Auditorem delectando, pariterque movendo, hoc ipſum profitetur ſe præſtiturum ad benevolam magis audientiam impetrandam, adhibiturúmq; harmonicum concentum, & modulos, ***aperiam in pſalterio***, vel cithara, ***propoſitionem meam***, ut ſuaviùs in audientium animos parabolicus ſermo meus illabatur.

Affectus deſiderii.

„ O Audiam ergò, quid loquatur in me Dominus, quoniam loque-
„ tur, quæ ad pacem ſunt. Loquere Domine, quia audit ſervus
„ tuus. Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum, & ſciam teſtimo-
„ nia tua, inclina cor meum in verba oris tui, fluat ut ros eloquium
„ tuum. Thom. de Kemp. l. 3. c. 1. & 2. Tuum enim teſtimonium non ſolùm ***fidele***, ***ſapientiam præſtans parvulis***; verùm etiam ***juſtitiæ tuæ*** (quas tradit) ***lætificantes corda***, ***& præceptum lucidum illuminans oculos.*** Pſ. 18.

Punctum II.

EXpende primum ſapientiæ hujus axioma. Nimirum quæ in morte, judiciòve, aut nociva, aut inutilia ſunt, meritò vel fugienda eſſe, vel aſpernanda. v. 5. *Cur timebo in die mala?* Id eſt, quid me contriſtare, aut terrere poterit in morte, aut judicio extremo, quæ dies mala eſt, dicitúrq; Sophon. 1. ***Dies iræ***, ***dies tribulationis***, ***& anguſtiæ***, ***dies calamitatis***, ***& miſeriæ***, &c. Vel, ut alii exponunt: Cur ea, vel committam, vel immodicè ſectabor, propter quæ timere habeo, & contriſtari in die afflictionis juſti vindicis Dei? Qualis eſt dies mortis præſertim, extremíq; judicii iis, qui perversè, & inordinatè vixerunt: iis enim, qui vitam cum virtute egerunt, fauſtiſſimus, lætiſſimúsque illuceſcet. Vel contra: quid me ſecurum, & animo confidenti erectum in die illo reddere poterit, à quo bonorum, malorúmq; omnium meorum ſumma dependet? an non virtus, rerúmq; contemptus terrenarum? Conformiter regulæ electionis 3. S. Ignatii in libello Exercitiorum hebd. 2. Quid me in morte feciſſe vellem? aut judicio extremo? Quod accidit maximè in caducis, fluxiſq; ſæculi divitiis, boniſq; conſectandis (nam contra avaritiam, & immoderatam divitiarum conquiſitionem agit hoc loco potiſſimum) quaſi illud Apoſt. 1. Tim. 6. præſentiret: *Qui*

volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem; radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem, O *homo Dei, hæc fuge: ſectare verò juſtitiam,* &c.

Hæc verò animo præcipiens Propheta, *cur,* interrogat, *timebo in die mala?* & interrogationi mox ſubdit reſponſum bimembre, alterum quoad injuſtitiam cavendam; quæ in corradendis opibus miſcetur ordinariè: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me. v.* 5. In juſtitia commiſſa per dolos, & fraudes, quæ per calcaneum, & ſupplantationem ſignificari ſupra indicatum eſt; vel facta, & opera iniqua, quæ phraſi hebræâ per calcaneum, veſtigia, &c. metaphoricè ſignificantur, quibus circumveni alios, circumſtabunt me undique, & implicabunt. Vel, ut exponit Bellarm. iniquitas extremæ vitæ meæ, ſeu finalis impœnitentia, in qua me mors deprehenderit in ultimo vitæ meæ decurſu, atq; momento, illa me valli inſtar circumdabit, obſeſsúmq; velut omni timore, & anguſtiâ arctabit, & conficiet.

Quemadmodum ècontra juſtitia calcanei extremæq; vitæ meæ, ſi innocentia perſeveraverit mecum in mortem, aut per finalem pœnitentiam reparata fuerit, fidentem, ſecurúmque reddit, & conſolabitur.

Alterum reſponſionis membrum, nimirum circa res fluxas ſolicitudinem, & in illis confidentiam, Deo quaſi poſtpoſito, perſtringit. Pro cujus expoſitione elegantiori per aſtrophen ſermonem dirigit ad divites, & potentes, in ſua potentia, divitiiſq; confidentes, & gloriantes. v. 6. *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur.* q. d. Audiant, quæ dicturus ſum iis, qui potentiâ, multitudine divitiarum ſuarum nimium confidunt, & gloriantur. Nemo ſperet harum præſidio in die illa mala liberandum ſe. Nam *frater non redimit* tunc temporis, aut amiciſſimus quicunq; *redimet ne homo alius?* à morte in die illa malâ. Vel *neq; frater, neq; homo quicunq; alius,* repetendo negationem (non) quam Hebræi omittunt ſæpe, *non dabit Deo placationem ſuam.* v. 7. Id eſt, neq; ab iſtis, neq; à ſemetipſo ſperet, quacunq; etiam infinita vi pecuniarum oblatâ mortem, Judicémque ſupremum placandum eſſe, ut immunitatem conſequatur. Subdit:

Et

Et neque pretium redemptionis animæ ſuæ, ſupple, dabit. Nullo enim pretio, quantumvis magno, conſequi id poterit, ut animam ſuam à morte redimat, ſemper ut vivere poſſit. Ex quibus illa Chriſti Maxima, licèt ſenſu magis ſpirituali benè deducitur. Matth. 16. *Quid prodeſt ergò homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ?* Mors enim animæ ſpiritualis, quæ mors ſecunda dicitur, multò detrimenti eſt majoris, & cujus redemptio multò quoque difficilior, & pretioſior eſt, utpote quam non niſi ſanguine ſuo divino infiniti pretii Unigenitus Dei Filius redimere potuit. Subdit: *Et laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem*, quorum ſenſus eſt difficilis, & hic reddi poteſt: non ſolùm animam ſalvare non poterit pretio redemptionis quocunq; oblato, ſed eam etiam æternis laboribus poſt multiplices vitæ hujus labores, ſubjiciet; utpote quæ immortalis eſt, & in æterna licèt morte inferni, *vivet adhuc in finem*, & ſemper. Vel, affliget ſe graviſſimis laboribus, & propè infinitis, & æternis in hac vita, quam non extendet tamen diu, ſed ad finem omnibus à Deo conſtitutum, ultra quem nec momentum adjiciet. Sic enim verba *in finem* phraſi ſcripturæ non ſignificant idem, quòd ſine fine, ſed quod ſibi finem habet conſtitutum, ſeu, mox terminabitur.

Cui expoſitio D. Auguſtini favet apud Bellarm. Dives laborabit quidem in æternum, quia labor ejus nunquam habebit finem in inferno, & vivet adhuc in finem, ſeu modico tempore, quia vita ejus brevis eſt, brevémq; finem habet ſibi præſtitutum, ultra quem non extendetur. Atq; hæc altera divitum eſt miſeria, ſcil. labor ingens, & perpetuus, fructus verò, uſúsq; modicus.

Et tametſi hæc ita ſe habeant, ea tamen impii divitis vel cæcitas, vel dementia eſt, ut quaſi de vita ſecurus; nec proſpiciat, nec cogitet de morte ſua. Etſi etiam viros bonos, & ſapientes ſe multò digniores vitâ longiori videat quotidie vita excedere, quæ iniquorum divitum alia pœna graviſſima eſt.

Non videbit interitum, cum viderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt. Legunt, exponúntq; nonnulli, *ſimul ſapiens, & ſtultus peribunt.* Tandem tamen, quicquid ille cogitet, aut agat, ſeriùs, aut citiùs, vitæ exitum inveniet, qui ſapientibus, inſipientibusque, atque ſtultis communis eſt, cum eâdem migrandi neceſſitate

 omnes

omnes vivant. Inter inſipientes, & ſtultos diſtinguunt S. Baſil. & alii, ut illi à natura, hi verò à pravitate deſipiant, quorum interitus, velut beſtiarum veræ rationis uſu deſtiturarum ſimilis ſit, & perpetuus. Itaq; tametſi illud *non videbit interitum*, phraſi ſcripturæ idem ſit, quod eſſe immortalem, vel nunquam eſſe interiturum, ut ex illo Johannis 8. videre eſt. *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Et illo Pſal. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* immortales tamen divites nequaquam revera ſunt, (eſto parſimoniâ ſuâ, aliiſq; mediis diutius fortè vivant cæteris quandoque) ſed imaginatione ſuâ, & opinione practicâ, dum ita ſecuri, mortiſq; incogitantes vivunt, immerſi divitiis ſuis, quaſi immortales, & nunquam interituri eſſent. Et videmus profectò quotidianâ experientiâ hâc pœnâ divites affici, ut nec pro bono animæ ſuæ diſponendi, nec in cauſas alias pias, honoremq; Dei, gratiam à Deo habeant; quicquid in mentem illis ſæpe id veniat, aut in ſermonem, ac propoſitum quandoq; etiam, imò improviſâ morte, vel imparati, & immuniti Chriſtianis Sacramentis, & remediis ultimis ex hac vita exturbentur.

Quin etiam, quæ *quarta inſuper pœna*, & ſtultitia eſt, hærede ſui ſanguinis non gaudeant. *Et relinquent alienis divitias ſuas.* Quam meritò ſtultitiam, ſtultorúmq; interitum Chriſtus exprobrat diviti illi Evangelico. Luc. 12. *Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam, & quæ paraſti, cujus erunt?* Quam etiam perſtringit Eccl. c. 4. & 6. & vanitatem, afflictionémq; peſſimam vocat, imò & abortivo deteriores reputat, quantumvis filios, Nepotéſq; habeant innumeros, ſed ingratos, & parentum, benefactorúmque poſt mortem immemores, quos & S. Auguſt. inter alienos refert.

Ipſi porrò ex illis, quæ tanto labore compararunt, tantáq; ſollicitudine poſſederunt, nihil ſecum aſportabunt, in ſeſquipedalis latitudinis foſſam, & ſepulchrum, loco ampliſſimarum ædium, quas incoluerunt; uſq; in diem noviſſimum Judicii univerſalis coarctati, & compediti quoad corpus; *& ſepulchra eorum, domus eorum* (ſupple erunt) *in æternum.* v. 10. ad finem mundi. Sic enim in ſcriptura pro duratione integra alicujus temporis, & ſtatûs, *æternum* ſumitur interdum quæ divitum improborum

Quinta eſt infelicitas. Quod cum nihil morientem poſt vitam ſequa-

ſequatur, præter opera bona, quibus ipſi deſtituuntur, nihil omnium per conſequens ſecum ferunt. Ut Saladinus morti vicinus circumlato linteo ex haſta ſuſpenſo, præconis voce curavit proclamari: Hoc præter linteum nihil ſecum ex vita auffert Saladinus. Infeliciores egentiſſimis quibuſcunque probis, qui ſi non theſauros ſuos per Eleemoſynas in alteram vitam præmiſerunt reipsâ, ſaltem voluntate, aliiſq; operibus cum virtute in vita Chriſtianè actis, incomitati, & nudi non abeunt.

Subdit in eundem ſenſum v. 11. *Tabernacula eorum in progenie, & progenies.* Hæc ſepulchra erunt eorum domicilia, in quibus deliteſcent ad finem usque mundi; *vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*, nihil porrò poſtquam in tabernaculis iſtis computruerunt, & in pulverem redacti fuerunt, ex iis reſtabit præter inane nomen, quod vel ſepulchris inſcriptum remanet, vel impoſitum ædificiis, palatiis, monumentiſq; aliis à ſe relictis.

Lectio alia pro illo: *Sepulchra eorum, domus illorum* habet: *intimum eorum domus ſua in æternum*, quæ imperfecta, & obſcura oratio eſt hujus ſententiæ, ut apparet: intimum eorum conſilium, & intentio hæc eſt: magnificentiſſimis ædibus, palatiis, civitatibus, cæteriſq; monumentis conſecrare nomen ſuum æternitati, hæcq; perſuaſio eorum inanis eſt, fore iſta ſempiterna, unà cum fama, & celebritate nominis ſui, aut ſuæ genti, aut è proſapia ortis nepotibus permanſura. Sed falluntur profectò: nam *tabernacula eorum in progenie, & progenie.* Erunt ſicut tabernacula paſtorum, quæ modo figuntur, modo refiguntur, & transferuntur aliò, ita palatia eorum tranſibunt in progenie, & progenies ab una ad alteram progeniem, & familiam, & nomen ſimul, & tituli cum terris ſuis, quibus nomina ſua indiderunt, peribunt. Atq; hoc eſt: *vocaverunt nomina ſua in terris ſuis.* Adeò nec in hac inani perſuaſione confidere poſſunt, quin ſpe ſuâ fruſtrentur, nihilq; deſit ad perfectam vitæ hujus infelicitatem, atq; inſipientiam.

Quæ cum affectu commiſerationis S. Propheta concludit admirabundus. v. 12. *Et homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* q. d. O miſerandam mortalium ſortem! O luctuoſam hominis conditionem! qui præ cæteris animantibus in tam excelſum, & illuſtrem honoris gradum à Deo elevatus, imagine divinitatis honoratus, intelligentiâ, & libero arbi-

arbitrio prædiτus, immortalitate animæ dotatus, & omnium animalium, rerúmq; ſublunarium Rex, & Dominus conſtitutus, tantum ſuum honorem non intellexit, ſed comparatus à ſeipſo per imitationem eſt jumentis ratione deſtitutis, dum veris, & ſempiternis bonis poſthabitis, falſa, & caduca ſectatur, & more pecudum futura non proſpicit, ſed præſentibus tantùm inhiat, dum paſſiones, & appetitus ſuos beſtiales ſequitur, rationem non audit; dum quæ ſenſibus blandiuntur, conſectatur, quæ vero lumini intellectus conſona ſunt, aſpernatur: Sic; inquam, imitatione beſtiis à ſe exæquatus, ſimilis factus eſt illis.

Et deplorans porrò eandem hominis miſeriam. *Hæc via*, inquit, *illorum ſcandalum illis, & poſtea in ore ſuo complacebunt.* Hæc brutalis vivendi ratio, quam homines ſtulti tenent, licèt offendiculum, & miſerabiliſſimæ ruinæ illis cauſa ſit, attamen in illa ſibi complacent adhuc, & in rebus iſtis peſſimis gloriantur, quaſi rem ſuam præclarè geſſerint, tantùm abeſt, ut miſeriam ſuam agnoſcant, & ab ea in ſanam mentem redeant. Juxta hebræum Textum hunc ultimum verſum ſic legunt, & exponunt alii: *Hæc via illorum ſtultitia eſt eorum, & poſteri eorum juxta os illorum current.* Et licèt hæc via, vivendiq; ratio illorum ſtultitiæ inſanæ plena ſit; nihilominus tamen filii eorum, ſeu poſteri eam laudabunt, in eorúmq; dictis, velut axiomatis ſibi complacebunt, imò ad ea vitæ ſuæ curſum accommodabunt, opes, & honores inanes, cæteráque peritura æternis anteponentes. Quæ inter præcipuas infelicitates illorum inſanorum annumeranda eſt, cujus utpote ſcandali pœnas luituri ſunt apud inferos. Quamobrem dives Epulo Patrem Abraham rogat. Luc. 16. *Ut mittat Lazarum in domum Patris ſui, ut quinque fratribus teſtetur, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.*

Nam poſt enumeratas ſupra infelicitates vitæ, mortis, & judicii, illa omnium alterius vitæ infeliciſſima eſt, quæ v. 14. additur, miſera coronis, & complementum univerſarum. *Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Quibus miſerabilem divitum, & arrogantium exitum deſcribit, pecudum ſimilitudine, quibus comparati, & ſimiles facti in vita fuerunt, obſervatâ. Nam ſicut benè paſtæ oves ex paſcuis ad macellum aguntur magno numero (ut multitudinem damnandorum divitum per gregatim coactas oves exprimat) eóq; ipſæ curſitant, etſi mactandæ, ſine reſiſtentia, ignaræ imminentis ſibi lanienæ (ut ſtultiſſi-

ſtultiſſimam eorundem incuriam, & improvidam inſipientiam commonſtret) ita catervatim, & gregatim ad inferos detrudentur impii ſectatores terrenarum opum, voluptatum, & honorum, futuri mortis æternæ pabulum *mors depaſcet eos.* Quod duplici ſenſu exponi poteſt; vel ex græco ποιμανεῖ paſcet, quaſi mors inſtar paſtoris ſtultas pecudes illas ductura ſit ad paſcua ſqualida, & horrentia æternorum gemituum, & tormentorum. Vel communem juxta ſignificatum, *mors* æterna in cruciatibus lupi inſtar *depaſcet*, & conſumet *eos*, velut ignis æterni pabulum nunquam abſumendum.

Affectus v. 12. & 13. ex Davide explicatus.

Punctum III.

COnſidera è contra Juſtorum, & virtuti ſtudentium contemptis rebus fluxis conditionem oppoſitam. Etſi enim in hac vita deterioris ſtatus eſſe videantur, quam injuſti divites, imò ab illis premantur, & affligantur: Exactâ tamen hujus vitæ, & temporaneæ mortis nocte, & illuceſcente beatioris vitæ diluculo, in reſurrectione univerſali Juſti vice verſâ impiis dominabuntur, ut v. 15. deſcribit:

Et dominabuntur eorum Juſti in matutino, quando ſcil. vel ſedebunt Júdices eorum cum Chriſto, juxta promiſſionem illis factam, Matth. 19. *Amen dico vobis, quod vos, qui* contemptis, & relictis terrenis *ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Mundum univerſum, vel inter electos ad dexteram Judicis conſiſtent, ut graphicè deſcribitur Sap. 5. *Tunc ſtabunt Juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum.* Contra verò impii videntes (iſto in matutino) *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Tunc omnia illa, quæ tanti in hac vita fecerant, iis evileſcent. *Et auxilium illorum*, ſive res

iſtæ, in quibus præſidium, robur, felicitatem, ſpémq; ſuam collocarunt, *veteraſcet* veſtis inſtar vetuſtæ, à tineis exeſæ, & putrefactæ *in inferno à gloria eorum.* Poſt, vel ſecundum gloriam, quam in hac vita habuerunt, ſuccedente ejus in locum confuſione æternâ, pœníſque inferni, juxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum.* Quam veteraſcentem gloriam, & auxilium ſuum lamentantur iidem impii citato ante cap. Sap. 5. *Ergò erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia iſta tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non eſt veſtigium invenire,* &c. Potueruntne aptius veteraſcentem gloriam deſcribere?

Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, ſeu de pœnis his impiorum, quæ illis quidem evenient, ut dixi; quæ ſors contraria juſtorum, eáque longè feliciſſima eſt, quam ſperat S. Propheta cum Juſtis ſibi obventuram, *cum acceperit me.* v. 16. vel ex mortali hac vita evocaverit. Quæ reſpectu Davidis poſt mortem Chriſti, & deſcenſum ad inferos, è limbo liberati, & ad Paradiſum educti redemptio proprii nominis eſt: reſpectu aliorum verò præſervatio eſt, & multò nobilior redemptio dici poteſt, per Chriſti ejusdem merita, & gratiam nihilominus.

Ex his concluſionem paræneticam ad Juſtos infert, neque immodicè timendam eſſe divitum potentiam, ſi fortè eâ premantur. Neq; felicitate eorum, exemplóq; à tramite juſtitiæ cœpto debere moveri, neq; verborum blanditiis credere, recapitulatis argumentis fundamentalibus à morte eorum, pœníſq; poſt eam, & repetito affectu commiſerationis. v. 12.

Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, qui juſtum pauperem, vel deſpicit, vel affligit, ut per formidinem potentiæ humanæ Omnipotentiam Divinam offendas. *Et cum multiplicata fuerit gloria ejus.* v. 17. neque te conditionis tuæ pœniteat, quam cum juſtitia, & pietate ſectaris, ſi inſuper quantumvis iniquus ſit, augeatur honoribus, filiis, clientibus, amicis amplificetur, ut omni gloriâ floreat in ſua in juſtitia. Cauſam ſubdit ante expoſitam, quia his inanibus bonorum ſimulacris planè omnibus mox in morte ſpoliabitur, & nudus, atque egens detru-

detur ad inferos. v. 18. *Quoniam cum interierit, non ſumet omnia* (id eſt, nihil eorum ſecum auferet, Phraſi hebræa) neque deſcendet cum eo gloria ejus, quam in pompa, famulorum, propinquorum, clientum, liberorum, cæteráq; gloriâ, dignitate, & potentiâ oſtentabat, quæ ſummum ad ſepulchrum, nequaqum autem ad inferos deſcendentem comitabuntur.

Quia anima ejus in vita benedicetur. Seu habet hîc ſuum Cœlum in hoc mundo, & terra dum vivit, benedicente eum Deo his temporalibus fortè propter moralia quædam opera non mala, vel laudantibus eum etiam per adulationem hominibus ejusdem farinæ inſipientibus, eíq; applaudentibus ex vano timore potentiæ, vel adulationis ſtudio, reſpectúq; mundano, ac inani. Nam benedicitur à ſtultis (ait Hieron.) propter potentiam, ſed victûs affluentia, & potûs, proferunt non de benè vivente, ſed de benè paſcente ſententiam. Hinc *confitebitur tibi cum benefeceris ei.* v. 19. Ejusmodi enim ſuis ſtudiis faventes; operáq; dilaudantes, vel approbantes ſicut viciſſim laudat, &, ut dicitur, mulus mulos ſcabit, ita tecum aget, ſi eum blanditiis, & obſequiis delinieris, aut partibus ejus acceſſeris, vel aſſentando, vel genialiter cum eo vivendo. Legitur enim ab aliis ex Hebræo, *cum benefeceris*, tibi acclamabit ſcil. tunc tibi viciſſim, euge, benè, beatè, adhortando te ad eandem intemperantiam, luxuriam, ſimiliaque vitia, quaſi per hæc benefacias tibi ſerviendo, voluptatibus, ac genio indulgendo.

Verùm quia tam malè tum ſibi, tum cæteris conſuluit dives ſtultus *introibit usque in progenies* (vel mores) *patrum ſuorum, & usque in æternum non videbit lumen.* Aggregabitur eosdem ad majores ſuos, quorum ſtultitiam, injuſtitiam, & luxuriam in vita imitatus fuit, (dives enim aut injuſtus eſt, aut injuſti hæres, aut utrumque) & in perpetuis miſerorum tenebris unà cum ipſis æternum excruciabitur, ut quos ſecutus, vel comitatus fuit in flagitiis, comitetur etiam, & ſequatur in ſuppliciis.

Et usque in æternum non videbit lumen, neque lumen rectæ rationis, practicè juxta illud agendo; neque *lumen vitæ* ad illam revertendo; neque *lumen ſapientiæ* hujus, verè illa cognoſcendo, & juxta cognita vivendo; neque *lumen juſtitiæ*, à quo erraſſe in vita ſe fatentur. Sap. 5. *Ergò erravimus à via veritatis, & lumen juſtitiæ non luxit*

 nobis,

nobis, quia neque videbit lumen gratiæ reſipiſcendo, & ideò neq; *lumen gloriæ,* cœleſti beatitudine fruendo, ſed *projicietur in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & ſtridor dentium.* O ergò miſerum ſtatum, luctuosámq; conditionem hominis ejusmodi, qui *homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt* illis imitatione in vita, & poſt vitam conditionis multò deterioris. Ut ſup. v. 12.

Cuius Affectus etiam hic repetendus.

ORATIO.

Infunde mentibus noſtris ſapientiæ tuæ lumen, clementiſſime DEUS, *ut rerum fluxarum, mundanarúmq; cupiditatum, vanitate cognita, & contempta, non timeamus in die malâ, comparati jumentis inſipientibus, & ſimiles illis facti, ſed de manu inferi liberati dominemur cum Juſtis in matutino felicis æternitatis in ſæcula ſæculorum. Amen.*

IN PSALMUM XLIX.

Deus Deorum Dominus locutus eſt, &c.

MEDITATIO LII.

De duplici Chriſti adventu: altero in carne, altero in judicio.

Argumentum Pſalmi.

Adventuri Chriſti ſolennitate deſcriptâ, ſive ad prædicandum, ſive ad judicandum, quid utroque in adventu propoſiturus ſit mundo, exponit. Et in illo quidem rituum antiquorum, ceremoniarúmque Moſaicarum abolitionem, ſub introductâ excellentiori Deum colendi ratione. In iſto autem, quibus de rebus rationem reddituri ſimus. Ille figura hujus ſenſu litterali, hic verò præfiguratus ſpirituali, & allegorico ſenſu decantari videtur ab Aſaph Principe, nobiliq; muſico;

ſico; cui inſcribitur (Pſalmus Aſaph) & ex nomine (quod congregans ſonat) congregandi à Chriſto utroq; in adventu mundi myſterium indicat.

Punctum I.

CONſidera utriusq; adventus, ſeu congregandi in eo à Chriſto mundi variam ſolennitatem, & majeſtatem.

Et Prima ſumitur à perſona advenientis, qui dicitur *Deus Deorum Dominus.* Et ex Hebr. ut S. Hieron. legit: *Fortis Deus Dominus.* Etſi enim Meſſiæ, Judicíſq; univerſalis adventuri multa ſunt nomina, quorum non minimam partem recenſet Iſaias c. 9. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Ex iis tamen duo memorantur hîc tantùm, quæ cætera ferè in ſe complectuntur. *Deus* ſcil. cùm addito *Deorum Dominus, & fortis.* Dicitur autem, unigenitus Dei Filius, unius cum Patre, & Spiritu S. naturæ, & Deitatis, ideoq; unicus Deus cum illis, *Dominus Deorum*, qui veri Dii non ſunt, ſed vel inanes, ut Dii gentium, qui Dæmonia dicuntur. Pſ. 95. vel abuſivè, & analogicè ob ſimilitudinem aliquam naturæ ſpiritualis; ſicut mentes illas cœleſtes ab omni concretione materiæ ſegregatas, quas græco vocabulo Angelos vocamus, S. Dionyſius Deos appellat; vel adoptione gratiæ, quæ naturæ divinæ quædam eſt participatio. Cujusmodi ſunt Sancti omnes in Dei gratia conſtituti; vel ſimilitudine quâdam, ut Principes, & Judices terræ. Sed hi omnes uni vero Deo Chriſto ſubjecti ſunt, ut idcircò benè Deorum Dominus vocetur, & in primo adventû quidem, in quo per adoptionis gratiam hominibus *dedit poteſtatem filios Dei fieri.* Johan. 1. Regnum Dæmoniorum, qui ſunt Dii gentium, diſſipavit, & per Crucem devicit poteſtates tenebrarum, & ſpolia eorum diripuit, animas ſcil. PP. è limbo eripiendo, ideoq; *fortis Deus Dominus* rectè vocatur. In ſecundo autem Judicum, Regúmq; terræ ſupremus Judex, ſedebit terribilis, & fortis; qui Luciferum, & aſſeclas ejus, ſive Dæmones, ſive perverſos homines condemnatos verbo uno: *diſcedite maledicti*, in flammas inferni deturbabit. Hic ergò *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram,* alii legunt, *loquetur, & vocabit.* Sed Prophetis ſolenne eſt, præterita pro futuris eloquî, certitudine quâdam Propheticâ, & infallibili. Etſi dici etiam non incongruè poteſt, hoc loquendi modo, uti Scriptores

res ſacros ſolere, cum declarare volunt magnitudinem rerum divinarum ad captandam attentionem, uti Pſ. ſuperiori.

Quibus Secunda & Tertia ſolennitas declaratur; Nimirum magna illa comitia, & convocatio mundi, vel orbis totius conventus.

In quibus Tertiò propoſitionem faciet, & eloquetur Deus ipſe. Nam ante primum adventum locutus quidem ſæpe Deus fuit Orbi, ſed per alios, ut obſervavit Apoſt. ad Hebr. 1. *Multifariam, multíſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis* (adventus hujus) *locutus eſt nobis in filio. Cœpit enim JESUS facere, & docere, loquens de Regno Dei.* Actor. 1. *Et prædicans in Synagogis,* &c.

Nec minus in ſecundo adventu comitia univerſalia mundi totius habebuntur, quibus Chriſtus Dei Filius præſidebit Judex vivorum, & mortuorum; & decretoriam ſententiam divino ore ſuo ipſe proferet. Matth. 24. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli, cum virtute multa, & majeſtate; & mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis Cælorum usq; ad terminos eorum.*

Et ne ſolos electos, quorum fit mentio congregandos quis putet, addit c. 25. *Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſuâ, &c. congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis, & ſtatuet oves quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris.* Et Joel. 3. *In diebus illis congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum illis ibi. &c.*

Diſceptationem porrò illam per ſeipſum, non per Cancellarium ſubſtitutum faciet de operibus miſericordiæ: *Eſurivi enim, & dediſtis, vel non dediſtis mihi manducare,* &c. Sicut & ſententiam ultimam ore ſuo proferet: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Et: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.* Ex quibus non difficulter de eodem adventu ſecundo exponi poteſt. v. 2.

A Solis ortu, verſus quam plagam Chriſtus in Cœlum aſcenderat. Ut Pſ. 67. perhibetur: *Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cœlum, Cœli ad orientem* rediturum eſſe ad judicium, ut verum ſit illud Actor. 1. *Hic JESUS, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum.* Igitur *à Solis ortu* ſicut fulgur appari-

parituruin *uſque ad occaſum.* Nam, ut citatus Evangeliſta Matt. c. 24. prædicit: *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret uſque in occidentem, ita erit adventus filii hominis.* Unde etiam ex *Sion*, vel cœleſti, vel terreſtri ſcil. illo monte Hieroſolymis adjacente, inter quem, montémq; Oliveti, vallis Joſaphat Judicii extremi locus interjacet, *ſpecies decoris ejus*, & majeſtatis deſcriptæ procedet. *

Quæ primo adventui, prædicationis Chriſti non minus quadrant; hæc enim à Judæa, & Hieroſolyma in omnes alias Orbis plagas, & gentes derivata eſt, velut ipſe Chriſtus Luc. ult. teſtatur: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari, &c. incipientibus ab Hieroſolyma.* Et Iſaias prædixit c. 2. *De Sion exibit lex* (Evangelica) *& verbum Domini de Jeruſalem*, quæ eſt illa *ſpecies decoris ejus*, ſeu ſpecioſiſſimus decor, & venuſtiſſimæ pulchritudinis perfectio, *lex gratiæ*, inquam, quæ propter abſolutam perfectionem ſuam, & venuſtiſſima eſt, & audientes eam, credentésq; fideles renovat, & per juſtificantem gratiam venuſtiſſimos reddit. Perfecti decoris inſuper, tum propter tot ſigna, & miracula pro illa, & per illam patrata, tum propter tam ſublimia, quæ continet myſteria, redemptionis humanæ, SS. Trinitatis; efficaciſſima ſacramenta innumeráq; alia: Quibus Quarta adventus utriusq; circumſtantia, & ſolennitas deſcribitur. Sequitur

Quinta. v. 3. *Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit.* Non erit adventus ejus occultus, ſed manifeſtus: non tacitus cum diſſimulatione, ſed ſonorus, & vocalis, cum ſermone prædicationis, & reprehenſionis, quod utroq; de adventu verum eſt. In Primo enim, etſi humilis, & manſuetus Deus noſter Chrſtus per Incarnationem, nativitatémq; advenerit in hunc mundum, inclaruit tamen, manifeſtatúsq; eſt magno cum ſplendore, partim accinentibus è Cœlo *gloriam Deo, pacémque hominibus* in natali nocte Angelis, & paſtoribus læta Salvatoris mundi nati nuncia Evangelizantibus, partim novâ Stellâ in Oriente Magis apparente: partim Simeone, & Anna in templo palàm Meſſiæ adventum deprædicantibus, partim S. Præcurſore Johanne Baptiſtâ intento digito *Agnum* illum divinum demonſtrante, *qui tollit peccata mundi.* Joh. 1. Partim Deo Patre è Cœlis illum promulgante ad Jordanem, & Thaboræum montem: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* Luc. 3. & Matth. 3. & 12. Partim propriâ prædicatione in Synagogis, & compitis; in templo, & foro; in ædibus

bus publicis, & privatis; in campis, & montibus; in ſolitudine, & Civitatibus; terrâ, marique, ex Petri naviculâ, atq; hæc magno prodigiorum cum ſplendore, patratorúmq; omnis generis miraculorum palàm omnibus, & in luce celeberrimarum urbium, populique frequentiſſimi ſpectantis, cum claritate. Nec ſanè diſſimulavit, aut ſiluit, quæ ad perfectionem, doctrinámque Evangelicam, vel redarguendos peccatorum mores, vitámq; deſperatam, præſertim Phariſæorum, opportuno tempore dicenda erant, ſed inſtruxit, monuit, docuit, correxit omnia cum libertate, manſuetudine, modeſtiâ: ubi, quando, & quos oportebat: loquebatúrque in his omnibus, *quaſi poteſtatem habens.* Marc. 1.

De Secundo autem adventu, quàm manifeſtus ille futurus ſit, & ſonorus, nil attinet commemorare. *Erunt* enim ante illum, teſte Luc. 21. *ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum; areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam & virtutes Cælorum movebuntur. Apparebit ſignum filii hominis*, crux, inquam, ſalutifera magno cum ſplendore, *& mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magnâ.* Matth. 24. Quin ipſe Judex diſceptabit cum judicandis, & ſententiam eloquetur finalem, ut ſupra declaratum eſt.

Sequitur *Solennitas* Sexta, *ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida.* v. 4. Hæc de adventu Chriſti ad prædicandum ſenſu ſpirituali accipienda ſunt, de igne ſcil. & luce cœleſti Evangelicæ legis à Chriſto prædicatæ. De qua Iſa. c. 60. *Surge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Qui eſt ignis, & lumen illud, de quo cecinit in cantico ſuo Simeon: *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Luc. 2. Et Zacharias in ſuo: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

Et quia ignis non ſolùm vim illuminativam habet, ſed combuſtivam, & punitivam etiam, additur, *& in circuitu ejus tempeſtas valida;* quâ rebelles, & oculos huic lumini occludentes concutiet. Quæ evenerunt

nerunt certè incredulis Judæis, ad quos aſſumpto corpore humano, cùm Deus adveniſſet, & ex Sion ſplendidiſſimam Divinitatis ſuæ lucem ad illuſtrandos cœcos mortalium animos emiſiſſet. *Lux* illa quidem *in tenebris* optatiſſima *illuxit; ſed tenebræ eam non comprehenderunt.* Joh. 1. Unde ignis divinæ vindictæ in eos exarſit, & validæ inſtar tempeſtatis perfidos concuſſit, & exuſſit per Romanam gentem, & per univerſum orbem, turbinis inſtar tempeſtuoſi disjecit, & diſturbavit.

Multò verò faciliori ſenſu hæc accipiuntur in ſecundo adventu de conflagratione mundi, de qua S. Petrus Epiſt. 2. c. 3. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua Cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, exurentur.* Et poſt pauca: *Properantes in adventum diei Domini, per quem Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent,* de qua conflagratione S. Auguſt. l. 20. de Civit. c. 78. & Scholaſt. in 4. ſent. diſt. 47. *Ignis* itaq; *in contemptu ejus*, ſeu ante ipſum, ut Græcus habet, qui omnia vorabit, & conſumet, *& in circuitu ejus*, ſcil. ignis *tempeſtas valida* erit, ſive ignis in modum tempeſtatis, ſeu turbinis vehementis ante ipſum deſæviet, ut audientur (magis quàm Exod. 19.) tonitrua, & fragores; evibrentur fulmina, eáq; conquaſſatio elementorum omnium concitetur, quâ ipſi etiam cardines orbis diſſolvantur.

Septima ſolennitas ex advocando Cœlo univerſo, terráq; ad hunc adventum deſumitur. v. 5. *Advocabit Cœlum de ſurſum, & terram diſcernere populum ſuum.* Cœli, terræq; omnes incolas congregabit, ut ſeparet ſibi acceptabilem populum, diſcernendo ex iis electos à reprobis, utriusq; enim adventus hic finis eſt, ut diſcernantur unum in populum Dei, ſive Eccleſiæ militantis, ſive triumphantis electi, ad quem actum mundus uterq; advocatur cœleſtis, atq; terreſtris.

Et primum Chriſti adventum celebraſſe præſentiâ, & obſequiis ſuis Cœli indigetes Angelos omnes, teſtatur Apoſt. ad Heb. 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei, omnes* omninò. Quod in lætiſſima Chriſti natali die, quando æthera dulciſſimis concentibus repleverunt, *gloriam in excelſis Deo, & in terris pacem hominibus bonæ voluntatis* acclamantes. Luc. 1. præſtitiſſe Cœli incolas ad theatrum paupertatis, & humilitatis Incarnati Verbi convocatos credibile eſt. Terreſtris verò mundi indigetes, non

uno, ſed diverſis temporibus tum à Chriſto ipſo, tum ab Apoſtolis, eorúmque Succeſſoribus, velut ad magnum convivium nuptiale (quâ ſub parabola Judæis à Chriſto proponitur. Matth. 22.) invitatos, & advocatos eſſe, Evangelia ſacra perhibent, mandante præſertim Chriſto Marc. 16. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ:* & exequentibus id Apoſtolis, ut ibidem traditur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Quæ de ſecundo adventu multò ſunt manifeſtiora iiſdem ex ſacris Evangeliis, ut Matt. 25. *Cum venerit filius hominis in majeſtate ſuâ, & omnes Angeli ejus cum eo.* Advocati ergò aderunt omnes Angeli, *& Cælum omne de ſurſum,* aderunt etiam homines omninò omnes, qui ab initio mundi usq; ad finem terram incoluerunt, adeoq; tota terra. Ex iis enim ſecernentur electi, vel populus Dei per judicium, & ſententiam Chriſti Judicis, & ſeparationem Angelorum, ut dicitur Matth. 13. *In conſummatione ſæculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio Juſtorum,* quod eſt *diſcernere populum ſuum.*

Sequitur octava ſolennitas v. 6. *Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinant teſtimonium ejus ſuper ſacrificia.* Quorum quoad primum adventum hic ſenſus eſt: Cogite (vox Dei eſt) mihi cultores meos (ſic enim primam perſonam pro tertia reddit hebræa lectio) mihi pro illi; (meos pro ejus) qui ſacrificia, & ritus juxta pactum cum populo Iſraëlitico initum, quod Teſtamentum uſitato modo loquendi in ſcripturis vocatur, hactenus ritè obſervarunt, & modo ordinato religioſè diſpoſuerunt; congregate, inquam, illos, ut intelligant veniſſe jam tempus, quo non amplius vitulos, & hircos; oves, & boves; ſed hoſtias multò ſanctiores, easq; viventes mihi immolari, méq; religione novâ multò perfectiori, ſanctioríq; coli volo in lege novâ gratiæ, de quâ propoſitione in puncto 2. latiùs.

Senſus verò quoad ſecundum adventum clarior hic eſt: *Congregate illi & mihi,* O Angeli, Cœlum, & Terra, Sanctos ejus & meos, ſic ut redhibeat Cœlum animas, Terra reſtituat corpora, Angeli noviſſimâ tubâ excitatos à morte in Vallem Joſaphat ex omni orbis plagâ congregent, illos inquam Sanctos, qui pactum cum Deo veræ religionis pepigerunt, ut ipſi ſint illi in populum, & ille ſit ipſis in Deum, quod eſt pactum, ſeu teſtamentum ſuper ſacrificia, ſeu ſuper cultu divino,

qui

qui præcipuè in ſacrificiis conſiſtit. Qui etiam loquendi modus 1. Mach. 1. exponitur: *Diſponamus teſtamentum cum gentibus*, eique favet lectio hebræa: *Qui feriunt pactum ejus ſuper ſacrificio*. Ita enim fœdera icebant antiqui præmiſſo ſacrificio, & hoſtiis mactatis.

Cur autem Sanctos potiſſimùm congregari jubet, vel peculiarem illum populum, quem ſibi Deus per ſacramenta, & ſacrificia ſanctificavit? quia nempe tametſi omnes homines ad judicium vocandi ſint ad fideles tamen peculiari ratione judicium pertinet, qui vel per circumciſionem olim, vel nunc per baptiſmum Deo conſecrabantur, ſingulari fœdere inito. *Qui enim non credunt*. Joh. 3. *jam judicati ſunt*. Et idcircò Matth. 24. dicitur: *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & congregabunt electos ejus*. Et c. 25. apud eundem ſoli fideles judicandi inducuntur, atq; non de fide, ſed de operibus tantùm examinandi. v. 7.

Hujus verò ſolennitatis, vel cauſa finalis, vel effectus affertur: *& annuntiabunt Cœli juſtitiam ejus, quoniam Deus Judex eſt*. Nam ad manifeſtandam orbi univerſo juſtitiam, & infinitam Dei perfectionem, ac ſanctitatem Cœlis teſtibus (per quos tum Angeli, tum Sancti intelliguntur) utroq; in adventu circumſtantiæ, & ſolennitates expoſitæ ſapientiſſimè adhibentur, quam Dei gloriam deprædicarunt in Verbi Incarnati adventu, & nativitate cœleſtes Evangeliſtæ Angeli, & Apoſtoli, Prædicatoréſq; Apoſtolici, qui tanquam *Cœli enarrarunt gloriam Dei*. Pſ. 18. ex myſterio hoc magno refulgentem; quod admirabile Juſtitiæ, & Miſericordiæ, Judiciorúmq; divinorum ſacramentum eſt, ut illud appellat Apoſtolus 1. Tim. 3. *Magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, manifeſtatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt in gloria*.

In ſecundo autem adventu eadem Juſtitia Dei non minus manifeſtabitur, Cœlo, terráq; atteſtante, & Angelis, hominibúsq; Dei judicia obſtupeſcentibus. Cum enim permittente Deo Juſti ab impiis opprimantur in hoc mundo, & hi præ illis omni felicitate floreant, ejus cauſa, quæ nunc latet, tunc apparebit, & detectis arcanis Dei judiciis, Judicis ſententiæ, ſapientiæ, & juſtitiæ Cœli applaudent; & orbis uni-

verſus, eas approbando, & deprædicando exclamabit cum David Pſal. 118. *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum*, cognoſcentes, & ſecum reputantes: *Quoniam Deus Judex eſt*, cujus ſapientia, & juſtitia infinita eſt, ut in eum nec deceptio, vel ignorantia, nec reſpectus, vel injuſtitia cadere poſſit.

Affectus timoris ex S. Aug. med. c. 4.

„ DEUS Deorum Domine, præſtabilis ſuper malitia; novi, quia „ manifeſtus venies; novi, quia non ſemper ſilebis, cum in con-„ ſpectu tuo ignis exardeſcet, & in circuitu tuo tempeſtas valida ingrue-„ rit, cum advocaveris Cœlum de ſurſum, & terram diſcernere popu-„ lum tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes „ iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt univerſa ſcele-„ ra mea, non ſolùm actuum, ſed etiam cogitationum, ſimúlq; locu-„ tionum. Tot judicibus inops adſtabo, quot me præceſſerunt in ope-„ re bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè „ vivendi exemplar; tot convincar teſtibus, quot me monuerunt pro-„ ficuis ſermonibus, ſéq; imitandos juſtis dederunt actionibus Domine „ mi, non ſuppetit, quod dicam, non occurrit, quid reſpondeam niſi: „ Domine miſerere.

Punctum II.

COnſidera propoſitionem Dei in adventu primo, ſeu Judicio cum populo Judaico, cujus antiquos ritus, ſacrificia, legémque Moſaicam abrogatum venit, novámq; legem Gratiæ Evangelicam, & cultum Dei ſanctiorem introducturus. Sic ergò populum ſuum alloquitur Deus. v. 8. *Audi populus meus, & loquar: Iſraël, & teſtificabor tibi, Deus tuus ego ſum*, quæ amantiſſima attentionis poſtulatio eſt, tum ab auditorum perſona, qui ſunt populus Dei Iſraël, ſingulari, multóq; ex titulò Deo obſtrictus. *Audi populus meus Iſraël.* Tum à loquentis. *Deus tuus ego ſum*: Deus, inquam, qui omnia tibi profutura & novit, & conferre poteſt: Deus tuus, qui te amat, & vult docere, quæ proſunt. Tum à modo, quem rei gravitas exigit, *loquar, & teſtificabor, palàm* proferam non ſine teſtibus adhibitis; me ipſo, & veritate meâ præſertim, quid à te exigam impoſterum. Summa porrò propoſitio-

nis,

nis, ſeu quæ Deus exigit, duo complectitur: alterum, quod externa munera, ut ſunt ſacrificia, non amplius petat. Alterum, quodècontra internum cultum, per fidem, ſpem, charitatem, obedientiam, &c. tanquam veram religionem, cultum, & laudem Dei ſibi depoſcat. Prima pars ſeqq. vv. 6. exponitur.

Non in ſacrificiis tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. v. 9. Non, inquit, de neglectu ſacrificiorum reprehendam te; ſatis enim perſpecta mihi eſt holocauſtorum, oblationúmq; cæterarum à te factarum frequentia, ſed nolim in his deinceps te cultum meum, pietatémq; tuam conſtituere.

Ego enim *non accipiam de domibus tuis vitulos; neq; de gregibus tuis hircos.* v. 10. ad inſtauranda ſcil. mihi ſacrificia. Præter rationem primam, quæ eſt nota Deo eorum frequentia ex v. 9. Subdit ſecundam, quod ipſe univerſalis rerum Dominus ſit.

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus, & boves. Sive feræ ſylveſtres, ſive greges domeſtici animantium cicuratarum.

Cognovi omnia volatilia Cæli, ſeu genus omne altilium, *& pulchritudo agri*, vel univerſitas agri, ut legit S. Hieron. *mecum eſt.* v. 11. quicquid in agris, hortis, & paſcuis pulchrum eſt, totum id me penes velut herum eſt.

Si eſuriero, non dicam tibi, quæ tertia ratio eſt, quod nec cibo, nec re aliâ Deus indigeat, ut eam petere à nobis neceſſe habeat ob cauſam ante dictam. *Meus enim eſt orbis terræ, & plenitudo ejus.* v. 13. ſeu res, quibus plenus eſt.

Et, *nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo.* v. 14. quaſi verò non Spiritus ego ſim, qui nec cibo, nec potu opus habet, ut corporeæ animantes. Repudiatis ergò primâ hâc parte ſacrificiis legis antiquæ, in ſequentibus ritum ſacrificandi novum, & Chriſtianæ religioni, legíque Evangelicæ proprium tradit. Qui eſt

Primò *Deum laudare.* Idq; ex vera ejus cognitione, & amore; per hoc enim diſtinguitur ſacrificium laudis, à laude Dei ſimplici, quæ tantùm labiis fieri poteſt. Juxta illud Matth. 15. ex Iſa. 29. *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me: cor autem eorum longè eſt à me.*

Hoc ergò ſacrificium laudis, quod in ara cordis, per lumen fidei, ignemq; charitatis immolatur, exigit v. 16.

Immola Deo ſacrificium laudis, ut infinitam ejus Bonitatem, Sapientiam, Potentiam, cæteráque divina attributa in omnibus rebus agnoſcas, & deprædices, ei ſemper gratias agas, in adverſis etiam caſibus, ad ejus gloriam, quicquid cogitas, loquaris, agis, ſineerè dirigas. Hoc ſacrificium illud laudis eſt Chriſtiano dignum, quod Apoſt. Heb. c. 13. præcipit, ut *per Chriſtum offerant hoſtiam laudis ſemper Deo.*

Secundò. *Redde Altiſſimo vota tua*, quibus vel in baptiſmo te obſtrinxiſti, renuntiando Diabolo, & omnibus pompis ejus: vel in profeſſione Chriſtiani nominis, quod geris; vel religionis particularis, quam ingreſſus es; vel exequendo pia deſideria, & propoſita, quæ Spiritus S. inſtinctu concepiſti, vel mandatis Dei obſequendo, per *obedientiam, quæ melior dicitur, quàm victima.* 1. Reg. 15. vel exercendo opera Pietatis, Religionis, Miſericordiæ, Charitatis, Juſtitiæ, reliquáſque virtutes Chriſtianas, quas S. Petrus in Epiſtola ſua 1. cap. 2. Chriſtianis præſcribit: *Offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.* Etenim, ut ad Heb. 15. addit Apoſt. *talibus hoſtiis promeretur Deus*, quas pluribus percenſet in ſeqq.

Tertiò. *Et invoca me in die tribulationis eruam te, & honorificabis me.* Non ſolùm in proſperis laudis hoſtias, & gratiarum actionis immola, ſed etiam in adverſis: tali tempore ad me recurre, me invoca ſolum, non ad Idola, vel Creaturas, aliáque illicita confugiendo. Sic enim ubi me præſentem, & propitium expertus fueris, gratias mihi agens celebrabis me inter homines: Atque hæc Novi Teſtamenti, legiſque Evangelicæ ſacrificia, hi ritus, & ceremoniæ ſunt, internæ, & ſpirituales, quibus deinceps coli volo, infinitis partibus præſtantiores illis externis legis antiquæ, quæ impoſterum abolita cupio.

Affectus petitionis, & propoſiti.

Ex S. Aug. ex parte.

„ C*Um jam venerit, quod perfectum eſt*, Lex, inquam, Evangelica
„ gratiæ, meritò evacuatur, quod ex parte, & imperfectum eſt,
„ Lex vetus Moſaica, ut non obvelatâ cum Judæis, ſed revelatâ facie

cum

„ cum cultoribus Chriſtianis videamus myſteria ſalutis noſtræ. Aperi „ mihi ergò oſtium luminis tui, ut ingrediar, & videam, & cognoſcam „ non in victimis, & ſacrificiis animalium; ſed in hoſtia vivente, tibiq; „ placente, rationaliq; holocauſto cordis contriti, & humiliati, te a- „ mantis, & tibi ſervire ex totâ voluntate cupientis, te delectari. Into- „ na Domine deſuper voce grandi, & forti in interiorem aurem cor- „ dis mei, & doce me, & laudabo te; quia ſacrificium laudis honori- „ ficabit te; reddam tibi vota mea, & invocabo te in die tribulatio- „ nis; ut eruas me, & ego glorificem te, quia tibi ſoli debetur o- „ mnis honor, & gloria, Salvator, & Deus noſter, in ſæcula ſempi- „ terna.

Punctum III.

COnſidera propoſitionem Chriſti Judicis in Adventu ſecundo, vel Judicio extremo peccatoribus, qui quidem crediderunt legi Evangelicæ, ſed ſecundum illam non vixerunt faciendam. v. 14. *Peccatori autem dixit DEUS, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtimonium meum per os tuum?* quaſi dicat? Quâ fronte legem meam Evangelicam, quæ juſtitiam omnem tradit, ſanctificátque cultores ſuos, magnificis ſermonibus crepas, & te glorioſè jactas de nomine, & profeſſione Chriſtiani, cum opere, & factis diſſentias? Et ſic pactum quod cum cultoribus meis inii, ad quod pertinere te profiteris, profanas, & peſſundas? gravis, & formidabilis omni Chriſtiano aliter credenti, vel docenti, aliter agenti, & qui (ut Apoſtolus loquitur) *verbis confitetur, ſe noſſe Deum, factis autem negant*, ad Tim. 1. Dei caſtigatio! quam Origenes expendens, cum hunc Pſalmum explicandum ſumpſiſſet, teſte Epiphan. apud Heſſer. & ad hunc verſum perveniſſet, complicato libro è concione receſſit, miſeréq; ejulare cœpit; recordatus ſe Alexandriæ vi perſecutionis adactum ad grana thuris offerenda Diis gentium; adeò ut auditores omnes commiſeratione tacti cum eo lacrymarentur. Ita cit. Auctor.

Tu verò odiſti diſciplinam, (juxta D. Chryſ. legis doctrinam, quæ vitium expellit, virtutem inſerit; atq; ita animum rectè componit: Vel omnem inſtructionem, admonitionem, inſtigationem, ſive à lege Chriſtianâ, ſive ab hominibus, ſive à conſcientia, & inſpiratione divinâ ſugge-

ſuggeſtam) & *projeciſti ſermones meos retrorſum*, ſeu poſt tergum abjeciſti, & oblivioni dediſti, ut curæ tibi nullius quaſi ſint. Quibus non ſolùm peccata interna animi indicantur, ſed radix etiam, & cauſa, ex quibus alia externa pullulant, neglectus ſcil. & contemptus rerum divinarum. Inde enim proficiſcuntur peccata operum, furta, adulteria, quæ duo velut frequentiora ponit. v. 19.

Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Non ſolùm clam per occultas injuſtitiæ artes, ſed palàm ſocietate cum furibus contracta, cum illis currebas, & publicis in viis furabaris, atq; homines deſpoliabas; Nec in ſecretis tantùm tenebris ſtimulanti cupidini indulgebas, ſed omni pudore depoſito, magnâ cum perverſitate, animiq; deſtinatione, cum adulteris commercium habebas, ita ut non tantùm non puderet, imò puderet potiùs non eſſe impudentem; quibus multum vitiorum illorum inveterata gravitas, ac fœditas exaggeratur.

Poſt operum flagitia ſubjungit etiam oris, & verborum. *Os tuum abundavit malitia*, (malitia pro maledicentia ponitur) quæ velut ex emanante ubertim ſcaturigine, aut inundante fluvio, ex ore tuo abundantiſſimè continuòq; profluxit. In Hebr. legitur: *Os tuum laxabas ad malum*, quæ alia metaphora eſt, quaſi dicat laxatis, vel ruptis potiùs habenis os tuum in omnem maledicentiam indomito curſu per apertam injuriam ferebatur. *Et lingua tua concinnabat dolos.* v. 20. inſuper mendaciis, & dolis occultis, & perartificioſè ſtructis, fraudem ex fraude nectebas.

Subdit v. 21. *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*, vel *fabricabaris opprobrium*, ut alia habet, q. d. hæc peccata oris tui infrænati, non ex ſubita commotione, vel paſſione iræ profecta ſunt, ſed ea tecum ſedens, & deliberans meditatus ante diu fuiſti, & ſtudioſè longo tempore, & exquiſitâ operâ commiſiſti, nec ſolùm erga externos, ſed tibi etiam amore conjunctiſſimos. v. g. erga fratrem tuum uterinum, vel matris ejusdem filium, Chriſtianum quemcunq; Eccleſiæ matris, & Patris Chriſti filium. Atq; eâ inſuper intentione, ut cum damno ejus ingens offendiculum ei poneres, vel ſermone pravæ doctrinæ, vel exemplo improbæ converſationis, ad quod impingens fœdo caſu collaberetur. Tanta nimirum tua iniquitas, & maledicendi libido fuit.

Hæc

Hæc *feciſti, & tacui*, & (pro quia) hoc ſenſu: quia tacui, & diſſimulavi, ex longanimitate, ut te converterem: tu verò abuſus meâ iſtâ conniventiâ exaggeraſti delicta, & ex mea patientia tua crevit peccandi licentia. Quæ circumſtantiæ multum augent admiſſa flagitia. Vel, *tacui*, & in hoc judicium peccata reſervavi.

Exiſtimaſti iniquè, quod ero tui ſimilis. Lenitatem meam ſic inſuper interpretatus es, quaſi maleficiis tuis delectarer tui ſimilis. Sed erras profectò.

Nam arguam te (in hoc judicio, & *ſtatuam*, addit Hebr. *te*) *contra faciem tuam.* v. 22. & ponam tibi ob oculos ordine tua ſcelera, ut eorum gravitatem, multitudinem, & abſurditatem clarè intuearis, ſententiamq; meam contra te juſtiſſimè latam eſſe fatearis. Vel ſtatuam contra faciem ſermones meos, quos tu retrorſum poſt tergum peccando projeciſti, vel, ut videas ante oculos, quæ per oblivionem ſepulta retro poſt tergum abjeciſti, nunc verò ut æterni ſupplicii cauſæ ante te ſtatuentur.

Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, qui ita liberè peccatis, ac ſi nullus eſſet Deus, juxta illud Pſ. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, practicè ita agendo, quaſi non eſſet, aut inſpector, aut Judex Deus, aut vindex, aut remunerator actionum tuarum. In hunc enim atheiſmum practicum libido continuata peccandi ſtultos præcipitat peccatores. Tales quicunq; eſtis, *intelligite*, & attentâ conſideratione cum animis veſtris recogitate, *ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Hebr. *ne quando rapiam*, ut exhortatio in perſona Dei facta continuatio ſit ſuperioris ſermonis, & connexio ſequentis. Vel in perſona Davidis, ſi in tertia perſona (ut noſter habet) ponatur, rapiat. Ne peccatis immerſi, & nihil minus de judicio, & vindicta cogitantes ſubitò è vita rapiamini, nec enim eſt, qui ex Dei vindicis manu quenquam poſſit eripere. Deniq; ad verum ſacrificium laudis, quale ſupra deſcriptum eſt, conſiſtere in novâ Chriſtianâ vivendi ratione, juxta legis Evangelicæ ſanctitatem, per internos fidei, ſpei, charitatis, religionisque actus; externáq; miſericordiæ, juſtitiæ, pietatis, aliarúmque virtutum opera, quo unicè honorificetur iterum hortatus: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Illud viam veram eſſe aſſerit, quâ ad conſequendam ſalutem pertingatur, *illic iter* (alii legunt, & qui ordinat viam) quo oſtendam illi ſalutare Dei. Salutem divinam, Hebr. vel alia eorum

Ggg Phraſi,

Phraſi, quâ quicquid ſummum excellentiſſimúmq; eſt, Dei adjuncto nomine exprimitur: maximam, & excellentiſſimam.

Affectus Timoris, & Spei. Ex S. Aug. ſupra cit.

„ HEu me liberator meus, de gentibus iracundis, ſeu concupiſcen-
„ tiis, & vitiis meis, quibuscum vixi à die nativitatis meæ! Hi ſunt
„ magiſtri mei, quibus parui; hi ſunt amici, quibus acquievi; Do-
„ mini, quibus parui. Firmamentum Deus meus, non juſtificabitur
„ in conſpectu tuo omnis vivens. Spes mea non eſt in filiis hominum,
„ qui me eripiant, ſi quando me rapueris, & quem, ſi remotâ pietate ju-
„ dicaveris, juſtum invenies? Et niſi præveneris miſerando impium,
„ non eſt qui glorificet pium. Trahe me ergò gratia tua, quatenus poſt
„ te curram in odorem unguentorum tuorum dulciter, offeram tibi ſa-
„ crificium laudis, quo te hic honorificem, & quo iter illic ad ſalutare
„ tuum certò inveniam.

ORATIO.

DEUS Deorum Domine, qui manifeſtè per Incarnationem tuam in hunc mundum veniſti, ut abrogatis ſacrificiis legis antiquæ, ſecundum legem gratiæ ſacrificium tibi laudis gratiſſimum offeramus, iterúmque in igne exurente, & tempeſtate validâ, ad mundum judicandum venturus es; concede nobis gratiam tuam, quâ expiatis peccatis noſtris in ara cordis contriti, & humiliati ſacrificium tibi laudis igne charitatis ſuccenſum hic ſemper immolemus, per quod iter ingredi ad ſalutare tuum, & pertingere ad æternam beatitudinem mereamur.

IN PSALMUM L.

Miſerere mei Deus ſecundum, &c.

MEDITATIO LIII.

SPECULUM POENITENTIS.

Vel

Actus ſinceræ Pœnitentiæ.

Argumentum Pſalmi.

Patrati adulterii, & parricidii pœnitens David (ut edocet Pſalmi inſcriptio: *Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethſabee.* 2. Reg. 12.) luget miſerum ſtatum ſuum, ſupplexque veniam rogat, & abſolutionem criminis. Statuit, pollicetúrq; pro gratia remiſſionis gratias decantandas, habendáſq; à ſe; interim cor contritum in ſatisfactionem, aliáq; deſideria offert; juxta has tres partes pœnitentiæ, id eſt, Contritionis, Confeſſionis, Satisfactionis, actus ſinceri pœnitentis explicabimus ſequentibus punctis; ſive qui confeſſionem antecunt, ut ſunt actus cognitionis peccati, & contritionis de eo, ſimileſque; ſive qui ipſam confeſſionem comitantur; ſive qui conſequuntur, ut propoſita ſatisfactionis, &c. Ut Speculum Pœnitentiæ proponamus.

Punctum I.

CONſidera actus pœnitentis David, quoad cognitionem ſtatûs ſui.

Primus eſt. Poſtquam Nathan Propheta peraccommodâ ſimilitudine, & cordatâ reprehenſione peccatum Davidi ante oculos ſtatuiſſet, iſq; divinæ gratiæ radio illuſtratus, miſerum ſuum ſtatum, in quo erat, liquidiùs perſpexiſſet, utpote in quo ſe vidit Dei gratia, & favore excidiſſe; ejuſq; hoſtem conſtitutum eſſe, ſpoliatum veſte gratiæ, nudatúmq; virtutibus, ſqualidum, deformem, & abominabilem, quoad animam coram Deo, & Angelis in ſordibus jacere: Dæmoni mancipatum, & ſubjectum, pedibus ſuis conculcari; privatum jure

beatitudinis cœleſtis perpetuæ, & reum factum ſuppliciorum inferni æternorum. Hunc, inquam, miſerrimum ſtatum conſpicatus, meritò lugubri voce exclamat: *Miſerere mei.* Vel ut Hebr. ſignificat, *miſericordiam exhibe*, condona gratioſe, veluti orat miles ab hoſte proſtratus humi, & inermis; aut reus à Judice examinatus, & convictus; (Authore Innocentio, & Ruffino) aut graviſſimè, ac deſperatè ægrotans à medico (teſte S. Greg.) Ita David ſtatu ſuo perſpecto, miſericordiam inconſolabili ejulatu inclamat. *Clarum enim eſt*, inquit S. Greg. *venturæ ſalutis indicium, ſi incipit homo cognoſcere ſeipſum.*

Secundus actus eſt. Quo viſo miſerrimo ſuo ſtatu, à ſe mox oculos reflexit in Deum, ejúsq; miſericordiam; ne fortè propriæ miſeriæ conſiderandæ nimis inhærens, in deſperationem incideret. Quâ praxi D. Bern. alternare nos Chriſti pedes complectendos jubet, alterum juſtitiæ, alterum miſericordiæ, ne aut pedi juſtitiæ continuò affixi, in dejectionem animi, aut pedi miſericordiæ ſemper adhærentes in præſumptionem prolabamur. In Deum ergò oculos conjiciens, *miſerere mei Deus*, inquit.

Quod nomen *Deus* licèt in Hebr. *fortis* ſonet, & numero multitudinis ponatur *fortes*, ad ſignificandas tres Perſonas SS. Trinitatis, quas peccando offenderat; Patris nempe potentiam, regia ſuâ abuſus poteſtate, in Uria occidendo. Filii ſapientiam, fraudes per litteras Uriæ moliendo, & partum ſpurium conando occultare: Spiritus S. Bonitatem, perſiſtendo in crudeli propoſito innocentis Uriæ occidendi, poſt perceptam tantam ejus fidelitatem, & bonitatem; perſeverandoque tanto tempore in ſtatu peccati, ut idcircò meritò illud ſibi proponere, & timere nomen *fortis* potuerit. Exod. 20. *Ego ſum Deus fortis, & Zelotes, vindicans peccata Patrum in filios.*

Attamen ut miſericordem ſuſpexit potiùs, quod naturæ Divinæ id proprium ſit magis, teſte Ambr. quia Divinitatis natura clemens eſt, & pia, magiſq; ad indulgentiam, quàm ad vindictam prona. Hinc orat Eccleſia: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſempèr, & parcere, & quia miſericordia ſuperexaltat judicium.* Jac. 2. tanquam ab inferiori tribunali juſtitiæ, & fortitudinis, ad ſuperius miſericordiæ, & clementiæ velut appellando confugit, ſciens eod. Authore Ambr. (de pœn. diſt. 1. c. quia Divinitatis) *quod ſi quis poſt lapſum peccatorum ad veram pœnitentiam ſe convertit, citò à miſericordia judice veniam impetrabit.*

Miſerere ergò mei Deus, inquit pœnitens, quia nunc eſt tempus miſerendi, & non vindicandi, neque judicandi, ut ore ſuo benedicto Chriſtus Joh. 3. ait: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.*

Tertius actus. Diffidentiæ, & abjectionis propriæ, agnoſcendo ſe undecunq; indignum, nec ullo ex merito veniam, & remiſſionem peccatorum ſperando, ac petendo, ſed ex ſola Dei miſericordia, *ſecundum magnam miſericordiam tuam.* q. d. agnoſco, & profiteor, nihil in meis operibus dignum juſtificationis gratia eſſe, præterita enim bona opera ſi quæ feci in amicitiæ ſtatu, per peccatum mortis peccata fecerunt, præſentia quæ ago hoſtis, & inimici Dei ſunt opera, ideoq; indigna quæ oculo benigno reſpiciantur, mala verò quæ patravi, vindictam potiùs promerentur. Non igitur nunc peto, ut Pſ. 7. *Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam.* Neq; ut Pſ. 118. *Miſerere mei ſecundum judicium diligentium nomen tuum.* Nec manſuetudinem meam aliamve virtutem allego, ut Pſal. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Sed ſolam Dei miſericordiam eámq; magnam: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

Etſi enim in Hebræo vox magna non reperiatur: Lxx. tamen Interpretes, non ſine magna cauſa eam ſuâ in verſione appoſuerunt; quia revera miſericordia illa, quâ inimicum, & hoſtem ſuum, in gratiam, & amicitiam recepit Deus contra omne meritum, imò ſummo cum ipſius demerito, magna prorſus eſt, reſpectu cujus miſericordiæ cæteræ quaſi parvæ videri poſſint. Quam ob cauſam idem Propheta ait Pſalm. 55. *Miſericordia tua magna eſt ſuper me.* Cauſam ſubdit: *Quia eruiſti animam meam ex inferno inferiori*, peccatis ſcil. meis debito. Et cum peccatum miſeria ſit maxima, quæ ab illo hominem juſtificat per primam gratiam (quæ ſub ejus meritum non cadit) miſericordia magna, ac maxima dicenda eſt; utpote in qua Deus magnitudinem, generoſitatem, & potentiam ſuam præcipuè oſtendit. Unde orat Eccleſia: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerendo manifeſtas.* Et D. Thom. 22. q. 30. à 4. & Cajet. benè notant hoc Epithetum *magna* miſericordiæ præ cæteris attributis in ſacris litteris tribui. Etſi enim non minus infinita ſint cætera, ut quæ in Deo, & cum Deo ſint

conjuncta. Nihilominus tamen glorioſo hoc titulo *magna* gaudet præ aliis miſericordia.

Et *magna* eſt quidem miſericordia propter Dei miſerentis perſonam, quám non niſi magna dona decent, ut Rex ille magnus quondam ajebat: *magna* item propter ipſum beneficium remiſſionis per ſe ingens ex natura ſuâ. *Magna* propter modum illud conferendi gratiæ ſcil. & ſupra vota ſæpe, ac ante orationem noſtram. *Magna* propter ingentes fructus, & effectus, qui ſunt reatus culpæ, æternæq; pœnæ abolitio. *Magna* ob finem, qui per illam intenditur, & obtinetur quæ eſt beatitudo æterna. Sed *magna* præſertim propter perſonæ recipientis, quæ eſt peccator, & hoſtis Dei indignitatem. *Commendat autem Deus charitatem ſuam* (rectè ad hunc ſcopum ait Apoſt. Rom. 5.) *in nobis, quia cum inimici eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ob quæ ſic orat Propheta; Scio, Deus, me indignum tuâ miſericordia iſta magna tot titulis, ſed non eſt indignum juxta tuam magnificentiam etiam indigno elargiri illam, *ergo miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

Sunt, qui verba hæc per obſecrationem, vel adjurationem, quæ eſt ſpecies orationis à S. Paulo 1. Timoth. 2. recenſita velint à Davide ad Deum profuſa: q. d. Obſecro, vel obteſtor te miſericordiſſime Deus per miſericordiam tuam, quæ tu ipſe es, ideoque verè magna: vel per Filium tuum (nam illi miſericordia peculiariter tribuitur, ut Patri potentia, & bonitas Spiritui Sancto) qui coæqualis tibi in natura, & eſſentia eſt, & magna eandem ob cauſam, ob quam etiam Deus Pater miſericordiarum juxta quoſdam dicitur ab Apoſtolo 2. Corint. vel (quod idem eſt) per magnum Incarnationis beneficium. Vel per magnum beneficium prædeſtinationis electorum (quos inter David ſe fortè occultâ revelatione eſſe ſciebat) prædeſtinatio enim paſſim meræ miſericordiæ tribuitur in ſcripturis, *non eſt volentis, ſed miſerentis Dei*, unde prædeſtinati vaſa miſericordiæ dicuntur: *ſecundum divitias gloriæ in vaſa miſericordiæ.* Roman. 8. per hæc ergò miſericordias magnas obteſtatus eſt: *miſerere mei Deus*, inquiens, &c. *ſecundum*, vel *per*, vel *propter magnam miſericordiam tuam.* Ex quibus

Tertius actus *pœnitentiæ*, ſeu obteſtatio explicata deduci poteſt.

Verum libet hîc ad majorem ſuavitatem conſiderationis hujus de miſericordia divina, ejúsque magnitudine cum S. Chryſoſtomo ultra inquirere ex pœnitente, & contrito Davide, quàm illa Dei miſericordia ſit magna. Tantum enim magnam generatim dulciter lachrymando implorat, vel deprædicando decantat, vel lachrymando, & cantando ſimul deprædicat, lachrymando præ dolore, cantando præ amore. Quanta autem in ſpecie, & quàm magna ſit, non oſtendit. Dixiſti magnam (inquit Chryſoſtomus) adjicias quantam (reſpondet ille) quanta ſit neſcio. Quod grandis ſit novi. „ Quanta autem non valeo apprehendere, neſcio magnitudinis quantitatem, „ non comprehenditur verbo.

Niſi fortè per veſtigia quædam corporearum rerum aliqua ex parte aſcendere velimus, ad eam agnoſcendam, ex quatuor, inquam, dimenſionibus ſcil. latitudine, longitudine, altitudine, profunditate, quas dimenſiones aliis in Pſalmis exprimit.

Et latitudinem Primò Pſ. 32. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Quia enim omni miſeriâ velut miſeriarum vallis redundat terra, miſericordiâ quoque, quæ omne genus miſeriarum auffert, plena eſt. Quod percurrenti animo omnem ſtatum, tam juſtorum, quàm peccatorum, omnem conditionem divitum, pauperum; ſummorum, infimorum; omnem ſexum, omnem ætatem, omnia regna, & loca. Verbo quidquid hoc orbe comprehenditur clarè patebit.

2. Altitudinem indicat Pſ. 35. *Domine miſericordia tua in Cælo.* Tum erga Angelos, tum erga homines electos, & Beatos. *Imò magnificata eſt uſque ad Cælos.* Alii legunt: *Exaltata eſt ſuper Cælos miſericordia tua,* in Chriſto ſcil. de quo in eod. Pſ. dicitur, *exaltare ſuper Cælos Deus,* ſuper omnes Angelos, & Beatos.

3. Profunditatem colligere licet ex illo Pſ. 138. *Quo ibo à ſpiritu tuo* (qui eſt ſpiritus miſericordiæ velut Dei natura, & anima, ut diximus) *Si aſcendero in Cælum, tu illic es.* (per miſericordiam, ut oſtenſum eſt) *Si deſcendero in infernum, ades.* Per eandem ſcil. miſericordiam, ſive è limbo Patres eripiendo in Reſurrectione Chriſti, ſive in purgatorio animas ibi detentas Angelicis conſolationibus, & revelationibus recreando, pœnas earum mitigando, & abbreviando, debita earum ære ſatisfactionis alienæ remittendo, tandémque liberando, ſive in limbo parvulorum non baptizatorum nullo illos dolore ſenſuum ex-

cruciando; ſive ipſo etiam in theatro juſtitiæ inferno hoſtes [illegible], Dæmones, & damnatos citra condignum caſtigando, & in eſſe naturali conſervando, cum annihilare eos non injuria poſſet.

Eadem profunditas in prædeſtinatione, quæ & miſericordia dicitur, ut ſupra inſinuavi, & ex miſericordia fit à S. Paulo, perpenditur Rom. 9. ex abyſſo judiciorum Dei, qui, *cujus vult, miſeretur.* Unde meritò exclamat: *O altitudo,* &c. Nam eadem eſt altitudo, & profunditas, ſolâ ſitus diverſitate in ſpectando diſtincta. Si enim è loco ſuperiore eadem res ſpectetur, profunditas; ſi contra ex inferiori [illegible] reſpiciatur, altitudo dicitur.

4 Longitudinem miſericordiæ filia Davidis loco patris ſui ſuo in cantico decantat SS. Deiparens Luc. 1. *Et miſericordia ejus à progenie in progenies.* A prima, inquam, progenie ſtatus [illegible], in quo prô! quanta eluxit miſericordia! in progeniem ſtatus naturæ [illegible] in progeniem legis Moſaicæ; & ab hac in ſtatum legis gratiæ, in quo maximè teſte Apoſt. ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei: non ex operibus Juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam,* &c. Ex his dimenſionibus aliquâ ex parte nobis conſiderandæ magnitudinis Miſericordiæ Divinæ præbetur [illegible], quam expendere accuratiùs, & particulariùs licebit, ut dulci cum ſenſu pietatis ingeminare cum Davide poſſimus verſum hunc: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

Sequitur v. 2. *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Qui quidem non diverſum à ſuperiori [illegible], ſed repetitionem potiùs in ſe continet, confidentiæ nimirum in [illegible] Dei miſerationibus, cum diffidentia ſui profundiſſima. Sicut enim ſummo ſe ſcelere obſtringit, qui cum Cain majora peccata ſua [illegible] imaginatur, quàm ut veniam à Deo miſericordiarum [illegible]: ita viciſſim veniâ ſe reddit indignum, qui viribus propriis animi [illegible] ſe eluere poſſe præſumit. Quod utrumq; vitium hoc verſu [illegible] à ſe amolitur pœnitens David, in miſerationibus Dei multitudine [illegible] tis confidens, ac Deum per eas obſecrans.

An verò, & quid interſit inter Miſericordiam Dei magnam, & inter multitudinem miſerationum ejus, quæri poteſt. [illegible], ſunt qui velint, ideoq; hunc verſum meram ſuperioris eſſe repetitionem, vel exaggerationem, incrementúmve quo magna Dei miſeri-

cordia

cordia deſcribitur vel explicatiùs, vel amplificatiùs, ut ſic dicam, ut indicatur affluentia, & teneritudo quædam pietatis Dei paternæ, quam Scriptura explicare ſolet per *viſcera miſericordiæ.* Luc. 1. & Eccleſia perbenè expreſſit, dum orat: *Deus, qui abundantia pietatis, & merita ſupplicum excedis, & vota.* Ut in Patre Filii Prodigi Evangelica parabola præclarè docet. Alii contra miſerationes à miſericordia velut effectus à cauſa diſtinguunt: Hanc inter attributa Dei abſoluta, ei æterna, quæ ab æterno Deo competunt; illas inter reſpectiva, & temporalia, quæ non ſine reſpectu ad creaturas, & cum mutatione earundem (qualis Deo repugnat) in tempore accedunt; ut ſunt eſſe Creatorem, Gubernatorem, Salvatorem, &c. recenſentes. Atq; adeò miſericordiam eſſe velut fontem jugiter in ſe emanantem miſerationes, velut ex eo derivatos in omnem terræ partem hinc inde rivulos, cui conveniat illud Cant. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*, vel; *fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus.* Quarum primum, ut ſit fons profundiſſimus, *miſericordiæ* quadrat; alterum miſerationibus, ut aquarum inſtar inde profluentium, & in varias partes emiſſarum quaquaverſum cum impetu, & magnâ affluentiâ torrentium in morem præcipitanter de monte Libano decurrant.

Ad diſtinctionem, & differentiam aquarum Juſtitiæ, & Vindictæ divinæ, quæ guttatim ſtillare dicuntur Paralip. 34. *Stillabit furor meus ſuper locum iſtum: &, magnus furor Domini ſtillavit ſuper nos.* Atque hâc ſub diſtinctione intelligi, explicariq; poſſunt Scripturæ loca diverſa. v. g. Pſ. 102. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* Oſeæ 7. *Deſponſabo te mihi in miſericordia, & miſerationibus.* Pſ. 110. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus,* quamvis non negarim quandoque iſta inter ſe confundi ſacris in paginis. Ut Thren. 3. *Miſericordiæ Domini multæ.* Et Pſ. 24. *Reminiſcere miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt,* ſed hæc fortè Scholis magis conveniunt.

Miſerationum harum multitudinem allegat pro ſe Rex contritus: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum,* &c. Quæ ſanè infinita eſt, tot nimirum quot effectus miſericordiæ ab orbe condito in finem ejus fuerunt, ſunt, & erunt. *Emiſſiones tuæ paradyſus aquarum multarum cum pomorum fructibus.* Quicquid, inquam, in primitiva,

& nova Eccleſia fructuum divina hæc arbor protulit, quicquid egit, quicquid dixit, quicquid diſſimulavit, & tacuit, quicquid agere omiſit Deus, in omni lege, & ſtatu, hujus fontis emiſſiones, hujus arboris fructus ſunt. *Omnia poma nova, & vetera ſervavi tibi.* Cant. 9. Ut benè poſſit dici de Orbe, & Eccleſia, *in miſerationibus magnis congregabo te.* Iſa. 54.

Conatur quidem S. Bernardus ad certum numerum ſenarium, aut ſeptenarium miſerationes Dei reducere, ut cum Iſa. 63. tantò commodius dicere poſſit, *miſerationum Domini recordabor.* Et primam ſtatuit præſervationem ab infinitis penè malis. Nam *miſericordiæ Do-* „ *mini quia non ſumus conſumpti.* Thren. 3. Quis, inquit, non videat, „ ſicut in multa cecidit, ſic & in alia poterat cecidiſſe peccata, niſi O- „ mnipotentis pietas præſervaſſet, &c. Unde S. Auguſtin. lib. 2. Con- „ feſs. Miſericordiæ tuæ, & gratiæ deputo, O bone Deus! quæcunque „ non feci mala: quid enim facere non potui mihi derelictus? nam mi- „ hi dimiſſa eſſe fateor, & quæ meâ ſponte feci mala, & quæ te duce „ non feci.

Secundam miſerationem ait eſſe pœnæ diſſimulationem. Pec- „ cabam, inquit, & tu diſſimulabas, non continebam à ſceleribus, & tu „ abſtinebas à verberibus, prolongabam ego multo tempore iniquita- „ tem meam, & tu Domine prolongabas pietatem tuam.

Tertia eſt mutatio hominis, & dulcium in amara converſio. Vi- „ ſitavit, ait, Dei miſeratio cor meum, & immutavit, ut amara fierent, „ quæ valde dulcia prius fuerant, quæ mutatio dexteræ excelſi ſanè eſt, ut ex Saule Paulus factus ſit, vel de Saule altero in Regem à Samuele uncto dicatur. 1. Reg. 10. *Ecce mutatus es in virum alterum.*

Quarta. Receptio peccatoris in gratiam. O quàm magna, in- „ quit idem S. Bernardus, miſeratio tua Deus, quia me pœnitentem „ miſericorditer ſuſcepiſti, ut in eorum numero invenirer. De quibus Pſalmiſta: *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

Quinta eſt præſervatio à recidivo. Per tuam, inquit, miſeratio- „ nem Domine Deus mihi deinceps continendi, & emendatius viven- „ di præſtitiſti virtutem, ne recidivam paterer, & eſſet poſterior error „ pejor priore.

Sexta eſt gratia perſeverandi in bono. *Incaſſum enim bonum opus agitur,*

agitur (teſte S. Gregorio, diſt. 1. de pœnit.) *ſi ante vitæ terminum deſeratur.*

Verum hæ unius rivuli miſerationum paucæ ſtillæ ſunt, *Juſtificationis*, inquam, beneficii effectus nonnulli. Si enim cæterorum beneficiorum, & Creationis, & Conſervationis, & Redemptionis, & Prædeſtinationis, & Juſtificationis, & Glorificationis, quæ flumina quædam quaſi capitalia ſunt ex fonte miſericordiæ profluentia effectus dinumerando percenſere velimus, ſive erga Angelos, & Cælites, ſive erga homines tam ſanctiſſimos, quàm peccatores; ſive erga inferos; multitudinem planè infinitam miſerationum Dei comperiemus, juxta quam orat pœnitens David, *& ſecundum multitudinem miſerationum tuarum.*

Sequitur Actus quartus. *Dele iniquitatem meam*, qui eſt *abolitionis petitio, ex horrore, & abominatione peccati.* Fecit enim S. Rex reſipiſcens, quod ille, qui abominabilem rem, vel fœdiſſimam maculam in eleganti veſte ſuâ caſu conſpicatus, à quâ naturâ totus ita abhorret, ut territus, correptúſq; horrore illo auxilium mox poſcat vicini, exclamétque, tolle, tolle, apage, apage rem iſtam, dele, dele, & ablue hanc fœdiſſimam labem! ita iniquitatis ſuæ turpiſſimâ maculâ conſpectâ ad Deum vociferatur perterritus David, *dele, dele iniquitatem meam.* Iniquitatem per maculam exprimi, & à Scripturis, & à Doctoribus, notiſſimum eſt; ſive illa ſit reatus culpæ in anima moraliter, & habitualiter remanens, donec à Deo remittatur (quod ſolemus peccatum habituale appellare) ſive privatio gratiæ, quâ anima ante pulcherrima per ſpecioſitatem illam gratiæ, mox ea depoſita redditur fœda, tenebricoſa, conſpurcata, Deóq; & SS. inviſa, atq; abominabilis.

Hujus maculæ fœditas variè depingitur per variam repugnantiam cum Deo, quam peccatum in ſe continet. Primò enim repugnat Deo tanquam excellentiſſimo, & ſummo Bono, & omni honore digniſſimo, adeoq; velut ſupremo fini, cui, ut loquuntur Scholæ, omnis Creaturæ.

2. Repugnat eidem Deo tanquam ſupremo Domino, ſeu ratione ſupremi dominii, quod in omnes ex Juſtitia ſibi vendicat, ad reddendum ei ſervitium jure ſibi debitum, quod jus per peccatum nefariè læditur.

3. Repugnat illi tanquam ſupremo benefactori gratitudinis titulo

tulo obſequia ſibi noſtra meritò depoſcenti, quæ ingratiſſimus peccator illi ſubtrahit, & pro beneficiis maleficia rependit.

4. Repugnat tanquam ſupremo Legislatori, & primæ, ſummæq; regulæ prohibenti, & deteſtanti ſive per legem æternam, ſive per legem naturæ, & rationis, ſive per legem ſcriptam, omne peccatum, quam prævaricatur inobediens homuncio.

5. Adverſatur illi eidem velut ſupremæ beatitudini noſtræ, & ultimo fini, à quo per peccatum avertitur. Unde macula hæc tam multiplici ex deformitate, & fœditate coaleſcens nunc offenſa Dei, nunc injuria, nunc averſio, ſimilíve probroſo nomine malitiam, & turpitudinem quaſi infinitam referente indigitatur, deſcribitúrq; pro diverſitate peccatorum diverſorum: ut in avaritia inquinet per modum ſordidiſſimi luti. In ſuperbia inſtar fuliginis, nigerrimiq; fumi obfuſcet. In luxuria more fœdiſſimi ſtercoris ignominiosè conſpurcet: In acedia riſci, lentiq; phlegmatis in modum inficiat, & deturpet. Hanc ergò tot titulis abominabilem, fœdiſſimámq; maculam deleri ex anima expoſcit: *Dele iniquitatem meam*, idq; ex horrore, & abominatione, uti Pſ. 118. fatetur: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.*

Huc faciunt aliorum explicationes, quibus Metaphoram verbi hujus, *dele*, eleganter exponunt, vel per Mercatores, qui è libris rationum nomina expungunt debitorum: vel per Scriptores, qui errores, & menda ſcripturarum graphicè eradunt ſubtilibus ſcalpellis, ut nullum veſtigium remaneat: vel per Pictores, qui malè pictæ imaginis nævos penicillo inducunt, ſpongiáve abſtergunt: vel per Judices, qui condemnationis ſententiam transfigunt, nigrúmve theta delent, abſolutionis charactere ejus loco efformato, ut Chriſtus fecit teſte Apoſt. Col. 2. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, & affigens illud Cruci*; vel per Solem, qui nubes, variásq; figuras earum abſumit radiis ſuis. Ita Sol Juſtitiæ cœleſtis gratiæ ſuæ radiis, *delevi*, inquit, *ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Iſa. 44. Atque hoc modo Davidem orantem faciunt: *Dele iniquitatem meam. Dele, O Mercator*, animarum inæſtimabile debitum meum, cui ſolvendo ego non ſum. *Dele, cœleſtis Scriptor*, qui non *in lapideis, ſed in cordis tabulis carnalibus.* 2. Cor. 3. *inſcripſiſti legem* tuam, quam ego peccati lituris commaculavi; dele ſtylo ferreo, ſed lenitate clementiæ tuæ liturarum mearum maculas. *Dele, O Pictor* ſapientiſſime, penicillo vel

ſpongiâ miſericordiæ tuæ abominandas figuras, quas ego imagini tuæ animæ meæ nefaria audacia ſuperinduxi. *Dele, clementiſſime Judex*, quam meis flagitiis meritus ſum juſtiſſimam contra ea ſententiam damnationis. Nam, *ſi iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit.* Pſ. 129. *Dele, O Sol Juſtitiæ*, inexhauſto lumine charitatis tuæ injuſtitiæ meæ nubes, & nebulas inferno ipſo caliginoſiores, quibus involutus ſum. *Dele, dele iniquitatem meam.*

Quintus Actus. Deſiderium Puritatis perfectæ. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* v. 3. Non ſatis habuit culpam ſibi remiſſam, gratiámq; reſtitutam fuiſſe per deletam maculam iniquitatis, niſi perfectè emundetur, omnibus reliquiis, omniq; veſtigio, quod ſapiat impuritatem ſublatis. Eſt nimirum peccatum eas inter ſpurcitias referendum, quæ vix ſatis eluuntur, per primos emaculationis conatus, quin ſemper remaneat reliquum aliquid. Ita poſt remiſſum reatum culpæ, non ſolùm reatus pœnæ reſtat perſolvendus, ſed remanet vitioſi habitus, pravæ conſuetudines, inclinationes inordinatæ, concupiſcentia incitatior, tentationes crebriores, & graviores, quibus ad peccandum iterum pertrahimur. Quibus accedunt reſidua, ſeu reliquiæ peccati aliæ, quas referunt Theologi, ut debilitas ad reſiſtendum, tarditas ad bonum, promptitudo ad malum, quaſi cicatrices, & veſtigia peccati præteriti, quæ priſtinæ impuritatis aliquid adhuc redolent. Ob quæ perfectæ puritatis amator iterum atque iterum per gratiæ incrementum lavari petit, ut candidior, liberiórq; ab omni nævo, & veſtigio peccati reddatur: ſicut qui aut è veſte pretioſâ non contentus fœdas ſordes abluiſſe, eam usq; & usq; lavari facit, donec etiam ſordium relicta ſigna eluantur: aut qui obſcœnas in pariete figuras carbone delineatas ſpongiâ deterſiſſe ſatis non habens, omnem ab omni veſtigio maculæ lavari, aut dealbari de novo facit. Ita David *amplius* orat: *Lava me*, vel ut legit Hebr. *multum* aut *magis lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*, & prorſus Spiritu, quo S. Petrus Joh. 13. lavari ſibi pedes à Magiſtro ſuo detrectans, auditâ Chriſti comminatione: *Niſi lavavero te, non habebis partem mecum: Domine*, inquiebat, *non tantùm pedes meos, ſed & manus, & caput.* Ita David: *Multum, amplius, & magis lava me*, & non *tantùm pedes*, affectionum depravatarum, ſed *& manus* operationum à diſtortis intentionibus, *& caput* à pravis cogitationibus, & phantaſiis, quin *& oculos*,

ab aſpectibus illicitis, *& aures* à ſuſurrantium detrahentiúmque quas *iniqui* iſti *mibi narraverunt fabulationibus, quæ non ut lex tua.* Pſ. 118. Inſuper *os & linguam* à verbis mendacii, & omni depravato ſermone, tandem *totum corpus, & carnem meam* à corruptione libidinis, *totum ſpiritum, & animum* meum ab omni deſiderio, & voluntate mala, *multum & perfectè lava me, ut tecum partem habeam* æternum in illa cœleſti Hieruſalem, ad quam *nihil coinquinatum, aut abominationem faciens intrabit.* Apoc. 22. lava me, inquam, & munda me *ab iniquitate mea, & à peccato meo.*

Inter quæ admodum non eſt quod diſtinguatur, niſi fortè adulterium, & homicidium Davidis iniquitatem idcircò dicere libeat, quod æquitati, & juſtitiæ adverſetur, quâ jus innocentis Uriæ graviſſimè læſit non ſimplici titulo. Peccatum verò, quod ex pecunia, & beſtiali perfectum concupiſcentia, quaſi pecoris actum quidam appellent contra rationis repugnantis dictamen admiſſum, qualia iſta carnis ſunt vitia; de quibus propterea monet Pſ. 31. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Amplius ergò lava me* à vitiis non modo iſtis, ſed eorum etiam veſtigiis, ut ſim mundus integrè, perfectéque, modo ſupra expoſito; juxta quem S. Chryſoſtom. in perſona Regis:
„ Non quæro ſolùm, inquit, peccata dimitti, ſed candorem meum pri-
„ ſtinum quæro. Et S. Ambroſ. Culpa abolita eſt: atque hoc mul-
„ tum, non tamen ſatis eſt: nam quomodo charta, de qua imperitus
„ Scriba maculam fortè admiſſam radendo ſuſtulit, ut candida appa-
„ reat, remanet tamen ex parte oppido tenuis, debiliſque, ita ut ſi de-
„ nuò in ea ſcripſeris, abſorbeatur atramentum, penetretur pagina, &
„ litura reduplicetur; ſic pœnitentis anima, poſtquam macula deterſa
„ eſt, uſq; adeò imbecillis remanet, ut in ea ipſa parte, quæ prius offenſa
„ fuerat, incredibilem oſtendat difficultatem, &, ſi macula eſt laſciviæ,
„ experiatur ſe multò debiliſſimam in accidentibus ſenſualibus; ſi odii,
„ in vindicta; ſi indignationis, in patientia; ſi crapulæ, in gula: nec mi-
„ nimâ non occaſione intrinſecus coinquinari poſſit. Unde clama-
„ bat David: Non ſufficit mihi ſola remiſſio, non ſola hæc miſericor-
„ dia; vigorem, ac robur priſtinum mihi redde. Antiquus hoſtis ſub-
„ jugatus, caro domita, non verò mortua, non extincta eſt. Quid ſi
„ iterato incaleſceret, rebellaretq;? & quod reſiduum concupiſcentiæ
„ flammis ſuccenderet? Ita S. Ambroſ. apud Mazarin.

Amplius ergò lava me, & à peccato meo perfectè *munda me*, iterum atque iterum juxta legem, quâ Levit. 3. mundandus à leprâ jubebatur ſepties aſpergi ſanguine paſſeris. Non hujus ſanguinis aſperſione repetitâ munda me, ſed illius, qui *factus eſt tanquam paſſer ſolitarius* non *in tecto*. Pſal. 101. ſed in Crucis patibulo, in quo exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*. Matth. 27. Septem gemina, inquam, (quam ſpiritu prævidit, & credidit pœnitens noſter) ſanguinis effuſione, ſcil. in Circumciſione, in ſudore agoniæ, in Flagellatione, in Coronatione ſpineâ, in Abſtractione veſtium variâ, in Crucifixione, ſanctiſſimiq; lateris perfoſſione, hujus, inquam, ſanguinis virtute, à peccato meo munda me, à ſeptem gemina lepra, quæ invenitur in peccato meo, munda me, inquam, totum integraliter. *Munda animam* leprâ iſtâ potiſſimùm inquinatam, *munda intellectum* ejus cæcitate velut primogenia laſciviæ filia obtenebratum, & ſenſualium peccatorum caligine involutum. *Munda voluntatem* peccato ita debilitatam, ut tam promptitudinem ad malum, quàm difficultatem ad operandum bonum in ſe experiatur graviſſimam. *Munda memoriam* ejus, partim lethargo mortifera admiſſi peccati, tot menſibus conſopitam, partim nugas fœdiſſimas iterum ſuggerentem. *Munda cogitationes* ejus, quæ turmatim, & perpetuò præteritas actiones, & delectationes objiciunt. *Munda affectus* ejus perverſos, qui rupto rationis fræno ad illicita pertrahunt reluctantem. *Munda* præter animam, & *carnem, & corpus* meum, quæ præcipuè contaminata ſunt adulterio, & impudicæ adulteræ membrum effecta, & ejus ſordibus conſpurcata ſunt. *Munda ſenſus* illius iniquitatis arma, & inſtrumenta. *Oculos*, qui deprædati ſunt animam meam Bethſabeam videndo. *Aures*, quæ obſurduerunt admonitionibus, & inſtinctibus tuis. *Os*, quod ſcandala evomuit. *Manus* ſanguine innocentis Uriæ ſtillantes. *Pedes*, ad omne illud peccatum veloces. Ita, inquam, integrè, & perfectè *à peccato meo munda me*.

Actus quintus. Cognitio peccati: *Quoniam ergò iniquitatem meam ego cognoſco*. v. 4. Cauſa ſupradictorum omnium. Cur enim miſericordiam, eámq; magnam Dei imploret, cur ſecundum multitudinem miſerationum Divinarum ſuam deleri iniquitatem depoſcat, cur amplius, multúmq; lavari, & emundari à peccato ingeminet, peccati cognitio eſt, prima, præcipuáque radix converſionis ad Deum: quem

quem enim facti ſui pœnitet, inquit Lanctantius, errorem priſtinum intelligit. Unde etiam pœnitentia Metanœa græcè, latinè reſipiſcentia dicitur. Per hanc cognitionem reſipuit Prodigus. Luc. 15. *quia in ſe reverſus*, poſtquam miſerum inter porcos ſtatum ſuum cognoviſſet, præ mercenariis in domo patris ſui. *Surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Sic famoſa *peccatrix*, *quæ erat* in civitate. Luc. 7. *ut cognovit*, &c. venit lavare pedes Chriſti lachrymis, tergere crinibus, terere oſculis, ungere aromatibus. Sic Petrus poſtquam benigniorem radium vultus ſui Sol Juſtitiæ in animam magis quàm faciem ejus emiſiſſet, peccatum agnovit, & ita flevit: Nam Luc. 22. *converſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, egreſſus foràs, flevit amarè.* Sic etiam Rex reſipiſcens ex adulterio, & homicidio dixit: *peccavi Domino*, poſtquam à Nathan peccati ſui gravitatem intellexit, & non prius hoc Pſalmo verſum ſequentem: *Tibi ſoli peccavi* protulit, quàm hunc, *quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Et veluti à luce ductum initium in Creatione mundi fuit, ita in reparatione, & reformatione peccatoris, non minus à lumine cognitionis peccati ſumitur exordium converſionis, ad quam cognitionem, quia plurimi non pertingunt, rectè Pſ. 18. quæritur tanquam de rarâ ave, *delicta quis intelligit?*

Agit enim cum peccatore Dæmon, ſicut Philiſtæi cum Samſone. Jud. 18. ut excæcatum ludibrio habeat, aut ſicut Naas Ammonites. 1. Reg. 11. qui de eruendo dextero oculo cum ſubjectis ſibi paciſcitur primo omnium articulo.

Quod ſuo in ingreſſu triumphali de Civitate Hieruſalem lachrymis queritur, & deplorat mitiſſimus Rex Chriſtus. Luc. 19. *Quia ſi cognoviſſes & tu, &c. nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis, & ideò venient dies in te, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te, &c. eò quod non cognoveris, &c.* quam ipſi peccatores ignorantiam ſuam clamando aliquando incuſabunt Sap. 5. *Ergò erravimus, & Juſtitia lumen non luxit nobis?* Sed ſerò cum Phrygibus ſapient, dum oculos quos culpa clauſit, pœna aperit. Ut S. Greg. mor. l. 25. c. 2.

Cognitio porrò peccati, ut perfecta ſit, alia à priori, alia à poſteriori habetur. Hæc per effectus, illa per naturam, & eſſentiam peccati explicatur, quæ in eo ſita eſt, tum quod offenſa ſit, & injuria ſummi boni, &

ni, & entis excellentiſſimi, nempe Dei. Tum quod prævaricatio ſit contra legem æternam, ut ab Auguſtino deſcribitur. *Dictum factum, vel concupitum contra legem æternam*, tum quod ingratitudo ſit abominabilis erga maximum benefactorem. Tum quod disconveniat rationi, & naturæ hominis. Tum quod averſio ſit à Deo ſummo, & infinitæ amabilitatis ente, & converſio ad viliſſimas, egentiſſimàsque Creaturas; ipsúmq; Cacodæmonem, hoſtem Dei infenſiſſimum, derelicto, & ſpreto Deo, ut loquitur Jerem. 2. Deus: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*, quod fornicationi, vel adulterio paſſim comparatur, tum quod Deicidium quaſi ſit, peccator enim Deum, primam vitam, quantum in ſe eſt è medio tollere per inexplicabile nefas conatur, & quæ ſupra his ſimilia in hæc verſus ſecundi verba, *dele iniquitatem meam*, &c. attuli. Quibus addi poſſunt, quod in ipſum etiam Redemptorem noſtrum Chriſtum Dominum graviſſima ſit irreverentia, ingratitudo, imò injuria, cujus ſanctiſſima Vulnera, Sanguinem, Crucem, Mortem, meritáq; omnia, quodammodo conculcat, teſte Apoſt. Heb. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes*, quæ omnia (quantum quidem ad autorem ſuum) irrita reddit, atq; tanta tanti benefactoris dona, & beneficia in hoſtilia arma convertit, &c. Quia ipſam etiam Deiparentem Virginem in Filio lædit, ac contriſtat, ipſos Angelos, Cœlitésq; cæteros per injuriam gloriæ acceſſione privat: ipſam Eccleſiam deniq; univerſam, tam triumphantem, quàm militantem honore, & gaudio ſpoliat, erga quos omnes inſuper tanquam benefactores benevolentiſſimos, & munificentiſſimos ingratitudo eſt horrenda, & deteſtabilis.

Effectus peccati, per quos cognoſci poteſt, non minus horrendi ſunt; Inter quos primum locum tenent, quod authorem ſuum ex amico, & Filio Dei hoſtem æternum, atrociſſimúmque conſtituat; privatúmq; ſempiternæ in Cœlis gloriæ hæreditate, nunquam finiendis ſuppliciis, & incendiis inferni addicat, infami, duriſſimæq; Dæmonis tyrannidi, ſine ſpe liberationis niſi reſipiſcat in hac vita mancipatum: animam gratiæ juſtificantis, virtutúmq; ſupernaturalium ornamentis diſpoliatam fœdiſſimè commaculat, intellectum obcæcet, rationem ſenſui ſubjiciat voluntatem à rebus divinis avertat, cum nauſea rerum

ſpiritualium, omniúmq; quæ ad ſalutem conducunt faſtidio incredibili ſynderesin ſtimulis acutiſſimis fodicet; & conſcientiam remordente usque verme lancinet, memoriam aſſiduis aculeis, & inquietiſſimis procellis velut mare fervens continuò concutiat: naturales facultates pervertat, ſenſus illecebris addictos depravet; corpus morbis conficiat, aut dehoneſtamentis aliis inficiat; totúmq; hominem horrificum Chaos, & infame fœditatum omnium volutabrum conſtituat. Taceo cætera; quæ omnia, ſi accedant, præſertim circumſtantiæ perſonarum offendentis, & offenſi, inter ſe collatæ, & comparata illius ſumma impotentia, cum infinita hujus potentia; illius imbecillitas, & vilitas extrema, cum eminentia, & robore hujus immenſo; illius inſipientia, malitia, egeſtas infima; cum ſapientia, cum bonitate, cum opulentia hujus inexhauſta; deniq; illius nihilum, & dependentia continua in eſſe, & operari ab hoc, cum hujus eſſe à ſe ipſo perfectiſſimo, & illimitata, omnimodáq; independentia; tanquam extremè contraria juxta ſe poſita clariùs eluceſcent. O ergò malum ſupra omne malum, quod dici, cogitari, aut concipi, fingíq; poteſt peccatum! O ſi fœditatem ſuam omnes perſpiciant, ut dicere poſſint cum Davide: *quoniam iniquitatem meam ego cognoſco!* quam deleri illam à Deo *ſecundum magnam miſericordiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum* precarentur non ſolùm, ſed deteſtarentur etiam juxta ſequentia:

Et peccatum meum contra me eſt ſemper. Hæc enim *Actum pœnitentis Sextum* continent, qui eſt fuga, & deteſtatio, vel abominatio peccati, quæ ex ejus cognitione conſequitur. Quemadmodum enim viator, dum nocte intempeſtâ derepente ſibi irruente, hoſpitali tecto excluſus ſpelæum ignotum in nemore ingreditur, ibíq; diurno fatigatus itinere, ſomno mox obrutus indormit, & dum manè ſequenti Solis illuceſcentis radio ſpelæum ſubeunte conſpicit, vel inter viperas, ac virulenta mortiferorum anguium genimina ſe decubuiſſe, aut juxta vel peſte contacta, vel deſpoliata, trucidatáq; à latronibus illius loci cadavera ſui ſecurum ſomnum cœpiſſe; exhorreſcit enimverò toto corpore, ſubitóq; ſe fuga inde curriculo, ac ſaltu quaſi uno proripit. Ita cognitum peccatum exhorreſcens David: *Peccatum meum*, inquit, *contra me eſt ſemper*, velut vel vipera, vel peſtis, vel hoſtis mihi infenſiſſimus, in perniciem, necémq; meam conjuratus. Nullus enim capitalior eſt hoſtis, quàm peccatum, & peccans ipſe ſibi. *Nam qui faciunt*

ciunt iniquitatem, & peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ. Tob. 12. Quis enim magis contrarius, majórve illi hoſtis eſſe poſſit, quàm qui non ſolùm bonis eum omnibus exuit, ſed morte etiam atrociſſimâ perimit, imò occiſi animam ſempiternis cruciatibus addicit, peccatum autem gratiâ, omnibúsq; donis, ac bonis ſupernaturalibus animam diſpoliat: crudeliúsq; eam habet illo, qui ex Hieruſalem in Hiericho deſcendens *incidit in latrones, qui ſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* Luc. 10. Nam perimit eam penitus, peremptámque æternis inferni tormentis cruciandam mancipat. Benè ergò, quia *peccatum meum,* inquit, *contra me eſt ſemper,* velut hoſtem meum atrociſſimum fuga execror, deteſtor.

Aliorum ea eſt expoſitio ſuper hæc: *peccatum meum contra me eſt ſemper,* ut illa non tam effectum præcedentium verborum *(quoniam iniquitatem meam ego cognoſco)* quam cauſam, & medium in ſe continent hoc ſenſu: Ideò iniquitatem meam ego cognoſco, quia peccatum meum contra me eſt ſemper conſtitutum, & ante mentis meæ oculos mihi propoſitum, ut dum illud, meámq; conſcientiam examino, & diſcutio, clarè ejus gravitatem, fœditatem, ac circumſtantias cæteras agnoſcam, & favet huic explicationi græcus, qui loco (contra) habet, coram ἐνώπιον, ante oculos.

Ex qua *Septimus Pœnitentis Actus* deducitur. *Diſcuſſio nempe, & examen accuratum* ante confeſſionem, quo ſenſu 49. Pſalmo ſuperiori, peccatori ſua ſcelera tegenti in hac vita minatur Deus: *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam* in extremo judicio, ſeu ante oculos tuos illa ordine, & cum omnibus circumſtantiis diſponam, ut explicatum eſt. Nam, ut rectè S. Hieron. *Si agnoſcis peccata tua, ignoſcit ea tibi Deus, & ſi ponis ea ante te, Deus non ponit ea ante ſe,* ſed, ut promittit Eſa. 38. *Projiciet poſt tergum omnia peccata tua.* Nam, ut Apoſt. 2. Cor. 12. *Si nosmetipſos judicaremus, non utiq; judicaremur.* Sed quia nos conjicimus peccata in manticæ iſtud quod à tergo eſt, & exigua, imperfectáq; opera bona in id manticæ, quod ante nos eſt, efferimur vanitate in hac vita, & obliti pœnitentiæ pro peccatis faciendæ, caſtigamur in altera, cogimúrq; habere ante nos ea ſemper, per recordationem eorum, *vermémq; conſcientiæ, qui non moritur.* Atq; hinc documentum iſtud idem S. Doctor præſcribit Celantiæ, ut temporalibus ſe negotiis eximat, humanísq; cogitationibus eliminatis, ingrediatur

conſcientiam ſuam, eámq; circumſpiciat, & accuratè examinet, formet ſibi in præſenti vita tribunal, & in juſtitia ſe ipſa corrigat, ne arguatur à Deo in furore: ſit ſibi & accuſator, & Judex, & teſtis, & reus, & vindex, & veniæ orator. Tandem habeat *peccatum ſuum ante ſe ſemper peccator*, ut ejus gravitatem contempletur, vidénsq; quàm dirè ab eo ſit habitus, quot offenſas ob illud incurrerit, quibus divitiis, & theſauris ab eo ſpoliatus fuerit, tantò magis illud abominetur, ac vindictam de eo inceſſanter ſumat, ingemiſcens continuò: *peccatum meum contra me eſt*; mihíq; adverſatur *ſemper*. Contra me eſt, continuum per remorſum: quia non ceſſat arrodere conſcientiam. Contra me eſt per reatum, quia continuò ad ſupplicium obſtringit. Contra me eſt, fœditate maculæ, cujus ſpurcitia læduntur continuò oculi mentis meæ. Contra me eſt ob averſionem, quâ me elongat à communione Dei. Contra me eſt converſione, quâ me arctiùs creaturis ſemper aſtringit. Contra me eſt reliquiis ſuis, quibus ab emendatione perfecta ſemper impedior, vel retardor.

Hoc modo famoſa illa peccatrix Thais S. Paphnutii ſtratagemate reſipiſcens, veniæ à Deo obtentæ ſuorum criminum modum rogata; *Faſciculum*, reſpondit, *de peccatis meis collectum coram facie poſui, & perpetuò eum contemplando ploravi, atq; oravi: qui plaſmaſti me, miſerere mei: non auſa ob facinora mea polluto ore proferre nomen Deus.* O ſanè *faſciculum myrrhæ, inter ubera* conſiderationis, & deteſtationis poſitum peccatum! *peccatum meum contra me eſt ſemper.* Sic idem Rex pœnitens: *quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Pſ. 37. Sic ajebat ſucceſſor Ezechias Iſ. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sic Apoſtolorum Princeps Petrus ad gallicinium totâ vitâ ſuâ lachrymis diffluxit, memor negationis Magiſtri ſui. q. d. *peccatum meum contra me eſt ſemper.* Sic Anſelmus precabatur: *Utinam ſic impinguentur viſcera animæ meæ, ut medullæ corporis exſiccentur*, continuâ ſcil. recordatione peccati, memor illius Eccl. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Hoc exemplum, inquit Card. Bellarminus, in hunc locum „ imitari debemus, qui Pſalmos pœnitentiales recitamus, ut verè dicere „ poſſimus, *peccatum meum contra me eſt ſemper*, quod fiet, ſi peccatum „ ſemel admiſſum, & per gratiam Dei fortè deletum, in memoria „ noſtra vivat, & ingratitudinis noſtræ erga tam magnum benefactorem „ nos ſemper admoneat. Ita Bellar. *Octa-*

Octavus Actus eſt *perfectæ contritionis* ſolius Dei cauſa: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci:* quam vocem Triden. ſeſs. 14. de contrit. vocat. *Clamorem ex vehementi quodam vitæ anteactæ odio, & ingenti deteſtatione peccatorum manantem (ſolius Dei, amorísq; illius cauſa* libet addere.)

Peccaverat quidem David multiplici tum injuſtitiæ, tum ingratitudinis, tum infidelitatis titulo, contra Uriam ſervum fideliſſimum, virúmq; fortiſſimum, conjugem ejus adulterando, ipsúmq; iniquè, doloſéq; occidendo: peccaverat in complicem Bethſabeam, illam in ſcelus adulterii pelliciendo: peccaverat tam in alienos, quàm in ſubditos ſibi populos, eos ſcandalo tam enormi offendendo: peccaverat in ſuimetipſius tum corpus, tum animam propriam, tam fœdis ea flagitiis contaminando, & graviſſimarum pœnarum in reatum conjiciendo: quorum omnium eum dolor meritiſſimo jure inceſſere poterat præcipuus.

Verum hæc peccata, eorúmq; dolorem quaſi abſorbuit dolor de peccato, offensáq; illâ, quâ Deum tam in ſe bonum, beneficúmq; læſerat, adeò, ut præ doloris hujus magnitudine cæteros non ſentiret, nec de re alia quereretur, quam vel amiſerat, vel incurrerat propter peccatum, quam de Dei offenſa ſolius. *Tibi ſoli peccavi*, expendens præſertim, cum animo ſuo verba Prophetæ Nathan, quibus vice Dei illi ingratitudinem exprobravit. 2. Reg. 12. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël; ego unxi te in Regem Iſraël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinum tuum, dedíq; domum Iſraël, & domum Juda, & ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multò majora, quare ergò contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum hoc in conſpectu ejus?* Hæc altè in animum adacta totidem velut jacula doloris, ac mœroris, eum lancinabant, excruciabántque, ita ut cæterorum obliviſceretur: *Tibi ſoli peccavi*, inquiens, *& malum coram te feci.* q. d. Doleo, O Deus, pœnitétq; me peccaſſe, non timore ſuppliciorum infligendorum, quibus undequaque ſum digniſſimus: nec amore ſalutis, quâ excidi jure meritiſſimo; nec deſiderio præmii Juſtis promiſſi, quo neutiquam dig. us ſum; nec dolore infamiæ, quàm juſtè incurri; ſed quod offenderim te Deum ſummum bonum meum, eo ferè modo, quod S. Franciſcus Xaverius hanc amoris perfectiſſimi erga Deum for-

mulam (quæ paſſim circumfertur licèt immutata nonnihil) hoc rythmo contentam crebrò uſurpabat:

O Deus ego amo te,
Nec amo te ut ſalves me,
Aut quia non amantes te
Æterno punis igne.
Gratis, ſicut amaſti me,
Non præmii ullius ſpe,
Aut ut in Cœlis beas me,
Non metu, ne caſtiges me,
Aut ne æternùm damnes me.
Sed ſicut tu amaſti me,
Sic amo, & amabo te
Solum, quia tam bonus es,
Omniq; amore dignus es,
Et quia Deus meus es.

Ita David, *peccatum*, inquit, *contra me eſt ſemper*, illud deteſtor, & abominor, & de illo intimis animis doleo, *quia tibi peccavi, & malum coram te feci*, qui intimè mihi & ubiq; omnibus præſens es; te offendi Dominum meum, & Deum meum, & tam ingratus fui erga liberaliſſimum benefactorem meum; tam impius erga amaniſſimum Patrem meum; tam infidelis adulter erga dilectiſſimum Sponſum meum; tam perfidus erga Ducem, & Regem meum; tam ſacrilegus depeculator gloriæ tuæ; tam nefarius transfuga ad vexilla Dæmonis hoſtis tui; tam deteſtandus proditor Magiſtri mei; tam turpis idololatra Sathanæ, Carnis, Mundi, & Creaturarum contra te verum Deum meum. *Tibi peccavi, & malum coram te feci:* quia majeſtatem tuam vilipendi, potentiam tuam contempſi, ſapientiam ſprevi, juſtitiam conculcavi, beneficentiam abjeci, miſericordiam deluſi, ſanctitatem aſpernatus ſum, ubiq; præſentiam conſpui, bonitatem ludibrio habui, deniq; arma impia, & veſana, in infinitum, immortalem, nullius indigum, & independentem, & à ſe exiſtentem Eſſentiam tuam ſtultiſſimus Deicida (ſi loqui ſic fas eſt) expedivi, & furioſum mucronem diſtrinxi in vitam, & vitæ authorem immortalem, eíq; ſacrilegum ictum intentavi, ut illum Deicida (ſi loqui fas ſit, quod horret animus cogitare) execrabilis è medio tollerem: Ecquid enim peccatum aliud, quàm

quàm horrendum, & abominandum (horret iterum animus) Deicidium quoddam eſt? Nam quid aliud vel machinatur, vel optat peccator, quàm teſte S. Bern. aut non eſſe Deum, ut eò liberiùs, magiſq; impunè patrare ſcelera ſua queat: aut non eſſe ſapientem, ut ea non pervideat: ſed erutos, ei quaſi oculos deſideret, qui à SS. Auguſt. & Hier. totus oculus, & facies perhibetur, ut omnia perluſtret, aut obturatas habere evulsáſve aures, ne clamorem ſcelerum percipiat, qui totus auris, ut omnia percipiat; aut truncatum eſſe manibus potentiæ, ac Juſtitiæ; ne flagitia puniat, qui totus manus eſt ubiq; extenſa, ut omnipotentia ſua omnia perficiat, remuneretur, puniat: aut captum pedibus immenſitatis ſuæ, quibus ſe omnibus præſentem ſiſtit, ut omnia arbitretur qui totus pes concipitur à dictis Patribus cum Davide Pſ. 138. *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades* mox celeri pede. Verbo; *non eſſe* qui eſt omnia, per quem omnia, in quo omnia, ut Ethnicus agnovit Vates: *Jupiter eſt quodcunq; vides, quocunq; moveris!* Aut non eſſe ſanctum, atq; bonum, ne illa interdicat, aut non eſſe juſtum, ne ea plectat; hoc autem quid aliud eſt, quàm Deum occidere? O horrendum cogitatu, ne verbo dicam, Deicidium! peccatum, quod quia ſcelus ſuum in Deo ipſo exequi non potuit, in Deo homine noſtri cauſa, & amore incarnato, Chriſto Salvatore noſtro, inquam, effectui dedit, eúmq; per tyrannidem atrociſſimam, flagris conciſum, ſpinis coronatum, modis ignominioſiſſimis, crudeliſſimiſq; habitum, perfoſſum clavis, & lanceis in cruce è vita exturbavit. O quàm meritò itaq; David, & quivis cum eo peccator dixerit: *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* O ergò *exitus aquarum deducite oculi mei*, & in ſanguinea flumina mea lumina liquimini! O ſi tota abyſſus ingentium undarum recipiatur ſinu cordis, illámq; effundam per lumina in ſignum doloris mei! O ſi vaſtus in lachrymas vertatur Oceanus, & exundet ex oculis meis! O ſi fiat *velut mare magnum contritio mea*, quia magnum illud bonum, magnum illum Deum offendi, quem toto corde, & ſuper omnia diligo! O quàm pœnitet hunc Deum, hoc ſummum bonum meum me offendiſſe! Heu! heu! *Deus meus & omnia! Tibi ſoli peccavi: & malum coram te feci.*

Mitto hic expoſitiones, & rationes aliorum huc licèt facientes, cur *ſoli Deo ſe peccaſſe* Rex contritus aſſerat. Quas, ut planiùs explicent, differentiam ſtatuunt inter *peccare alicui, & peccare contra aliquem.*

Pecca-

Peccatur contra eum, cujus jus læditur. v. g. contra Uriam, & Bethſabeam, populúmq; ſuum peccaſſe Davidem ſupra dictum eſt. Peccatur ei; cujus leges, & authoritas velut ſuperioris vili penditur, quod ſoli Deo, reſpectu David, tanquam legiſlatori ſummo, imò ipſi legi æternæ competebat, non hominibus, utpote quibus David ſubjectus non erat, ſed velut Rex eorum eminebat, ita Clemens uterq; Roman. & Alexandrin. Irenæus, Euſeb. Theodor. cum aliis Græcis PP. Unde porrò ei quoq; peccatur, qui jus vel jurisdictionem Judicis, vel quæſitoris vel vindicis habet, etſi contra perſonam ejus nihil committatur. Judicem verò, & Examinatorem, vindicemq; alium Rex David, præter Deum ſolum habebat neminem. Rectè ergò pœnitens Rex, etſi contra alios multos ſe peccaſſe non ignorabat: *quoniam iniquitatem ſuam cognoſcebat*, rectè tamen, inquam, Deo dixit: *Tibi ſoli peccavi.* Tibi Legiſlatori ſummo cujus legem æternam, & inſitæ mihi rationis naturalem, & latam per Moyſen, ſcriptámq; in Decalogo prævaricatus ſum: *Tibi ſoli peccavi* Judici, & quæſitori, & vindici meo ſupremo. Etſi enim contra me nec pandatur tribunal, nec prodeat accuſator, nec compareat teſtis, nec inſultet actor, nec procedat fiſcus, nec inſtituatur examen; multò minus ſit qui convincat, qui damnet, qui mulctet, ſed ſileant univerſi: Clamat tamen peccatum meum, *quod contra me eſt ſemper, & teſtis meus, & conſcius meus in excelſis.* Job. 16. Tu Deus meus es, tuo itaq; judicio ultrò me ſiſto, *tibi ſoli peccavi* ingeminans: ut Monarchis, Regibus, Principibus, cæteríſque, qui poteſtatem in ſe ſuperiorem non agnoſcunt, ſim exemplo, ut cogitent mecum citandos ſe, ſiſtendóſq; aliquando ante te Judicem, memineríntq; *horrendum eſſe incidere in manus Dei viventis.* Heb. 10. *& melius eſſe incidere in manus hominum, quàm in manus Dei.* Ibid. &, *quod potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6. Et, tametſi non ſit contra eos aut actor, aut teſtis, aut Judex; ſed omnes abblandiantur, & acclament Euge, belle, (quæ inter miſerias Principum una ex præcipuis eſt, quæq; plagas eorum reddit inſanabiles) clamat tamen contra eos *vox ſanguinis Abel de terra* innocenter fuſus. Gen. 4. Clamat labor operariorum violentus, extortæq; operæ, clamant injuſtæ exactiones, *& lapis de pariete clamabit.* Abac. 2. qui nunc ſcelera eorum abſcondit.

Nec caret ſuâ probabilitate expoſitio etiam iſta nonnullorum, ut *tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci,* idem ſit, ac in oculis tuis peccavi,

cavi, *tibi pro coram te* phraſi Scripturæ; cui Lxx. apponunt verbum *Deo*, paraphraſis Chaldaica exponit *coram Domino*, quo ſenſu quod Gen. 13. de Sodomitis dicitur, *homines peſſimi erant & peccatores coram Domino*. Hebræi legunt abſolutè *Domino*, quòd perinde eſt atq; in conſpectu, in oculis Domini. Quibus accedunt, qui illud, *tibi ſoli*, ſupplent adjiciendo particulas, vel *nunc*, vel *principaliter*, vel *particulariter ſingularitérve; peccavi*, ut perfecta veritas conſtet. Sed mitto iſta, ut dixi, cum explicatio noſtra huic propoſito accommodatior ſit, ſenſúsq; naturalioris; quam & firmant ſequentia verba ejusdem verſus.

Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Quibus præcedentium ratio redditur; quorum ſenſus, etſi difficultate non careat, tamen hic videtur probabilior eſſe. Tibi ſoli me reum agnoſco, & ſiſto, quia ſermo iſte tuus, quo me per Nathan Prophetam, poſitis ante oculis meis tot beneficiis increpaſti, juſtiſſimus veriſſimúsq; eſt. Verè enim tu non ſolùm eruiſti me de manu hoſtis mei, perniciem, & interitum mihi machinantis Saulis, & in regno, fortunisque ipſius ſucceſſorem conſtituiſti, & præter tribum Juda, cæteras etiam Iſraëlis ditioni, & imperio meo ſubdidiſti, ut Propheta mihi exprobravit, ſed aliis inſuper beneficiis innumero plurimis, magnitudine maximis, tum naturalibus, ac temporalibus, tum ſupernaturalibus, ac ſpiritualibus me affeciſti, & ornaſti. Ego verò poſt conſervatam, vindicatámq; è mediis periculis, mortéq; ipsâ vitam; poſt regias opes, & dignitates, poſt tot glorioſas contra Goliath, alióſq; hoſtes victorias, trophæa, & triumphos; tuo munere reportatos, poſt revelationem arcanorum cœleſtium, *quibus incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, ſcripturarúmq; notitiam communicatam, poſt crebram ſolatiorum ſpiritualium experientiam, poſt paternam manuductionem per vias omnis ſanctitatis, & juſtitiæ, poſt favores æternæ erga me providentiæ tuæ planè ſingulares, quid cætera percenſeam? Poſt hæc omnia tui erga me amoris tanta teſtimonia auſus fui O ſtultam mentis meæ levitatem! O veſaniam ingratitudinem! auſus fui, his neglectis, oblivioni datis, & contemptis auſus fui, quid mecum luctor ipſe, ac horreo, auſus fui obſcœnum coram tuis oculis adulterii, homicidiíq; peccatum perpetrare, cum ſcandalo ſubditorum, & gentium vicinarum ingenti. Illi ſermones tui exprobratorii, ita veri, ita juſti ſunt, ut ſi judicium inter nos inſtituatur, Judice quocunque, ſive Cœlo, ſive mundo, ſive inferno, tu omninò evincas cauſam, ob Bonitatem, Miſe-

ricordiámq; erga me tuam, egóq; cauſâ cadam, ob ingratitudinem, & impietatem in te meam, *ſic vincas*, inquam, *cum judicaris.*

Atq; hoc ſenſu, intellexiſſe etiam Apoſtolus videtur hæc verba, dum illa ſic recitat Rom. 3. *Eſt autem Deus verax, &c. ſicut ſcriptum eſt: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.*

Quanquam expoſitio illa aliorum rejicienda nequaquam ſit, quæ hæc verba jungenda cum omnibus ſuperioribus verſibus exiſtimans hoc ſenſu: *Miſerere mei Deus: dele iniquitatem meam: lava me: tibi ſoli peccavi*, propterea ut *juſtificeris*, & verax appareas in promiſſis tuis, quibus reſipiſcenti, & ad te revertenti peccatori veniam daturum pollicitus es. Fac itaque, ut me agnoſcente, deteſtante, & deprecante peccata mea; téq; *ſecundum magnam miſericordiam, & multitudinem miſerationum tuarum* ea condonante, delente, & perfectè me abluente omnibus appareat veritatis, promiſſorúmq; omnium tuorum fideliſſimus ſplendor, tuámq; omnes in ſervandis promiſſis fidem, ſermonúmque conſtantiam (quæ hîc juſtitia vocatur) clariſſimè perſpiciant, ut ſis cauſâ ſuperior, & litis victor, ſeu *vincas tum judicaris* blaſphemè ab impiis, quaſi non ſteteris promiſſis tuis, quibus pollicitus es Deut. 30. *Si ductus plenitudine cordis, reverſus fueris ad Deum, miſerebitur tibi*, quæ & renovabunt poſteri Prophetæ tui. Iſa. 30. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Si revertamini, & quieſcatis, ſalvi eritis.* Ezech. c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, &c. omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor, &c. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?*

Sunt, qui de promiſſionibus Dei non generalibus, de quibus jam dixi, ſed particularibus Davidi ſingulariter factis hæc exponant, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, &c. ſcil. de multiplicandâ ſtirpe ejus, de æternitate regni, de Meſſia ex illo ſuſcitando, cum ea præſertim appendice. 2. Reg. 7. *Si iniquè aliquid geſſerit, arguam eum, miſericordiam autem meam non auferam ab eo.* Verùm difficilis inter iſta cohærentia apparet, niſi ſuppleantur, & interjiciantur multa. v. 9. *Tibi ſoli peccavi, miſerere mei, & veniam largire*, &c. ſimilia, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*; vel non referantur ad non immediatè præcedentia, ſed ad ſuperiora, nec ita ad propoſitum noſtrum hæc faciat expoſitio.

Affe-

Affectus expoſiti.

Punctum II.

Conſidera actus, qui confeſſionem comitantur, vel in ea exercentur. *Primus peccati* humilis, doloroſa, & verecunda manifeſtatio, in qua peccati, & ſtatus ſui interioris manifeſtatione confeſſionis conſiſtit eſſentia, quam S. David his paucis verbis per Apoſiopeſin expreſſit, v. 6. *Ecce enim*, quaſi internum animi ſui ſinum coram Deo expandens, eiq; delictum ſuum velut commonſtrans dicat: *Ecce enim*, hoc eſt, quod commiſi, *ecce enim adulterium, ecce homicidium, ecce ſcandalum meum.* Eo ferè modo, quo mendici, ac miſerabiles homines ante templa, vel in compitis ſine voce vulnera ſua oſtendunt, ut ad miſericordiam tranſeuntes commoveant, vel quo modo narrant inceſtûs gravisſimi cum filio ream matrem, cum præ doloris, podoriſq; magnitudine ſcelus ſuum verbis non poſſet exponere, infantulum ex inceſto concubitu genitum brachiis in altum ſublatum ſummo pœnitentiario lacrymis perfuſum oſtendiſſe, & ex ingenti doloris, contritioniſq; vi mortuam mox corruiſſe. Ita David cogniti peccati ſui fœditatem exhorreſcens, & de offenſo Deo ſuo tam bono, & benigno in ſe, intimis ſenſibus vehementiſſimè dolens, ita ut verbis illud exprimere non valeret, Deo illud confitetur corde magis, quàm voce, utpote dolore intercluſâ, demonſtrandóq; id magis, quàm proloquendo, Apoſiopeſi illâ affectuoſâ uſus: *ecce enim.*

Solent enim vel in mœrore magno, ſimiliq; affectu conſtituti, vel perplexi, ac ſolliciti homines ſic loqui, ut unum voce exprimant, alterum quod mente retinent, intelligendum relinquant, quaſi mente, & phantaſiis ſuis, quibus pleni ſunt, loquantur potius, quàm voce. Ita David. *ecce enim* meum peccatum, ait.

Qui tamen mox ubi animos nonnihil reſumpſit, illud deſcribit per cauſam, indomitam ſcil. à ſe concupiſcentiam ſibi innatam; libidiniſq; fomitem à peccato originali quidem congeneratum, ſed à ratione non compreſſum, juxta Dei ad Cain præſcriptum illud Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Vocat autem concupiſcentiam peccatum, vel quia effectus peccati originalis eſt, pro quo per Synecdochen ponitur; vel quia fons eſt peccatorum omnium actua-

lium. Unde licèt peccatum originale unum ſolummodo ſit, quemadmodum etiam in textu hebr. numero ſingulari ita legitur: *In peccato conceptus ſum, & in peccato concepit me mater mea.* Attamen LXX. verterunt id numero multitudinis, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis,* &c. quia in eo includuntur omnia, eò quod ſeminarium, fomes, & origo ſit peccatorum omnium inde pullulantium.

Habet etiam Hebr. cùm Chaldæo *in peccato calefecit,* vel *calefacta eſt,* pro *concepit me mater mea.* q. d. cum conceptus ſum, incaluit ,, concupiſcentiâ mater mea, ut mirum non ſit, inquit Mariana apud ,, Heſſer, ſi is calor, eáq; cupiditas ad malum in prole manſit; quâ & ego exarſi, & in adulterium, homicidiúmq; prolapſus ſum, quibus peccati Davidici ſpecies honeſtè, & verecundè quidem, ſatis tamen apertè exprimitur.

Alter actus confeſſionis conditionem complectitur præcipuam, quæ eſt, ut vera, ſincera, integráq; ſit, nullo fuco, vel mendacio illita, non manca, non tecta, non inſincera, ſed aperta, & candida. v. 7. *Ecce enim veritatem dilexiſti meum* ſcil. candorem apertè confitentis peccata mea coram Nathan, neq; prætexentis excuſationes, neq; lapſum meum extenuantis. *Nam delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam,* (adulterii, & homicidii) *meam non abſcondi. Dixi* (enim apud me) *confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino.* Pſ. 31. *& iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo,* quod fecit, quando audita exprobatione ſibi Dei nomine per Prophetam factâ animo contrito, & ſpiritu humilitatis reſpondit: *peccavi Domino.* 2. Reg. 12.

Quo autem effectu, & eventu? *& tu remiſiſti impietatem peccati mei?* reſpondit enim mox Nathan: *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* O felix nuncium! O fauſtiſſima nova, non ante cognita, quia occulta. Nam *judicia tua Deus abyſſus multa.* Pſ. 35. incerta quidem prius; *quia neſcit homo, utrum amore, vel odio dignus ſit.* Eccl. 9. nunc autem certiſſima ob Dei revelantis authoritatem, & veritatem. *Incerta, & occulta ſapientiæ,* ac miſericordiæ *tuæ manifeſtaſti mihi.* Quid enim vel certius, vel luculentius, vel recentius, & occultius, vel gratius, & amœnius idcircò humanis auribus inſonare, & deſolato cordi illabi poſſit eo, quod à Nathan Davidi pœnitenti Dei nomine indicatum eſt: *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris?*

ris? Certum propter atteſtationem Prophetæ, quod ante ob peccatum admiſſum timore perculſum ſolicitum habebat peccatorem hoſtem Dei. Novum quod ex arcano divini pectoris recenter prodibat, amœnum, & gratum, quod vitam, & veniam obtentam nuntiabat, *non morieris. Dominus tranſtulit peccatum tuum. Ecce enim quia veritatem dilexiſti, confitentis* peccatum coram Nathan: *peccavi Domino*, ideò *hæc incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Nam in eximiæ veritatis, & ſimplicitatis cordis, quæ ſemper in Davide fuit, quamque in eo dilexit Deus, qui veritas ipſa eſt, præmium, & remunerationem rectè arbitratur S. Chryſoſt. revelaſſe Deum S. Vati myſteria multa futura.

Vix enim aliquod fuit Chriſti, & Eccleſiæ, quod non præviderit, & in Pſalmis ſuis prædixerit. Unde non vanè ſuum candorem, & veritatem, quâ peccatum confeſſus fuit, pergratam Deo extitiſſe auguratur, eiq; remiſſionem peccati adſcribit, & quod ob eandem cordis ſimplicitatem, & veritatem etiam aliàs tot, tantorúmq; à Divina Sapientia arcanorum revelationem didicerit: *Nam cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Prov. 3. quaſi ergò S. Pœnitens illud Pſ. 31. repetat: *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam,* candidè, & ſincerè nihil tegendo, nihil omittendo, nihil excuſando, idcircò, *& tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ecce enim veritatem dilexiſti* ſemper in me, atque rectitudinem cordis mei, ideò etiam *tota incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, ſive myſteria divina ſecretiſſima, & occultiſſima, quæ ſigna ſunt infinitæ ſapientiæ tuæ, *incerta*, vel *inexplorata*, *ac coperta*, ut Hebræus originalis habet, quoad nos; quoad ſe vero ab omni æternitate certiſſimâ, & omnimodè indubitatâ, quæ ſapientia tua Divina ordinavit ab æterno, ut fiant in temporibus ſuis, hæc, inquam, per ſingularem favorem, & privilegium patefeciſti mihi.

Sequitur *actus tertius*, qui eſt deſiderium, atq; efficax intentio conſequendi effectus, vel fructus eximios Confeſſionis, & Pœnitentiæ; inter quos præcipuus eſt *renovatio animæ*, cujus pars eſt candidiſſima ejuſdem puritas, atq; pulchritudo. *Aſperges* (pro aſperge) *me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. v. 8.* Inter arcana ſapientiæ, & myſteria Novi Teſtamenti, quæ manifeſtata ſibi fuiſſe verſu ſuperiori in genere dixit, hic duo in particulari innuit; nempe alterum Sacramenti Pœnitentiæ, alterum Baptiſmi; quibus in Eccleſia

Chriſtiani perfectè mundandi eſſent per gratiam juſtificantem, quorum figura fuit ceremonia illa expiationis legalis, ad quam alludit, quæ ut Exod. 12. 19. Lev. 14. & Hebr. 9. deſcribitur, fiebat aſpergillo ex hyſſopo, coccineo vinculo alligata ligno cedrino, quo, vel cruore agni poſtes, & limina aſpergebantur; contra percutientem Angelum, juſſu Moyſis Deut. 12. vel cineribus vaccæ ruffæ in ſacrificium immolatæ, cum aqua commixtis, Deut. 19. vel ſanguine paſſeris. Levit. 14. Et ſic expiabantur mundandi: quibus ſanguis Chriſti in holocauſto Crucis, & Paſſione effuſus, & diſperſus aſpergillo ex hyſſopo (quæ calida, & humilis herba eſt, & incontinentiæ inimica, & purgativa cordis, & pectoris, in petra radices agens, atq; tum fidem fundatam ſupra petram, tum pœnitentium charitatem ſignificat) immortalis animæ Cedro per coccineæ charitatis vinculum conjuncta præfiguratur; quâ aſperſione in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ per merita, & ſanguinem Chriſti, noſtra mediante cooperatione per actus fidei, contritionis, charitatis pœnitentiæ, cæteróſque, perfectè tum à peccato originali, tum actuali expiamur, infuſo nobis gratiæ ſanctificantis candidiſſimo, pulcherrimoq; nitore, qui nivem, & quicquid uſpiam pulchrum, purum, ac nitidum in orbe fingi poteſt, longiſſimè antecellat.

Chriſtus enim ille *agnus eſt occiſus ab origine mundi*, cujus ſanguis ab Angelo percutiente nos ſervat; hic ille *eſt paſſer* in Cruce ſolitarius, & derelictus, de quo ſupra; *cujus ſanguis emundat nos ab omni lepra peccati.* Joan. 1. Hæc illa *rubra vitula*, ac victima eſt in holocauſtum Deo Patri oblata *pro noſtris, & totius mundi pecatis*, cujus cinere, & meritis ad omnem ſanctificationem aſpergimur *Si enim* (ut argumentatur Apoſt. Hebr. 9. *Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.*

Hic ille *faſciculus hyſſopi* eſt in converſatione odoratus, in doctrina abſterſivus, in amore fervidus, in paſſione purgativus, in morte nos redimendo efficaciſſimus, & incontinentiæ inimicus, ſtudioſorum continentiæ cibus, puritatis conſervativus (Plin. l. 20. c. 4. Rhodeg. l. 7. c. 45.) aſperſione ſanguinis per vulnera cruentus, ſuffixus Cedro Crucis, elevatus, & purpureis funibus charitatis tanquam coccino revin-

vinctus. Hic veræ ſanctificationis ritus, modus, cauſa, & origo eſt.

Hanc munditiem ſibi flagitat S. Pœnitens, qua non corpus per legalem illam & Typicam Veteris Teſtamenti expiationem, ſed anima per veram, & novæ legis Chriſtianæ Sacramentis productam renovationem expietur, & ſanctificetur ſupernaturali cœleſtis gratiæ munditie, nec à Sacerdotibus Moſaicis, ſed Deo ipſomet collatam. Nam aſperſiones illæ factæ à Sacerdotibus in veteri lege peccatum neutiquam abſtergere poterant, ſed legalem aliquam duntaxat afferre munditiem.

Quare *aſperges me* tu ipſe, inquit, non Sacerdos *hyſſopo*, non quæ figura olim, ſed præfigurata fuit, quámq; prævidebat implendam in Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ aquâ illâ efficaci gratiæ tuæ, ex meritis, & ſanguine Chriſti, pro peccatis hominum in ara Crucis immolati, *& ſic mundabor*, atq; hoc modo ne aſperges me tantùm, ſed integro quaſi balneo meritorum tuorum mihi ſuperfuſo *lavabis me* perfectè ab omni peccati maculâ, ne quid in anima mea remaneat, quod caſtiſſimos oculos tuos offendat. Quamvis enim vel minimâ guttâ ipſius me aſpergas, illa tamen tantæ ad emundationem, & ſanctificationem efficaciæ eſt; ut non mihi ſolùm, ſed infinitis hominum myriadibus abluendis, ſatis, affatim, ſuperq; ſit, ut rectè de ea intelligatur, quod dicitur Iſa. c. 10. *Inundatio abbreviata conſummabit juſtitiam.*

Nec ſolùm lavabis me, ſed dealbabor etiam aquis tuæ gratiæ, imò aſperſione ſanguinis tui, in quo ab aquis cæteris differt aqua illa cœleſtis divinæ gratiæ. Nam lavant illæ aliæ quidem, ſed non ſemper dealbant, unde lavare Æthiopem diverbio dicitur pro fruſtra eſſe: iſtæ verò eluunt ſimul, & dealbant: Illæ etiam, ſordes eluendo, nativum quidem candorem reddunt, quem res ante habebant, non illum tamen intenſiorem redhibent; at aqua gratiæ ita eluit, & mundat, ut candorem ſimul ſicubi deeſt, communicet, & ubi eſt intenſiorem reddat, & ad incredibilem animi decorem perficiat, & quod mirabilius eſt, ſanguinis aſperſione efficiat albedinem illam perfectiſſimam uti Apocal. 7. S. Joan. teſtis oculatus perhibet: *Hi ſunt, qui lavarunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.*

Neq; quocunq; modo *dealbabor*, ſed etiam *ſuper nivem.* Per nivem in ſacris litteris perfectum candorem exprimi apertius eſt, quam ut confirmetur. Nam Chriſti in transfiguratione ſuâ, ſumma in glo-

ria

ria reſplendentis *veſtimenta* dicuntur *facta alba ſicut nix*. Matth. 17. Aſt ſuper nivem candor juſtificationis eſt, Nix enim ut S. Ambroſ. obſervat, ut candidiſſima ſit, minimâ tamen ſorde, & pulviſculo maculatur, eſtq; albedo ejus facilè corruptibilis, atq; brevis. Sed candor divinæ gratiæ, in eo homine, qui firmiſſimo decreto propoſuit eam conſervare inquinari, aut deficere minuive non poteſt, ſed augetur potiùs auctibus quotidianis, ut *qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*. Apoc. 22. benè itaq; *ſuper nivem dealbabor*, ait:

Niſi cum S. Gregor. & Caſſiod. placeat intelligere per nivem, pulchritudinem animæ, juſtitiámq; quaſi naturalem; quæ tanta, tamq; ſpecioſa eſt propter imaginem Dei, ad quam efformata eſt, ut ſi vel corporis oculis, vel mentis conſpici à nobis poſſit, nemo non foret, qui pro hac conſervanda vitam non libenter expenderet. Atq; idcirco forte Deus animam noſtram in hac vita nobis abſconditam eſſe voluit, ut ne intuitivâ eam cognitione, quamvis intimè nobis præſentem videamus, ne propriæ capti pulchritudine animæ, vel in philautiæ immodicæ vitium, vel in ſuperbiæ crimen cum Lucifero incidamus. Quod etiam de pulchritudine ejuſdem ex coordinatione virtutum moralium, ex juſtitia naturali orta, non minus dici poteſt. De qua tamen illud Job. 9. rectè pronunciaveris: *Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & refulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me*. Si cum pulchritudine ac juſtitia ſupernaturali conferatur. Quocirca ſuper nivem dealbari deſiderat.

Atq; hæc expoſitio de deſiderio percipiendi primarii effectus, & fructus, qui percipitur ex Sacramento Confeſſionis, univerſaliter vera eſt, ſive ſenſu deprecativo ſumatur verbum *aſperges*, pro *aſperge*, ut ſupra inſinuatum eſt, imperativo præſenti pro futuro poſito. Sive modo, ſenſúq; Prophetico, retento ſcil. futuro, quod in ſequentibus etiam verſibus ſervatur, *aſperges, lavabis, auditui dabis*, quo modo expertum habuit, prævidit, & prædixit Propheta peccata ſua perfectè abolenda, non per aſperſionem hyſſopi velut umbræ, & figuræ, ſed per ſanguinem Chriſti tanquam veram & realem, quæ ſub umbris figurarum abſcondita erat ablutionem, per gratiam ſcil. Sacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ collatam, quam per fidem in Chriſtum, ejúsq; merita, & Sacramenta iſta novæ legis ſperabat.

Eodem ſenſu exponendus eſt verſus ſequens 9. *Auditui meo dabis*

gau-

gaudium, & lætitiam. Quo *actus tertius* ſignificatur, qui eſt deſiderium percipiendæ ſacramentalis abſolutionis à peccatis, quæ per formam illam in Sacramento Confeſſionis datur: *Ego te abſolvo à peccatis tuis*, &c. quam aſperſioni hyſſopianæ mox addidit, velut in ea fundatam, & ut novæ legis cultores cogitemus quoties abſolutionis Sacramentum à Sacerdote nobis impenditur per verba *abſolvo te*, &c. toties aſperſo nobis eodem diviniſſimo Chriſti ſanguine nos mundari.

Hujus gratiſſimæ vocis concentu velut harmonico, & jucundiſſimo recreari auditum ſuum exoptabat, dum ait: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*, nihil enim demulcere pœnitentis aures ſuavius poterat, nullum canticum gaudium, & lætitiam majorem afferre, quam vel iſtud: *Abſolvo te*, vel Salvatoris illa Chriſti ad Magdalenam prolata vox: *remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* Luc. 7. O *ſonet* hæc *vox tua*, Deus, *in auribus meis! vox enim tua dulcis.* Cant. 2. vox dulcis, vox gaudii, vox lætitiæ! qualis ære infinito preſſis debitoribus de remiſſione; longo exilio abſentibus de reditu ad patriam; periclitantibus de ope, oppreſſis de allevatione, captivis de liberatione, reis de venia, mortis ſententia damnatis de gratia & vita, talis vox illa *abſolvo te*, quâ *auditui meo dabis gaudium, & lætitiam.*

Quod ſi contra hanc expoſitionem quis dicat: jam pridem à Nathan percepiſſe vocem illam abſolutionis. 2. Reg. 12. *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Ita quidem ſit, ſed nunquid continuatio rei ejuſdem iterum, iterúmque rectè peti poterat, juxta illud Eccl. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu?* Certè ſi juxta vulgare illud: *Lectio lecta placet*; rectius de voce illâ abſolutionis dicere licebit: *dictio dicta placet, decies* (imò millies) *repetita placebit.* Nunquid fragilitatis ſibi ſuæ conſcius, de aliis vel commiſſis, vel committendis idem orare? Nunquid ſub novo, eóq; ſuaviſſimo titulo meritorum Chriſti in Sacramentis per fidem in ea idem flagitare? Quod ſi tamen minus fortè arridet, juxta expoſitionem Cardinal. Bellarm. hic verſus intelligi poteſt, de teſtimonio conſcientiæ interno, quod eſt effectus, & ſignum perfectæ juſtificationis, & à ſincerè confitentibus, ac pœnitentibus percipitur: *Cum Spiritus reddit teſtimonium Spiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Rom. 8. Cujus etiam deſiderium ſtatui poteſt velut

Actus quartus Confitentis. q. d. cum peccatum meum ſincerè tibi expoſuerim; tu Deus, qui veritatem diligis, *lavabis* me perfectè, ut

non ſolùm *ſuper nivem dealber*, ſed inſuper *auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*, hoc, inquam, addes beneficium, ut interiore quodam gaudio, tanquam ſigno remiſſi peccati me mirabiliter afficias, quod gaudium erit velut bonus nuntius, quem cordis aure jucundè percipiam. Sic Bellarm. & favet textus Hebr. in quo unico verbo pro iis *auditui meo dabis gaudium*, habetur: *audire me facies*, internam ſcil. vocem Spiritûs Sancti, qui me gaudio, lætitiâq; perfundet. Hæc eſt illa conſcientiæ bonæ pax, & jucunditas in confeſſione percepta, quæ ex animo in corpus transfunditur, unde gemino vocabulo *gaudium*, *& lætitia* appellatur, quibus ſimul *cor, & caro exultant in Deum vivum*, eorúmq; potentiæ, quæ oſſa vocantur humiliata, ut mox dicam, exultent.

Sicut enim remorſus conſcientiæ malæ velut importuna ſynderefios, & permoleſta vociferatio auditui animi identidem obſtrepens „ parit triſtitiam, & dolorem, (rectè enim S. Auguſtin. Juſſiſti Domine, „ & ita eſt, ut pœna ſibi ſit inordinatus animus omnis. Et Boëtius lib. „ 4. de Conſol. Improbis nequitia ipſa eſt ſupplicium, quia ſæva ſem„ per præſumit perturbata conſcientia) Ita ex munda conſcientia naſcitur gaudium, & lætitia, nam *teſtis fidelis non mentietur, ſecura mens quaſi juge convivium*. Prov. 15. Et hæc gloria noſtra (vel gaudium) *eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. 1. Cor. 1. Ob hujus teſtimonii jucundiſſimam vocem auditus animæ dulciter gaudio, & lætitiâ perfuſus, quoad utrumque hominem, facit, ut exultent oſſa humiliata; ſeu potentiæ, ut ante dicebam, dolore antea afflictæ, & contritione humiliatæ erigant ſe, & de tanto bono exultent, & jubilent. Vires enim animi idcircò oſſa dicuntur, quod iisdem anima, ſicut corpus oſſibus ſuſtentetur, roboretur, ſubſiſtat, & operetur. Hæ facultates, & potentiæ per actus, & affectus doloris, pœnitentiæ, & timoris Dei, quaſi contritæ, & humiliatæ incipiunt exſurgere in affectus gaudii, gratiarum actionis, amoris, & laudis Dei: intellectus ante obnubilatus, novo lumine ſerenari: voluntas amoris, pacis, gaudii, divinæq; laudis motibus ſubſilire: memoria fœcundo partu beneficiorum Dei recordationes profundere; totus animus mœrore ante conſepultus reviviſcere, & in ſocium corpus caſtiſſimos liquidiſſimæ voluptatis rivos transfundere, quibus ipſum cum ſenſibus ſuis revireſcat, & recreetur. Atq; hoc modo *exultabunt oſſa humiliata*.

Non prætereunda hîc mihi eorum expoſitio eſt, qui per oſſa humiliata

miliata intelligunt opera bona, ac merita peccatum antecedentia, quæ vel extinguuntur, vel mortificantur, unà cum habitibus ſupernaturalibus virtutum moralium, donorúmq; Spiritus Sancti, quæ omnia unà cum gratia ſanctificante peccatum mortale ex anima eliminat, & peſſundat. Ut de illis lamentatio illa Pſ. 104. locum habeat: *Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.* Vel ſi quæ remanent, ſine vigore, & fructu ſint, de quibus Pſ. 101. illud dicatur: *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Hæc oſſa bonorum operum meritorum, virtutum, gratiarum, donorum humiliata, & mortificata, per vocem remiſſionis reviviſcunt quaſi poſtliminio, & unà cum gratia priſtinum decus, & ſplendorem obtinent (qui novus Confeſſionis, Pœnitentiæq; effectus deſideratus *quintum actum* conſtituit) Cujus præclara nobis figura exhibetur à Deo Ezech. 37. quando ad vocem Prophetæ, Dei juſſu arida, & diſſipata oſſa, Spiritu Dei vivificata in meliorem vitam reſurrexerunt. *Oſſa arida, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: ecce ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis, &c. factum eſt autem prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, &c. & vidi, & ecce ſuper ea nervi, & carnes, & extenta eſt in eis cutis deſuper, &c.* Tandémq; iterum ad vocem Prophetæ juſſu Dei Spiritum invocantis, *ingreſſus eſt in ea Spiritus, & vixerunt, ſteterúntq; ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.* Meritò ſanè David propter hanc vocem Domini gaudium, & lætitiam ſuo fore auditui præſagivit, meritò per eam oſſa ſua humiliata exultatura cognovit, & quod tanta bona, quæ per peccatum amiſerat, per gratiam recuperaturus erat; quibus iterum inventis cum muliere Evangelica Luc. 15. congratulabundos vicinos, & amicos ad commune gaudium provocat; *quia inveni dragmam gratiæ, & meritorum quam perdideram. O vocem Domini (ego te abſolvo) in virtute! O vocem Domini in magnificentia.* Pſ. 28. *remittuntur tibi peccata tua.* Luc. 7. *& exultabunt oſſa humiliata*, & mortificata, ſtabúntq; pro gloria, & laude tuâ ſicut exercitus grandis contra hoſtes ſanctiſſimi nominis tui, contra hoſtes Eccleſiæ, & præſertim animæ meæ.

Alius pœnitentiæ ſacramentalis effectus, cujus deſiderium *ſextum confitentis actum* ſuppeditat, eſt abſolutio reatus pœnæ æternæ, & temporalis ſaltem partialis ex opere operato, ex v. 10: *Averte faciem tuam à peccatis meis* (non ut ea non cognoſcas, hoc enim impoſſibile eſt, ſed

ne ea videas ad vindictam ſumendam) Et petiverat ante abolitionem reatus culpæ per hæc: *aſperges me, lavabis me, auditui meo dabis gaudium, &c.* Nunc verò ulterius pœnæ remiſſionem orat: *averte faciem tuam à peccatis meis*, eo Senſu, quo S. Tobias: *ne reminiſcaris Domine delicta mea, neq; vindictam ſumas de peccatis meis.* Tob. 3. Eſt enim ille Scripturæ loquendi peruſitatus modus, ut per aſpectum peccatorum, pœnæ vindicta; per averſionem verò ab illis condonatio ſignificetur: *Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultûs tui.* Pſ. 20. *Ponam faciem meam in vobis in malum.* Jerem. 44. *Obfirmabo faciem meam contra animam illius.* Lev. 7. *Vultus Domini ſuper facientes mala.* Quo etiam ſenſu precatur Pſ. 129. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?*

Econtra verò peccatorum veniam facere dicitur, quorum non recordatur, vel à facie ſuâ removet. Ita Iſa. 38. *Tu autem eruiſti animam meam, ne periret, projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea*, quaſi volens ea tradere oblivioni Ezechias gloriatur. Ita pollicetur Deus Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Quæ duo hîc orat etiam David: *Averte faciem tuam*, ne recorderis, & *omnes iniquitates meas dele.* Fortaſſis & idcircò Job. c. 13. dicitur: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea.* Et Oſeæ 13. *Colligata eſt iniquitas Ephraim*, abſconditum peccatum ejus, & utrumq; reatum culpæ, & pœnæ complexus, ob adeptam perfectam peccati condonationem. *Beatos*, pronuntiat Pſ. 31. *quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, & cui non imputavit Dominus peccatum*, ſcil. ad pœnam. Orat ergò ſic pœnitens Rex Deum: *Averte faciem tuam à peccatis meis*, ſubjungens, *& omnes iniquitates meas dele*, ut non ſolùm ad tempus ea non puniat, vel non imputet, ſed penitùs è libro rationum nunquam illa vindicaturus expungat, & Chirographum eorum transfigat, vel dilaceret. Quâ ratione Apoſt. ad Col. 2. ait: *Chirographum decreti* (ſupplicii ſcil. æterni pro peccato infligendi) *quod erat contrarium nobis Deum tuliſſe de medio affigens illud Cruci. Sic ergò omnes iniquitates meas dele*, inquit, quoad reatum pœnæ, ſicut idem ante. v. 2. ſupra de reatu culpæ orabat. *Dele iniquitatem meam.* In quæ ibid. dicta huc transferri poſſunt.

Mihi quidem præter hanc expoſitionem, quæ litteralis videtur, perquam placet, & iſta, ut verſus hic: *Averte faciem tuam à peccatis*

meis; *Septimus Confitentis actus* ſit longè excellentiſſimus, reverentialis, & filialis timoris, & intimæ humilitatis, mixtus cum tenero amore, & Deo placendi ſtudio ex perfectiori cum ſui ipſius, tum Dei etiam cognitione promanans. Sicut ferè Tridentin. Seſs. 6. c. 6. de juſtif. ait: *Eos qui juſtificantur divinâ gratiâ excitatos liberè moveri in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt*; *atq; illud imprimis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam, ſe convertendo, in ſpem eriguntur fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illúmq; tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, &c.* Poſtquam enim inſpexiſſet conſcientiæ fœditatem, & abominationes David pœnitens, indéq; correptus timore, ad miſericordiam Dei oculos reflexiſſet, ab ea veniam orare, & impetrare his orſus eſt: *Miſerere mei Deus, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam,* quam conſecutus, & à peccato expurgatus, *amplius lava me* in fontem juſtitiæ ſuæ tanquam benignum omnis boni authorem intuens, intimo in eum amore ferri, moveríque hiſce cupit: *Tibi ſoli peccavi, auditui meo dabis gaudium, exultabunt oſſa humiliata.* Atque dum iterum, iterúmque nunc ad ſe, nunc ad Deum oculos reflectit, & hinc tantas ſcelerum ſuorum maculas, inde tantam Dei amabilitatem inter ſe componit, ex caſto timore, amoreq; Deo diſplicere timens, ob maculas criminum contractas exclamat: *Averte faciem tuam à peccatis tuis,* tanquam quæ amicus oculus averſatur, & quæ removeri ſolent à congreſſibus amicorum, ne ſenſus eorum offendant. Et ne unquam illa vel obiter contrecta tantum, vel leviter exterſa in ſenſum, memoriámq; per veſtigium ſui aliquod redire queant, *omnes*, ingeminat, *iniquitates meas dele*, ne ſcil. fortaſſis eum, quem amo, & à quo amari unicè deſidero, à me avertam.

Hoc eodem etiam reverentiali timore ad miraculum capturę piſcium inexſpectatæ attonitus S. Petrus clamabat Luc. 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Eodémq; Centurio motus Matth. 8. Chriſti præſentiam ſubterfugit: *Non ſum dignus*, inquiens, *ut intres ſub tectum meum.* Et David Pſ. 115. in revelatione divini luminis vilitatem, & defectuoſitatem hinc ſuam, Deíq; inde in ſe benignitatem contemplatus, *credidi*, inquit, *propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus*

ſum nimis. Hinc *ego dixi illud in exceſſu meo,omnis homo mendax. Quid retribuam Domino*, & quæ ſequuntur. Et Sponſa Cant. 1. *nigram ſe fatetur*, timens, ne diſplicere inde Sponſo ſuo poſſit, unde magis placuit tamen; &, *nolite me conſiderare*, inquiens, *quod fuſca ſim*, ſic anima in confeſſione hinc ſe gratiæ reſtitutam cernens, inde maculas vix elutas adhuc conſiderans, intimâ humilitate ſe undecunq; divino conſpectu indigniſſimum profitetur cum Job. 9. *Etſi lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſima manus meæ, tamen ſordibus intinges me.* Ut S. Greg. intinctum ſordibus demonſtrabis. Ideoq; ne diſpliceat, veretur, atq; ut avertat faciem tantiſper à ſe Deus, verecundè orat, donec omnes iniquitates, earúmque veſtigia, & ſigna deleverit. Quapropter rectè *virgula fumi* dici actus iſte poteſt, *ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii*, amoris, timoris, reverentiæ, humilitatis, placendi deſiderii, &c. quam ex deſerto ſterilis peccati *aſcendere* poſſe mirantur cœleſtes genii. Cant. 3.

Præcipuus renovationis animæ, quam per confeſſionem, & pœnitentiam intendimus, effectus isq; formalis eſt gratia ſanctificans cum charitate in anima reproducta. Nec enim ſatis eſt peccatum non imputari, aut remitti ejus reatum, aut ab ejus macula emaculari animam, aut pœnam etiam condonari, ſed gratiâ inſuper juſtificante opus eſt, & charitate, juxta Orthodoxam doctrinam.

Hujus deſiderio *octavus Confitentis actus* conſtituitur hoc verſu 11. expreſſus: *Cor mundum crea in me Deus.* Impertire mihi munditiem animi, nam formali ſenſu hæc capienda ſunt, ſeu pro forma producta, quam peccatum tantum deſtruit, non pro ſubjecto ſive animo; qui peccato non corrumpitur: vel, infunde in animam meam Juſtitiam, & ſanctitatem illam, quæ eam renovet, mundam, formoſam, & ſplendidam efficiat, quod gratia ſanctificans facit. *Et Spiritum rectum innova in viſceribus meis*, rectam affectionem, qua nil niſi rectum, honeſtum, ordinatum, & ſanctum expetitur, & cogitatur, hanc in potentiis internis animæ meæ denuò procrea, quæ eſt charitas, per quam diſtorta, & deordinata per peccatum, iterum rectificantur, & ordinantur. Sicut enim per cupiditatem affectus cordis diſtortus, & deordinatus redditur, dum convertitur à Deo ad inferiora, & ſeipſum præſertim; ita per charitatem dirigitur iterum, dum convertitur ad ſuperna, ac Deum potiſſimum. Et ſicut os homini ſublime, ſtaturámq; ad Cœlum erectam

ctam amor terrenus incurvat, & mulieri Evangelicæ ſimiles reddit Luc. 13. de quibus, O *curvas in terram animas!* meritò exclames; ita amor divinus in priſtinam ſtaturam nos erigit, & Spiritum rectum innovat in viſceribus noſtris, juxta promiſſionem Ezech. 11. *Dabo eis cor novum, & ſpiritum novum tribuam in viſceribus eorum.*

Hujus divinæ affectionis participes reddimur per Spiritum S. à quo Spiritus noſter erigitur, & renovatur, juxta doctrinam S. Apoſtoli Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis:* qui *Spiritus rectus* dicitur, tum quod recta, & ſancta ſuggerat, & doceat; tum quod Spiritum noſtrum rectificet, & renovet; ut *renovemur Spiritu mentis noſtræ*, juxta Apoſtoli monitum Eph. 4. *Et induamus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.*

Hoc porrò cor mundum creari, & Spiritum rectum innovari orat S. David, non abſq; proprietate quod nomen creationis gratiæ juſtificanti tribuatur, non ſolum quia independenter à ſubjecto producitur, vel non è potentiâ ejus, ut loquimur, educitur, velut accidentia alia, ſed ex nihilo procreatur; verum etiam, & præſertim, quod ex magna Dei miſericordia juſtificamur potiùs, quàm ex meritis noſtris. Nam & ipſæ diſpoſitiones prævıæ, etſi non ſine noſtra cooperatione aliqua fiant, idipſum tamen à Spiritûs S. gratiâ fit, qui idcircò benè ab Eccleſia invocatur: *Veni Creator Spiritus*, & per peccatum, quod à S. Auguſt. *nihil eſſe* perhibetur, imò à Cardin. Hugon. *annihilatio* quædam dicitur, eò quod qualitatem illam gratiæ præſtantiſſimam annihilet. Nam aliam contrariam qualitatem ſe corrumpentem non habet, quam ipſum peccatorem: *ad nihilum redactus ſum*, inquit Pſalmiſta, *& neſcivi.* Ut ſic per nihilum ad nihilum reducatur res omnium præclariſſima; quod ulli alteri vel à Deo negant unquam accidere.

Juvat his inſerere affectum Alberti Magni, perquam huic rei accommodatum, dum in hæc orat apud Wilhelmum Pipinum hîc: O miſericordiſſime Deus, qui promiſiſti, quod dares nobis cor novum, & Spiritum novum poneres in medio noſtri, ſi rediremus ad cor. Ego igitur miſer peccator ad te Dominum meum confugio, petens, ac dicens: *Cor mundum crea in me Deus*, ſcil. cor humile, cor pacificum, & manſuetum, cor benignum, cor pium, quod nulli inferat malum, quod pro malo non reddat malum, ſed pro malo bonum, quod te ſuper omnia diligat, te ſemper cogitet, de te ſemper loquatur, tibi

gratias

„ gratias jugiter agat, in hymnis, & canticis ſpiritualibus delectetur, in
„ Cœlis converſetur: Hæc enim eſt forma, & deſcriptio cordis mundi,
„ quale à te peto, quia tale per naturam habere nequeo, fiat igitur per te
„ tale per gratiam, quod per me fieri nequit per naturam. O utinam
„ contingat mihi, quod contigiſſe ferunt aliquando Catharinæ Senenſi
„ hunc verſum ruminanti: Cor mundum crea in me Deus, flagitantiq; flagrantiſſime, cor, ſpiritúmq; novum, ſecundum cor Chriſti Sponſi ſui: ſentit enim pectus ſibi à Chriſti reſerari, & ſubinde cor aliud inſeri, in cujus rei teſtimonium, totâ deinceps vitâ reliquâ cicatricem aperturæ in pectore circumtulit, nec Chriſto, ut ſolebat ante, ajebat; *commendo tibi Domine cor meum, ſed cor tuum.*

Actum nonum ſubminiſtrat verſus 12. *Ne projicias me à facie tuâ, & Spiritum S. tuum ne auferas à me:* qui eſt conſtans Deo adhærendi voluntas, & perſeverandi in ſanctitate ardens deſiderium, ejuſdémq; à Deo poſtulatio. Revocatâ enim ſibi in mentem priſtinâ vitâ, fragilitatéq; ſuâ, ne à Deo avelleretur per peccatum pertimeſcebat, ac ne Deus permittat ſubtrahendo efficacem gratiam propter ſua delicta, & ſic quaſi eam abjiciendo, & removendo à dulci conſpectu ſuo, humillimo animo, timoréq; filiali caſtiſſimè precatur: *Ne projicias me à facie tua.* Nam phraſi Sacræ Scripturæ projiciuntur à facie Dei, qui reprobantur. Unde pœnam hanc deſperabundus Cain agnovit, qui cum dixiſſet Gen. 4. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear,* ſubjunxit: *ecce, ejicis me à facie tuâ.* Eandem Deus Samueli revelavit inflictam à ſe Sauli 1. Reg. 16. *Uſquequò tu luges Sul, cum ego projecerim eum?* Eandem manifeſtavit & Davidi 2. Reg. 7. *Miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem removi à facie meâ.* Eandem verebatur mole triſtitiæ quandoq; oppreſſus, & mœrore extra ſe factus David Pſ. 30. *Ego dixi in exceſſu meo: projectus ſum à facie oculorum tuorum.* Et Pſ. 37. ex eodem timore orat: *Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in irâ à ſervo tuo. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus.* Sicut enim *projici poſt tergum omnia peccata ſua* cum Ezechia Eſa. 38. vel in profundum maris, cum Mich. 7. rogaverat v. 10. *Averte faciem tuam à peccatis meis,* Ita hîc ne *avertat à ſe, neu ſe projiciat à facie,* vel gratiæ, vel miſericordiæ, vel providentiæ, vel prædeſtinationis ſuæ precatur. Idq; ut ne eveniat, addit,

Et *Spiritum S. tuum ne auferas à me.* Abjicit enim Deus, quos Spiritus ſui lumine ſpoliat, excæcatóſq; patitur à via veritatis aberrare, ac ſervire cupiditatibus noxiis, nullo jam metu judicii divini à ſcelere, & maleficio deterritos, inquit Flammin. Sicut *animæ irreverenti, & infrunitæ tradantur.* Eccl. 23. Vel *in reprobum ſenſum dentur*, ut ait Apoſt. Rom. 1. Per Spiritum S. itaq; intelligit gratiam ipſius, ſive ſanctificantem, & habitualem, qua amici Dei conſtituimur; ſive actualem, & efficacem, ſine quâ nec à peccatis nos continemus, nec opera meritoria, ſanctáq; perficiemus; ſive etiam Spiritum Prophetiæ, ut Theod. exponit, per quem *incerta, & occulta ſapientiæ ſuæ* manifeſtaſſe ſibi Deum ſupra agnovit; de Chriſto præſertim, ejúſq; lege Evangelicâ, & Eccleſia; quem à ſe ut non auferat Deus, propter adulterii labem deprecatur. Sciebat enim omnem luxuriam huic Spiritui maximè adverſari, juxta illud Geneſ. 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt; nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. & eapropter ſicut in præmium continentiæ, & virginitatis, dono Prophetiæ decoravit Deus Sibyllas, etiam in ſtatu legis naturalis (ut de ſtatu legis Moſaicæ, & Evangelicæ nil dicam) ita in pœnam incontinentiæ eundem Spiritum Prophetiæ, donáque ſimilia iterum abſtulit: veluti S. Greg. l. 4. dial. narrat, Africanos inter presbyteros, illos, qui Juſtiniano imperante cum linguis radicitùs licèt exciſis ob fidei Catholicæ defenſionem nihilominus promptiſſimè proloquerentur Verbum Dei. Unum, in luxuriam lapſum, eo mox dono ſpoliatum fuiſſe.

Quàm porrò triſte ſit removeri à vultu Domini ſui dilecti etiam condonato peccato, ſatis æſtimari poteſt ex pœnâ, quam Abſaloni filio inflixit David ipſe 2. Reg. 14. quem ab exilio licèt revocatum, faciem tamen ſuam noluit videre, unde *manſit Abſalon in Jeruſalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.* Quæ res ita illum afflixit, ut Regi Patri ſuo renuntiari fecerit per Joab. *Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi eſſe in exilio. Obſecro ergò, ut videam faciem Regis, quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Sic non ſatis erat Davidi à remiſſi ſibi peccati ejúſq; labe emundatum, in gratiam qualemcunq; receptum fuiſſe, niſi in intimam quoq; familiaritatem iterum recepto ea privilegia, & gratiæ reſtituerentur ex aſſe, conſervarentúrque, quibus ante quidem gaudebat, ſed illis jure exciderat, aut privari ob delicta meritò poterat.

Pro his orat v. 13. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Quibus *duo* non ignobiles *confitentis actus* exprimuntur, nempe *decimus*, qui eſt *aſpiratio, & deſiderium recuperandi illa bona* perfectè iterum, quæ per peccatum amiſſa erant, atq; ut in priſtinum familiaritatis ſtatum reſtituatur; hæc porrò exprimuntur per *lætitiam ſalutaris*, ſalutis, liberalitate, & miſericordiâ Dei ſibi promiſſæ, atq; collatæ, veluti ſigna, aut effectus, aut conſectanea illius, cujusmodi eſt filialis quædam in animo fiducia, ex teſtimonio, quod perhibet Spiritus S. de nobis, quo deſup. v. 10. nec non conſcientiæ tranquillitas, & gaudium ſpirituale, quod eſt *regnum* illud *Dei intra nos*, de quo Apoſt. Rom. 14. *Regnum Dei eſt juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* Nam ex juſtitia naſcitur pax, ex pace lætitia bonæ conſcientiæ inſeparabilis comes, quæ eſt illa ſerenitas, & dulcedo mentis, de qua hunc verſiculum interpretantur Eutym. & Bernar. quæ in ipſam corpus ex animo erumpit, & dulci torrente voluptatis, exteriora membra pervadit, *ut cor, & caro exultent in Deum vivum.* Pſ. 83. Inde ſolatia, teneritudines, liquefactiones, lacrymæ, jubili, dulces, & crebræ aſpirationes, & familiaritas cum Deo tenerrimi amoris pleniſſima, cæteræq; conſolationes ſenſibiles, quas ſervis ſuis Deus etiam per miraculum indulget. Sicut de Bernardo Quintavallenſi accepimus, cum deſolatione extraordinariâ afflictus, ingeminaret verſiculum præſentem: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Mox in aëre Angelum comparuiſſe, qui inexplicabili ſuavitate teſtudinem pulſaret. Quod ipſum S. Franciſco ejus Magiſtro in ægritudine poſito accidit.

Has inter ſpirituales lætitias de quarum copiâ, & varietate exclamare magis libet illud Pſ. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te?* Quàm eas enumerando percenſere, quas ſibi reddi flagitat, illa lætitia palmaris eſt, quam habuerat ante de Salvatore, & Meſſia JESU (ut exponunt hunc verſiculum Auguſt. Gregor. Cyrill. Beda, &c.) Quid eſt enim (inquit Greg.) ſalutare Dei Patris, niſi is, qui eſt mediator Dei, & hominum JESUS Chriſtus? juxta lectionem illam, *redde mihi lætitiam JESU tui* déq; ſalute humano generi per eum obventura, de cujus Prophetieâ cognitione, & factis ſibi à Deo revelationibus non ſolùm jucundiſſimè lætabatur, ut verſu ſuperiori inſinuatum eſt, verum multò maximè delectabatur de promiſſione illâ divinâ, quod ex ſua progenie eſſet naſciturus, quam & magnifice

ficè deprædicat Pſ. 131. *Juravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eam, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Illum ſcil. de quo Gabriel Archangelus Luc. 1. *Erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Verum quia jure vereri poterat, ne propter tam fœdum adulterium, & crudele parricidium ſuum hâc gratiâ excideret, ut nunc originem ex tam infami peccatore trahere Meſſias dedignetur, cum præſertim promiſſio illa conditionata videatur, ut ſequens verſus ejusdem Pſalmi indicat: *Si cuſtodierint Filii tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hac, quæ docebo eos,* quæ ipſa quoq; promiſſio Salomoni data fuit, poſt dedicationem templi cum eâdem conditione. 3. Reg. 9. hinc obſecrat humillimè: *Non projicias me à facie tuâ, & Spiritum S. tuum ne auferas à me.* Sed *redde mihi lætitiam JESU ſalutaris tui*, ſeu quam de Meſſia, & Salvatore mundi ex me naſcituro, tam jucundè animo meo ſæpe ante percepi, quando *exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Luc. 1. Etſi enim cæteræ lætitiæ, quas vel ex pace, & puritate conſcientiæ, vel ex tua converſatione, & familiaritate, vel ex conſolatione, & ſolatiis ſpiritualibus mihi toties communicatis, vel ex revelationibus mihi factis percepi, magnæ, & deſiderabiles ſint; hæc tamen una princeps, & præcipua eſt, ut ſic integrè in priſtinum ſtatum amicitiæ tuæ reſtitutum me lætari poſſim.

Iſtud quoq; Confitentis votum, & deſiderium, iſtud genuinum ſolatium, & gaudium eſt, ut per confeſſionem, ſinceràmq; pœnitentiam, non ſolùm pacem, & tranquillitatem conſcientiæ, quæq; inde oritur lætitiam, de ſpe ſalutis recuperet; ut in priſtinum arctioris amicitiæ cum Deo ſtatum ſe reſtituat, & tanquam filius prodigus, in amplexum paternum, amoriſq; oſculum ruat, quiq; mercenarii vix locum exoptabat, chariſſimi filii priſtinis deliciis foveatur, & ad invidiam ſenioris fratris epulo ſaginati vituli, cum Symphonia, & ingenti lætitiâ excipiatur, multiſq; aliis ſolatiis, & paterni affectus clariſſimis teſtimoniis recreetur, adeò *ut gaudium ſit Angelis Dei ſuper uno tali peccatore pænitentiam agente magis, quàm ſupra nonaginta novem Juſtis, qui non pænitentiâ indigent.* Luc. 15. Sed præcipuè, quod reddatur illi lætitia ſalutaris, vel JESU Salvatoris ſui; ut, inquam, fructus meritorum, paſſionis, ſanguinis, & mortis ipſius, quem per peccatum amiſerat, ipſi

per pœnitentiam reſtituatur, magnáq; cum confidentia Deum de illo compellare poſſit. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui*, itémq; communione omnium ſuffragiorum, & bonorum operum Eccleſiæ militantis, ac meritorum omnium SS. & electorum Dei, quibus velut membrum putridum, & emortuum, omníq; influxu à capite cæteriſq; partibus corporis myſtici derivato deſtitutum, pérq; peccatum ſpoliatum, per pœnitentiam verò vitæ, vigoríq; priſtino reſtitutum frui iterum & gaudere incipiat, ut dicere poſſit: *particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Pſ. 118. Unde cum lætitia ad congaudendum ſibi de reſtituto tanto theſauro SS. & electos invitare poteſt: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam* (id eſt, theſaurum meritorum Chriſti, Sanctorúmq; Eccleſiæ ipſius) *quem perdideram.*

Concludit tandem poſtulationes ſuas, illâ omnium maximè neceſſaria. *Et Spiritu principali confirma me*, quâ dono fortitudinis à S. Spiritu corroborari orat adverſus omnes in bonis propoſitis, & deſideriis, adverſariorum tentationes, ac impedimenta ſanctitatis, & ſalutis. Per Spiritum enim principalem, illam S. Spiritûs gratiam videtur intelligere, per quam animus noſter cupiditatibus, perturbationibus, tentationibus, & affectibus inordinatis imperat, juxta rectæ rationis ductum, & legem Dei, quibus qui dominatur, & ſe ipſum vincit, verus victor, Princeps, Rex, & Imperator eſt. q. d. magni id quidem muneris loco ducam, ſi in priſtinum amicitiæ ſtatum reſtituto *reddas mihi lætitiam ſalutaris tui*, juxta expoſitionem factam. Quid enim jucundius, quàm delectari ſolatiis, & multitudine dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te? Quid auguſtius, & honorificentius, quàm Chriſti Meſſiæ, & Salvatoris mundi progenitores inter numerari? Veruntamen iſtud velut beneficiorum coronidem, ad ſummam cæterorum præcipuè depoſco, *ut ſpiritu principali confirmes me.* Sine hoc enim, quid prodeſt tuâ miſericordiâ à labe ſemel peccati elutum, mundatum, & ſuper nivem dealbatum Spiritûs S. gratiâ exornatum fuiſſe, ſi Spiritu principali conſtantiæ non confirmeris in his omnibus? Nam & ipſe Salvator Chriſtus beatificanti matrem ſuam mulierculæ, quod eum utero portaſſet, & uberibus lactaſſet ſuis reſpondit, beatiorem illam, cæteróſq; omnes pronuntians, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Luc. 11. & hos denique fratrum, ſororum, parentum, & agnatorum loco habendos, *qui fecerint voluntatem Patris ſui.* Matt. 12.

Atq; hic *Confitentis actus ultimus*, præcipuúsq; eſto: *generoſum propoſitum reſcindendi univerſa, quæ à Deo ad peccatum abducere poſſint*, ſéq; in his omnibus heroicè vincendi ſemper, & naturæ inclinationibus repugnandi viriliter, atq; ad iſtud Spiritu ſe principali, & dono fortitudinis expoſcere corroborari, ne unquam in peccatum recidat.

Pro *Spiritu principali* in Hebræo legitur *Spiritu munifico*, ſeu *liberali*, vel *Spiritu Principe, & ſpontaneo*; verùm ſententia, ſenſúq; non variatis. Idem enim Spiritus principalis, qui vincere pravas inclinationes ſuâ nos virtute facit, facit etiam ut animo ſpontaneo, prompto, atq; liberali divinis nutibus obtemperemus, & principali munificentiâ erga Deum liberales nos exhibeamus, eundem tanto erga nos liberaliorem viciſſim experturi, idq; tam in vitandis peccatis minimis, quàm aggrediendis maximis, & ſupererogatoriis perficiendis. Quibus noſtrum erga Deum obſequium, ac profectum metiamur, oportet nequaquam autem favoribus illis, ſpiritualibúsq; conſolationibus, ac lætitiis ſenſibilibus. Debet ergò (documentum Pepini eſt) devotus Catholicus poſtquam eſt ritè confeſſus, de præteritis peccatis, orare Dominum, ut eum præſervet à futuris malis, dicendo corde humili, & devoto. O Domine Deus, tibi gratias ago, quia cum eſſem dignus æterno ſupplicio, tuâ miſericordiâ, & benignitate remiſiſti iniquitatem peccati mei. Quoniam non poſſum à peccato me continere, niſi tu ipſe dederis, ideò ſupplex oro dicens cum Regio Propheta: *Spiritu principali, ſeu Spiritu fortitudinis*, qui eſt Spiritus Sanctus, *confirma me*, videlicet præſervando me à recidivo mortalis culpæ, vel confirma me in bono incepto, ne cadam vento tentationis ſc. ne ſim de illis, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*. Luc. 8. *Velut arundo vento agitata*. Matth. 11. *Sed confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*. Pſ. 61. *Infirma noſtri corporis, virtute firmans perpeti*.

Affectus Gaudii. Ex Albert. Mag.

In Pſalm. 50.

O Vox exultationis, & ſalutis (*abſolvo te, vel remittuntur tibi peccata tua*, per quam redditur nobis lætitia ſalutaris tui) O ſona quæſo in auribus meis! tu enim es vox valde ſonora, & dulcis, & facies ſonantis valde decora. O Domine Deus meus, audiam ta-

„ cens, quid loquatur in me Spiritus tuus, quoniam loquitur pacem in „ plebem ſuam. O Piiſſime Deus, da auditui meo illud gaudium, & „ lætitiam, quam dediſti Mariæ Magdalenæ, quando audivit te dicen- „ tem: *Mulier remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* Audiam, „ quod audivit mulier in adulterio deprehenſa, videlicet: *nec ego te* „ *condemnabo, vade, & amplius noli peccare.* Audiam, quod audivit „ latro in cruce pendens, clamans, & dicens: *Memento mei Domine,* „ *dum veneris in regnum tuum*, cui mox reſpondiſti, dicens: *Hodie* „ *mecum eris in paradiſo. Redde mihi quoq; hanc lætitiam ſalutaris tui,* „ *& auditui meo da gaudium illud, & lætitiam,* ut *exultent nunc,* & in „ hora mortis, hîc & in æternum *oſſa mea* per peccatum *humiliata, ac* „ *deniq; Spiritu principali confirma me.*

Punctum III.

CONſidera actus tertiæ partis Pœnitentiæ, ſeu Satisfactionis. Inter quos primus & nobiliſſimus eſt Reparatio læſi honoris Majeſtatis per contrarios actus iis, per quos eam offenderamus, idq; tum juxta Apoſt. conſilium Rom. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*, tum juxta exempla Sanctorum Pœnitentium ex Evangelio, ut Zachæi Publicanorum Principis Luc. 19. ex injuſtâ cupiditate bonorum temporalium reſipiſcentis: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Et illius præſertim ſpeculi, & exemplaris Pœnitentium Magdalenæ, quæ proſtrata ad pedes Salvatoris, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*, inſtrumentis illis, membríſq; corporis uſa ad pœnitentiam, quibus ante abuſa ante vanitatem, luxúmq; fuerat. Simile ſatisfactionem pœnitens David ante omnia ſibi adhibendam putavit, quare

Docebo, inquit v. 14. *iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*, qui eſt fructus juſtificationis ex peccato proficiſcens, & in gloriam Dei, multorúmq; ſalutem redundans adeò *diligentibus Deum*, ac prædeſtinatis, *omnia cooperantur in bonum*, ut etiam ex eorum malis, & peccatis tanta bona eliciat Deus.

Eſt porrò ille fructus pœnitentiæ ad tollendum omnem pœnæ reatum

reatum appoſitiſſimus, non ſolùm generali illo titulo, quem S. Jacob c. 5. his indicat: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore via ſua, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum* (quod Caſſiodorus accipit de propriis peccatis) ſed titulo etiam ſpeciali reparationis violati juris, tam divini, quàm humani quaſi debitus.

Exerraverat enim David non ſolùm ipſe à via Dei, ut fatetur Pſ. 118. *Erravi ſicut ovis, quæ periit, quare ſervum tuum.* Sed in eundem ſecum errorem, peccatúmq; etiam traxerat alios ſcandalo, ſive Bethſabeam in ſocietatem ſceleris pelliciendo; ſive ſubditos pravo exemplo ſcandalizando; qui in ſimilia flagitia imitatione Regis ſui (cujus ad normam ſe facilè componunt ſubditi) ſe præcipitare poterant, ſive deniq; hoſtes, vicinásq; gentes, provocando ad blaſphemandum legem, cultúmq; veri Dei, propter quod audivit 2. Reg. 12. *Blaſphemare feciſti nomen meum*, ex quibus offenſa, diviniq; honoris violatio, & injuria non ſimplex profecta eſt. Hæc ut reſarciret, convenientiſſimum hoc medium ſibi propoſuit, promiſitq; Deo à ſe aſſumendum: *Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.*

Et præſtitit ſanè non minus efficaciter, & fideliter, quam promiſit liberaliter, quod clarum evadet, ſi conſiderare volueris, ſive perſonam docentis, ſive modum, ſive tempus docendi, ſive auditores, & diſcipulos, ſive ſubjectam doctrinæ materiam, ſive fructum, & profectum, quæ verſiculo hoc continentur: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.*

Et quod ad Primum quidem attinet, novus Doctor eſt David, ille, inquam, ſtrenuus in bello miles, alterâ manu gladium Gigantis, alterâ demeſſum caput Goliathi præferens; ille in acie cataphractus Dux, & Imperator, illuſtris tot victoriis; ille Rex Hieruſalem, & Iſraël purpuratus; ille Pſaltes inter choros muſicorum Princeps, ille Propheta occultiſſimorum à Deo myſteriorum revelationibus clarus, nunc armis depoſitis, abjecto ſceptro cum purpura, decachordo cum cithara relictis, Prophetarum, & Muſicorum choris deſertis, profeſſionem auſpicatur novam, cathedram conſcendit: *Docebo iniquos vias tuas*, inquiens, *quia tibi ſoli peccavi.* O oblationem pro ſatisfactione convenientiſſimam: nam *qui converti fecerit peccatorem ab errore via ſua, operiet multitudinem peccatorum.* Jac. 2. O Doctorem aptiſſimum, qui quæ non theoria, ſed experientia didicit, in propriis malis ſaluberrima

rima traditurus præcepta eſt: ſolent enim medicamenta, & documenta illa eſſe efficaciſſima, quæ ſuis in morbis experti medici in ſe ipſis fuerint extitiſſe maximè proficua.

Si docendi methodum, rationémq; conſideremus: ea duplex eſt. Nam docet tum vitâ, & exemplo; tum doctrinâ, & verbis: & primam docendi rationem præmittit, quæ præclariſſima eſt (nam Seneca teſte, breve iter per exemplum longum per documenta) peccatum proprium agnoſcit, deteſtatur, confitetur, deprecatur, plectit, & ſe veræ pœnitentiæ ſpeculum exhibet, non coævis ſuis ſolùm, ſed poſteritati univerſæ. Unde non abſimilis perhibetur Mathematicis, qui propoſitiones ſuas demonſtrant, per expreſſas figuras, & Citharædis, & Choragis, qui pulſandi, & tripudiandi artem, digitis ipſi ſuis, pedúmq; motu tradunt. Sic pœnitentiæ Doctor documenta ſua non atramento, ſed lachrymis; non præceptionibus, ſed ſingultibus; non in tabulis chartaceis, ſed in ſpiritualibus cordis contriti actibus legenda exhibet.

De altero modo doctrinæ, & prædicationis quid attinet dicere? quod vitium eſt, quod ſuis in Pſalmis non perſtringit, & contra illud ſalutaria remedia non præſcribit? aut quæ virtus, ad quam non adhortatur, ejúsq; exercendæ modum, & documenta non tradit?

Auditores porrò hîc iniquos, & peccatores ſibi delegit. *Docebo iniquos vias tuas,* non quod deſit cæteris. Nam docet incipientes timorem Domini conſervare, & exercere. Pſ. 33. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos,* & proficientes progredi de virtute in virtutem. Pſ. 83. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, ibunt de virtute in virtutem.* Et perfectos lætari, & ſperare, & exultare in Domino, illiq; intimè conjunctos eſſe: *Exultate Juſti in Domini.* Pſ. 32. & Pſ. 5. *Lætentur omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.* Et docuit ſanè ſuâ ſapientiâ ſapientes; ſuâ ſanctitate Juſtos; ſuâ confidentiâ in Deo ſperantes; ſuâ charitate Deum diligentes: ſed ſicut periculoſis in morbis libentiùs ſæpè remedia, quæ proprio experimento didicerunt, aliis communicant homines, iis præſertim, qui iiſdem in periculis verſantur, ita pœnitens David ſuâ pœnitentiâ, quam malo ſuo, experimentóq; didicerat, docere iniquos pœnitere voluit, ſi quibus præſertim cauſa peccati aliqua extitiſſet, & ſi quos exemplo læſiſſet, eoſdem ſuo iterum exemplo reſtauraret, non ignorans inſuper illud Chriſti reſponſum Phariſæis expro-

probrantibus factum, cur cum Publicanis, & peccatoribus veſceretur, *quia non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus, & non veni vocare Juſtos, ſed peccatores.* Matth. 9.

Porrò doctrinæ, quam docet iniquos, materia ſunt *viæ Domini, docebo iniquos vias tuas.* Sed quas illas? Explicat eas ipſe Pſ. 24. inquiens, *univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Has enim tam verbo, quàm exemplo ſuo poſteris luculentiſſimè manifeſtavit, dum velut ſpeculum divinæ *juſtitiæ*, & *miſericordiæ* eum Deus omnibus voluit eſſe propoſitum. *Miſericordiæ* quidem eo quod tam gravia adulterii, & homicidii flagitia ad unam vocem, *peccavi Domino*, clementiſſime ei condonarit, quoad reatum culpæ, etiam priſtinam gratiam recepit. *Juſtitiæ* verò, dum graviſſimis ſuppliciis temporalibus eadem delicta iſta nihilominus caſtigarit, quoad reatum pœnæ.

In prima itaque via, docet David miſericordiam Dei exhibendo ſuis auditoribus, hinc magnam ingratitudinem ſuam in peccando, inde verò majorem Dei clementiam in peccato remittendo; hinc ſuos errores, inde Dei erga ſe favores; hinc admiſſas multiplices culpas, inde quibus excidere ob illas merebatur, conſervatas nihilominus ſibi gratias. Hinc adulterii labem, parricidii enormitatem, obſtinationis pertinaciam, ſuâ ex parte: inde verò ex parte Dei miſerationum multitudinem, paternam injuriarum oblivionem, offenſarum liberalem condonationem, & in ſtatum priſtinum reſtitutionem. O viam miſericordiæ, & miſerationum amplectendam, & venerandam! ſed non ſine via Juſtitiæ, quæ juxta poſita, ſuppliciorum virgas, & pœnarum flagella abolendo peccato debita intentat, & ingeminat; Hinc mortem filii illegitimi, conjurationem ſuorum erga ſe Principum, perfidiam ſibi ſubditorum, Abſalonis rebellionem, inde ſuam è regio ſolio ejectionem, calumnias, dicteria, opprobria invidorum, uxorum proſtitutionem, & violationem, filiorum geminorum Amon, & Abſalon interfectionem, & funera, cladem ſubditorum, & peſtilentiæ ſtragem. Atq; inter hæc ſuos gemitus, dolores, lachrymas, culpæ agnitionem, & deteſtationem, veniæ petitionem, ſui ipſius caſtigationem, & ſatisfactionis ſtudium, humiliationem, abjectionémq; propriam, ſub Dei ſe plectentis manu, acceptationémq; filiali cum reſignatione quorumcunque ſuppliciorum. Ecce viam Juſtitiæ, quam exemplo docet, & commonſtrat: *Docebo iniquos vias tuas, & miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* Pſ. 100.

Inter expoſitores hujus Pſalmi ſunt, qui per vias Domini intelligunt ejus mandata, per hæc enim ingredimur viam ad vitam, conformiter Chriſti reſponſo: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 13. Hæ viæ duplici ſunt in differentia, nam aliæ vitia prohibent, aliæ ad virtutes impellunt, ſecundum principium illud generale, *declina à malo, & fac bonum.* De quibus ſupra dixi, non eſſe vitium, quod fugiendum non doceat: nec eſſe virtutem è contrario, ad quam amplectendam non excitet Doctor Regius ſuis in Pſalmis, ut iter ad Cœlum expeditum, planúmq; pandat, quod tum plurimis ubiq; in Pſalmis, tum compendio, & ex inſtituto agit Pſ. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. qui ingreditur ſine macula, & operatur Juſtitiam, &c.* Ut vel idcircò promiſſionem ſuam *docebo* non *iniquos* tantùm, ſed bonos etiam *vias tuas* cumulatiſſimè præſtet.

Alii per vias intelligunt opera Dei, per quæ ad nos Deus deſcendit, & ad ipſum nos aſcendimus, cognoſcendo & amando, vel paſſibus intellectus, & affectus. Talia præſertim opera ſunt magnalia, & eximia beneficia Dei, quæ ſive in Veteri, ſive in Novo Teſtàmento admirabiliter populo ſuo demonſtravit, & quaſi compendio complexus eſt ſuis in Pſalmis David, ut in iiſdem univerſam Scripturam videatur concluſiſſe, ut obſervat S. Athanaſ. epiſt. ad Marcell. quæ cauſa videri poteſt, cur Eccleſia Pſalterii uſum in Eccleſia tam frequentem eſſe voluerit, ad ea cum animis noſtris recolenda.

Nam de creatione mundi, & Cœlorum, ex Geneſ. tractat Pſ. 32. *Verbo Domini Cœli creati ſunt.* Et Pſ. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* De productione, & dignitate hominis, & univerſarum creaturarum ſubjectione ſub pedibus ejus Pſ. 8. *Domine Deus noſter*, &c. De Iſraëlitici populi in Ægyptum ingreſſu, & egreſſu inde, prodigiiſq; quæ ibi acciderunt juxta Exodum, narrat Pſ. 47. 67. 103. & 104. De ceremoniis ſacrorum, præceptis, & judiciis juxta Libros Numerorum, Leviticum, & Deuteronomium. Pſ. 28. memorat. Plurima Dei beneficia in populum ſuum congeſta perſtringit Pſ. 77. *Attendite popule meus legem meam.* Quid proferam Veteris Teſtamenti cætera?

Novi autem Teſtamenti vias, & myſteria de Chriſto Salvatore quàm luculenter declarat? De perſona, & virtutibus ejus Pſ. 44. ubi etiam de Eccleſia Sponſa ejus; de adventu illius, & legis veteris per eum abrogatione, novâ lege gratiæ ſubſtitutâ. Pſ. 47. & 49. de myſteriis vitæ

illius.

illius. Pſ. 71. De ejus per ſe, & Apoſtolos prædicatione. Pſ. 2. & 44. De ejuſdem paſſione, perſecutione, & morte. Pſ. 21. De reſurrectione, & gloria ejus. Pſ. 15. De regno ejus. Pſ. 2. Singula quid percenſeam, quibus vias Dei omnibus manifeſtas reddit?

Atq; hanc doctrinam viarum Dei non ſolùm tot jam ſæculis evolutis expoſuit Regius Doctor, ſed tradit adhuc dum, & porrò explicabit in finem usq; mundi. *Docebo iniquos vias tuas* ubicunque, & quandocunque Pſalmi ejus præſertim 50. hic in Eccleſiarum, templorúmque Choris, & Odeis, in Concionatorum Exedris, in Doctorum cathedris, in Pœnitentium confeſſionalibus, in exhortationum ſubſelliis, in Piorum cœtibus, in Privatorum oratoriis, in Domeſticis conclavibus, & cubiculis, in orationibus, meditationibus, lectionibus decantabitur, prædicabitur, recitabitur, exponetur, expendetur, conſiderabitur, ruminabitur. Adeò implevit David quod promiſit: *Docebo iniquos vias tuas.*

Neq; hoc ſolùm, aliísq; pſalmis docuit has vias S. Pœnitens, ſed veriſimile quoq; eſt, poſt reparationem ſuam, multis prædicaſſe divinam indulgentiam, atq; pœnitentiam exhortatum fuiſſe.

Verum, quod ultimum eſt, quo fructu auditorum, aut quo profectu diſcipulorum? *Et impii ad te convertentur.* O quanti peccatores, hujus documento, exemplóq; Doctoris ad Deum ſuum converſi pœnitentiam egere? Quantíq; impii ad eundem convertuntur adhuc, & convertentur impoſterum, quorum exempla quis animo pervolvat, nedum ut recenſeat? Unum attigiſſe ſit inſtar omnium, quia huc facit, Imperatoris Theodoſii, qui cum ob cædem Theſſalonicenſium à S. Ambroſio à ſacris templorum adytis excluſus etiam Davidem peccaſſe in excuſationem delicti prætenderet, à ſancto Præſide, *qui ſecutus es peccantem, ſequere etiam pœnitentem* audiit, & obaudiit; nam purpura depoſita, indutus humili pœnitentis amictu, ad imas templi aras proſtratus, acerbè increpitus, ſuis coram ſubditis humi jacuit Imperator, donec communioni fidelium reſtitueretur, imitatus non magis peccantem, quàm pœnitentem David, tanto rariori exemplo, quanto illuſtriori erat in honore. Nam ut idem S. Ambroſ. apolog. David. l. 1. cap. 4. rectè obſervat; *peccavit David quod ſolent Reges, ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod non ſolent Reges (omnes) confeſſus eſt culpam, obſecravit indulgentiam humi ſtratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confeſſionis ſuæ teſtimonium in perpetua ſæcula vulgato dolore*

tranſmiſit, atque ita promiſſionem ſuam exolvit, *docebo iniquos vias tuas*, ejusq; fructum obtinuit iſtum etiam in Regibus, & Imperatoribus, *& impii ad te convertentur*.

Alterum ſatisfactionis propoſitum eſt exaltandi, & deprædicandi Dei Juſtitiam, vel promovendi cultum divinum, ut ſicut ad reſarciendum ſcandalum docere impios, & ad Deum convertere ſtatuit verſ. ſuperiore, ita ut divinam offenſam, & injuriam ſatisfaciendo reſtauret divinum ſe cultum promoturum hoc verſu proponit: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exaltabit lingua mea juſtitiam tuam*. v. 15.

Quoniam verò partim Doctori: partim laudatori neceſſarium eſt, ut à culpa ſit immunis, ne exprobretur ei: *Medice cura te ipſum*, *ejice primo trabem de oculo tuo*. Luc. 6. Nam turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum, & quia objici etiam illi poterat à Deo iſtud: *Quare tu enarras juſtitias meas, tu qui odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum*. Pſ. 49. *Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*. Eccl. 15. Petit ante omnia illam ab omni culpa immunitatem, *libera me de ſanguinibus ſeu peccatis*. Nec mirum videatur, quod eandem orationem toties factam: *Miſerere mei, dele iniquitatem meam: Lava me; munda me*, &c. Hic iterum repetat, quia quicunq; inter anguſtias dolorum loquitur, de ordine verborum non laborat, ſed inculcat, replicat, regerit, quæ affectus ei ſuggerit, & ob eundem exceſſum affectus lachrymatur, plangit, & ſuſpirat magis quàm loquitur. Ad hoc itaque, ut, tum quoad proximos, docendi promiſſionem; tum quoad Deum, promovendi cultum ejus exequi poſſit orat: *Libera me de ſanguinibus* Deus, (S. Aug. interprete) *à peccatis*, prout illud Iſai. 1. *Manus veſtra ſanguine plena ſunt* explicat S. Greg. unà cum gl. & Oſe. 4. *Sanguis ſanguinem tetigit*, peccata peccatis accumulata ſunt. Præſertim verò per ſanguinem duplex peccati genus ſignificatur, luxuriæ, & homicidii, cujus utriusq; reum ſe David agnoſcebat, & ultimi præſertim, quod vindictam contra ſe clamare apud Deum, & homines non ignorabat. Sicut de ſanguine Abel ajebat ad Cain Deus. Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Ubi, ſicut Hebr. hoc loco habet: *de ſanguinibus* numero multitudinis pro *de ſanguine*, ita pari modo idem Hebr. vox *ſanguinum* legit, ad explicandam energiam occiſionis valde enormis, qualis utroq; in exemplo eſt, quaſi dicere velit:

multi

multi ſanguinis Uriæ, qui à me injuſtè fuſus clamat ad te, & vindictam contra me expoſcit. Videbat enim animo illum ſanguinem contra ſe ſtare, & ſe impedire in his, quæ in ſatisfactionem Deo offerebat. Unde liberari ſe orabat ab hoc terribili ſpectro, ſeu de *ſanguinibus* illis:

Quare etiam geminatâ voce inclamat *Deus, Deus ſalutis meæ*, aſſertor ſalutis, vel Salvator meus contra geminum ſanguinis peccatum ſcil. Deus aſſertor ſalutis contra adulterium: & Deus aſſertor ſalutis meæ contra homicidium.

Et exultabit lingua mea juſtitiam tuam. Hæc altera ſatisfaciendi promiſſio eſt, cujus ſenſum non ſatis dilucidum reddunt duo verba hæc: *Exultabit juſtitiam* tuam. Cum enim pœnitens Rex ab initio Pſalmi miſericordiam ſemper implorarit, & ad tribunal ejus à tribunali juſtitiæ appellarit, atq; etiam ab ea exauditus, veniam, & remiſſionem conſecutus, lotus, & à peccato emundatus ſit, cur non gratus erga illam potius dicit: laudabo, & exaltabo miſericordiam, & bonitatem, charitatem, clementiam tuam quam Juſtitiam tuam? Hanc difficultatem præſcindit Symmachus idcircò legendo, *exultabit lingua mea* (non juſtitiam, ut vulgata habet) ſed *miſericordiam tuam.* Sed ut vulgatæ adhæreamus, inter expoſitiones varias duæ propoſito noſtro convenientiores ſunt. Altera, ut per juſtitiam intelligamus, cultum Deo per religionem à nobis debitum, quem non ipſe ſolum exhibiturus ſit, ſed apud alios etiam promoturus, idq; cum exultatione ſuâ, & gaudio; ſeu voluntate promptiſſimâ, in quo eſſentialis conſiſtit devotio. Sicut enim per virtutem aliquam ordinamur rectè erga homines, ut reddamus cuique quod ſuum, ſeu quod ei debitum eſt, quæ Juſtitia dicitur. Ita non minus per ſimilem reddimus Deo, quod ipſi debemus: juxta Chriſti Servatoris pronuntiatum: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Matth. 22. Hæc virtus religio propriè dicitur, cujus munus eſt in reddendo Deo cultum debitum occupari, quæ latè, amplioriq; acceptione ſumpta Juſtitia dici poteſt, eò quod reddat Deo, quod ei debetur à nobis, qui eſt honor, cultus, & obſequium omne, ad quod titulo creationis, & finis noſtri ultimi obſtringimur: Senſus itaq; eſt: *Exultabit lingua mea juſtitiam tuam*, magnâ cum devotione (quæ eſt prompta voluntas) imò cum lætitia, & exultatione juſtitiam tuam, ſeu cultum divinæ Majeſtati tuæ debitum (ita enim religio pro objecto ſuo ſæpe ſumitur) propagabo, promovebo, & deprædicabo, ut omnes te

agnoſcant, te venerentur, te ament, te colant, tibi ſerviant, atq; in hoc delectabor, gaudebo, & exultabit lingua mea, ut ſicut per peccatum divinum tuum honorem violavi, ita per deprædicationem, & dilatationem divini cultûs tui, omni modo meliori, & poſſibili eum reſtaurem. Quod iterum convenientiſſimum ſatisfactionis genus, & medium eſt. Altera S. Greg. & S. Auguſt. expoſitio eſt, ut per Juſtitiam intelligatur Fidelitas Dei in ſervandis promiſſis, quæ pars quædam ſubjectiva Juſtitiæ eſt. De hac promittit: *Exaltabit*, ut alia Lectio habet, pro *exultabit lingua mea Juſtitiam tuam.* Duplici titulo, tam ob generalem promiſſionem omnibus peccatoribus factam de peccati remiſſione, & receptione in gratiam, ut primum per pœnitentiam reſipuerint, de qua ſupra; tum ob ſpecialem Davidi à Deo datam, & poſteris ipſius, ſi quando fortè deliquerint, correpturum ſe eos, tunc quidem, non tamen privaturum divinâ clementiâ ſuâ, 1. Par. 17. *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo.* Hinc ergò ſic ſupplicat: Fac Domine, ut à peccatis, vel ſanguinibus liberatus in tuam gratiam reſtituar: juxta promiſſa, *& exaltabit lingua mea* hanc *Juſtitiam tuam*, & toti mundo veracitatem, fidelitatémq; tuam deprædicabit, unde eveniet, *ut impii*, & peccatores alii etiam *ad te convertantur.*

Quibus contenti expoſitionibus, non habemus opus recurrere ad identitatem Miſericordiæ, & Juſtitiæ, cæterorúmq; attributorum inter ſe, & cum Deo: Vel ad quendam harmonicum concentum, quæ inter Juſtitiam, & Miſericordiam à nonnullis ſtatuitur, ut ſine altera, altera non audiatur, ideoq; *miſericordiam ſimul & judicium cantare Deo oporteat* pœnitentem. Pſ. 100. Vel ad perfectionem Dei infinitam, ejúsq; ſanctitatem, quæ generali nomine, ſicut in hominibus, ſic in Deo Juſtitia dicitur; quam ſe exaltaturum, vel cum exultatione deprædicaturum univerſis promittit. Quod quam in Pſalmis præſtiterit, abundè ante vidimus. Quanquam hæc inter ſe in concordiam vocare operoſum non ſit.

Illa tamen Card. Bellarm. expoſitio prætereunda non eſt, qui ſicut per liberationem à ſanguinibus intelligit remiſſionem reatus pœnæ, ob homicidium Uriæ (cujus ſanguis vindictam clamabat, & exigebat) idq; per merita Chriſti prævisi, quem aptè geminato Dei nomine, quaſi duplici titulo Deum ſuæ ſalutis appellat *Deus Deus ſalutis meæ.* Sicut nunc per merita ejusdem Chriſti re ipsâ exhibiti omnis ſalus nobis obtin-

ungit; Hæc merita Juſtitiam appellat, quia per ea rigeroſâ juſtitiâ ſatisfactum eſt, ut idcircò meritum Chriſti exquiſitiſſimè Juſtitia ſit, & dicatur: in qua Juſtitia, & in Deo Jesu, vel Deo ſalutis ſuæ promittit ſe exultaturum non Spiritu ſolùm (cum Filia ſua ſanctiſſima Dei Genitrice, *& exultabit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Luc. 1.) ſed etiam linguâ, *exultavit lingua mea Juſtitiam tuam.*

Hæc ubi Propheta cum animo propoſuiſſet, imò Deo in ſatisfactionem promiſiſſet, recordatus ſuæ infirmitatis, & impotentiæ; quod ſine gratia Dei, nec Doctorem iniquorum, nec Prædicatorem Juſtitiæ exhibere poſſit, eam humillimè exorat, tum ad duos jam prædictos, tum ad tertium actum ſatisfactionis.

Domine labia mea aperies (pro aperi, poſito futuro pro præſenti Imperativo, uſitato hebraiſmo) *& os meum annuntiabit laudem tuam.* Quis enim dignè poſſit hoc exequi, niſi Deus per gratiam ſuam aperiat os locuturo, & verba, & vim in dicendo ſuppeditet?

Eſt ergò *Tertium ſatisfactionis medium atq; actus*: Laus Dei, ut præſertim ore, labiiſq; profertur; eatenus enim agnoſcit ſatisfactoriam S. Thom. 2.2. q. 83. a. 12. complectitúrq; orationem vocalem, *os meum annuntiabit laudem tuam.* Et licèt gratia Dei ad omnia opera bona perquam neceſſaria, & imploranda nobis ſit, id tamen vel maximè neceſſum eſt ad Orationem: tum quia quid oremus ſicut oportet neſcimus, teſte Apoſt. quia triplici cum adverſario certamen habet ſuſceptum orans, ſcil. cum Dæmone, ejúsq; fœderato commilitio, ſecum ipſo, & cum Deo, ut ideò cum Jeremia c. 1. ter ingeminare jure poſſit, *A, A, A, Domine Deus neſcio loqui.* Et cum Eſai. c. 5. agnoſcere, & confiteri, *quia vir pollutus labiis ego ſum,* ut calculi ignei, vel carbunculi contactu à Seraphino aliquo os, labiáq; purificari opus habeant ad conſequendam Dei promiſſionem illam Soph. c. 3. *Reddam populis labium electum, ut invocent in nomine Domini.* Imò verò etiam ut linguâ noſtrâ velut inſtrumento utatur, eam moveat, in ea verba, laudéſq; ſuas efformet. Veluti David Pſ. 44. ait: *Lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis* Sancti Spiritûs ſcil. & Chriſtus promiſit ſuis Matth. 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loloquitur in vobis. In hoc enim clamamus: Abba Pater, & ille nos docet orare gemitibus inenarrabilibus.* Illius influxum expreſſit S. Apoſt. Cor. 13. *An experimentum quaritis ejus, qui in me loquitur.* Hæc cum

non

non ignoraret S. David, rogavit non ſolùm emundari ſe, labiáq; à peccatorum ſanguinibus, *libera me de ſanguinibus*, &c. ſed etiam gratiâ cœleſti perfici, ad laudem Dei concinendam: *Domine labia mea aperies.*

Quibus verbis Veteres Hebræorum Patres cujusq; precationis initio utendum decreverunt. Si Genebrardo credimus; quos Eccleſia Chriſtiana imitatur ſaltem initio officii matutini, ut hoc verſiculo excitati, velut ad militarem teſſeram, ac claſſicum *Chori caſtrorum* Sudamitis Salomonicæ Cant. 7. quæ eſt Eccleſia militans in terris ad laudandum Numen divinum ſe accingant, adeoq; rectè præmittitur ceu primitiæ devotionis, index Scopi, & finis Pſalmodiæ, primus laudis Dei apparatus, Hymnodiæ Chriſtianæ proœmium, & exordium orationis noſtræ, quod Deum reddat benevolum, Chorum Pſallentium attentum, populum Chriſtianum docilem, ſitq; velut myſticus gallus, & tuba matutinæ comprecationis, excitator dormientium, increpator ceſſantium, propulſator hoſtilium, devotionis impugnationum. Cujus vices cæteris in horis explet, qui mox huic ſuccenturiatur in matutino. ℣. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina*, quem etiam verſiculum, admirandæ efficaciæ, & virtutis Iſaac Abbas apud Caſſianum pronuntiabat. Tanto nempe apparatu opus eſt ad *medium* illud *ſatisfactionis Tertium. Et os meum annuntiabit laudem tuam.*

Quæ annuntiatio in divinis litteris per ſeptem verba, quaſi ſeptemplici voce, & ore perhibetur fieri, quas ſeptem tubas myſticas Jubilæi Bonaventura appellat, dum nimirum dicimur *laudare Deum*, agnoſcere eum, & prædicare in quibuscunq; laudabilem; in Creatione Potentem, in Gubernatione Providum, in Redemptione Clementem, in Juſtificatione Longanimem, in Suppliciis Juſtum, in Proëmiis Liberalem, in univerſis Creaturis immensâ laude dignum. 2. *Benedicere*, quod eſt bona illi velle, & quia nullis caret, ſed omnibus affluit Deus, hæc ipſa, quæ in Deo reperimus, intimè ipſi favere, & gratulari; & in immenſa abundantia omnium bonorum, quæ poſſidet, lætari, & exultare. 3. *Magnificare*, magnalia ejus, & admiranda beneficia, atque opera magnificè extollere, agnoſcendo nos ea attingere non poſſe. 4. *Exaltare*, & *ſuperexaltare*, ſeu ſuper omnes res hujus mundi, Cœlósq; ipſos extollere, cæteráq; omnia velut atomos participatorum bonorum divinorum

rum agnoſcere. 5. *Glorificare*, quod eſt longè, latéq; poteſtatem ejus divulgare, perfectiones glorioſè evehere, illiúsq; in omnibus gloriam quærere, *glorificantes Dominum, quantumcunq; poteritis, ſupervalebit enim adhuc.* Eccl. 43. 6. *Confiteri*, vel coram omnibus edicere laudes ejus, notásq; univerſo orbi reddere. Deniq; 7. Illum *Honorificare*, quod ſonat exhibitionem reverentiæ ſummo enti, majeſtati, & Bonitati debitam, dum nempe Deum adoramus, ſuprema adoratione, interno, externóq; cultu *latriæ*. Quod divinæ laudis annuntiandæ Septicinium Davidicum Eccleſia inſeruiſſe videtur angelico jubilo ſuo, in miſsæ officio decantari ſolito: *Gloria in excelſis Deo. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, &c.*

Ex quibus iterum colligere eſt, quàm nobile, & gratum Deo ſatisfactionis genus Propheta offerat: *Os meum annuntiabit laudem tuam.* Quod honorifico ſacrificii titulo paſſim à Scriptura decoratur, imò ſacrificiis antiquis antefertur. Pſ. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis. Sacrificium laudis honorificabit me.* Unde ad illud potiùs hortatur Deus per Oſeam c. 14. *Tollite vobiscum verba*, non armenta taurorum, inquit Chryſoſt. aut greges pecudum, aut modios farinæ, *ſed tollite verba* (verba ſcil. humilis confeſſionis, & laudis) *& convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum (vitulos*, inquam, qui dignitate victimas alias omnes ſuperabant, & *labiorum*, laudes Dei, & gratiarum actiones, ut S. Hieron. exponit) & S. Paulus Hebr. 19. *fructus labiorum* juxta LXX. legit, dum ſic eos hortatur: *Per ipſum ergò offeramus hoſtiam laudis, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Proponamus ergò cum David Pſ. 68. *Laudabo nomen Domini cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo ſuper vitulum novellum cornua producentem & ungulas.* Et oremus cum devoto Alberto, in hunc verſum: *Ergò Domine, qui olim aperuiſti os Zachariæ Prophetæ, & qui aperuiſti diſcipulis tuis ſenſum, ut intelligerent Scripturas, qui ſimiliter aperis indies labia infantium, & lactentium, atque linguas eorum facis eſſe diſertas: qui deniq; aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit labia mea, non quidem ſolùm labia corporis, ad confitendum tibi, ſed dentes, & labia cordis mei, quæ ſunt ejus deſideria, & voluntas, aperias: ut ſcilicet dignè te poſ-*

ſim laudare, ne claudas ora canentium te Domine. Quod ſi feceris, certè os meum, tam cordis quàm corporis, quod prius annuntiavit blaſphemiam, detractiones, turpiloquia, & alia peccata, annuntiabit laudem tuam: videlicet quod me creaſti, quod me creatum, & genitum per baptiſmum regeneraſti, quod regeneratum, & in peccata ſæpe relapſum, non dereliquiſti, ſed pœnitentem ad te revocaſti, & revocatum mundaſti, quod me per tuam gratiam viſitaſti, quod perſeverantem corona Juſtitiæ, quam perſeverantibus præparaſti, coronabis. Hæc eſt ergò multiplex laus, quam os meum tam interius, quàm exterius annuntiabit de te, qui major es omni laude, & ideò nemo te perfectè poteſt laudare, niſi tu ipſe. Attamen Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Quartum ſatisfactionis Davidicæ genus, ſunt ſacrificia, & holocauſta legalia in Levitico præſcripta, variiſq; Scripturæ locis, ad quæ paratiſſimum ſe quidem fore oſtendit, ſi ea placerent Divinæ Majeſtati, & niſi alia ſuppeterent, quæ magis placerent. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis.* Quibus duplicem quaſi per anteoccupationem reſpondet.

Ut ſi quis ſibi objiciat. 1. Quomodo, O Rex, non offers Deo hoſtiam pro peccato, & ſacrificia animalium lege præſcripta, cum primum ſibi locum meritò depoſcat lex, ejúſq; reverentia, atq; obedientia, poſtpoſitis propriis illis devotionibus privatis?

Vel 2. Cum tantis à Deo beneficiis per remiſſionem peccati affectus ſis, quid in verbalibus tantum occuparis laudis ſignificationibus? Cur non ad realia ſacrificia, & holocauſta Deo immolanda te actutum accingis? Quibus Spiritu Prophetico, per ſingularem à Deo revelationem edoctus reſpondet: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis.* q. d. Non ignoro veteris legis meæ ſacrificia, nec ea reprobo penitùs, qui iis etiam uſus ſum, utárq; ubi uſus erit, veluti accidit poſt occiſa 70. millia propter peccatum numerati populi. 2. Reg. 24. *Nam & holocauſta medullata offeram tibi Domino cum incenſo arietum, offeram tibi boves cum hircis.* Pſ. 64. Sed ſcio etiam fide divinâ illuſtratus hæc ſacrificia veteris legis noſtræ non eſſe niſi umbras, & figuras ſacrificiorum legis novæ, quæ tempore Meſſiæ erunt, ſcio, inquam, non eſſe illa niſi *infirma, & egena elementa*, quæ gratiam ex ſe non poſſint conferre, nec peccata abolere. *Nam impoſſibile eſt ſan-*

ſanguine taurorum auferri peccata. Hebr. 10. Scio etiam, ſi quam vim habent, eam ex præſignificatione, vel cruenti ſacrificii pro redemptione mundi in ara Crucis à Chriſto Salvatore offerendi, vel incruenti ab eodem, velut *Sacerdote* ſummo. Hebr. 3. *Secundum ordinem Melchiſedech* libandi in SS. Euchariſtia mutuari, quorum reſpectu meræ *umbræ* ſunt ſacrificia noſtra antiqua. *Umbram enim futurorum habet lex non ipſam imaginem rerum.* Gal. 4. Hebr. 10. Prævideo inſuper imminere tempus, quo legalia ſacrificia noſtra abolebuntur, & velut morticinium execrationi erunt, etſi de præſenti nunc fortè delecteris aliquatenus; tunc certè *holocauſtis non delectaberis* ullatenus. Et ut iſta non forent, novi quid per Samuelem Sauli anteceſſori meo ſit dictum. 1. Reg. 11. *Nunquid Dominus vult holocauſta, & victimas, & non potiùs ut obediatur voci ejus? Melior enim eſt obedientia, quàm victima*, & quod adjicietur: *Salutare ſacrificium eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate.* Eccl. 35. Item quid per Oſeam Deus locutus ſit c. 4. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei magis, quàm holocauſtum. Nam religio munda eſt, & immaculata apud Deum* (ſive hoſtiæ, ac victimæ Deo placentes) *hæc eſt viſitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum.* Jac. 1. *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Hebr. 13. Et quæ ſimilia frequenter inculcat, inculcabitq; per ſuos Prophetas, fideleſq; Servos Deus. Hæc cum non ignorem, quæ Deo acceptiſſima ſunt, ipſi meritò ante omnia offero, oblaturus victimas, & holocauſta animalium omnis generis ſine numero, ſi iſta illi inſuper allibeant.

Ex quibus *Quintus ſatisfactionis Chriſtianæ actus* eruitur, qui eſt exemplo Davidis Deo opera ſupererogatoria, ultra ea quæ præcepta ſunt, offerre. Eſto enim per hæc ſatisfiat à nobis, ſunt tamen illa ſecuriora, & accommodatiora ad ſatisfaciendum. Atq; ea inſuper offerre illi non ſine delectu, nempe quæ Deo gratiſſima fore arbitramur: Neq; limitem illis, menſurámq; ponere, ſed liberali animo cumulatiſſimè ea in Deum profundere. Quo enim liberaliorem ſe erga Deum quis exhibet, eo viciſſim erga ſe Deum liberaliorem experietur, non enim vincitur à nobis, ſed vincere nos ſtudet liberalitate ſemper, hoc enim modo eveniet: *Accedet homo ad cor altum*, generoſo, & magnifico animo bona in Dei obſequium profundens, *& exaltabitur Deus* quotidiè majora, & copioſiora in hominem conferens, ut munificen-

tia tantò magis appareat: id verò à nobis fiet, ſi non tantùm & opera, ad quæ obligamur, & quæ præcepta ſunt Deo offeramus, ſed etiam quæ illi maximè placitura ſcimus, & ad incrementum majoris gloriæ, honoriſq; divini tendere. Præſertim autem omnium ſacrificiorum Veteris Teſtamenti unicum ſcopum, & per ea præſignificatum ſacrificium ſacrificiorum auguſtiſſimum Paſſionis, & mortis Divinæ Cruentum in Cruce, & Incruentum Euchariſtiæ ſive in Miſſa, ſive in Communione, de quo per Malach. c. 1. Deus: *Ab ortu Solis usq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ut proinde veriſſimè pœnitens Chriſtianus dicere cum Davide poſſit: *Holocauſtis* (aliis præ his nempe) *non delectaberis.* Quæ longè gratiſſima accidunt, *ſi in Spiritu humilitatis, & in animo contrito oblata ſuſcipiantur à te Domine* (ut orat Eccleſia) *& ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo, ut placeat tibi Domine Deus.*

Qui eſt *Sextus actus ſatisfactionis*, aliorum quaſi Achates, & fidus ac individuus Comes, & per quem illi multò adhuc acceptiores fiunt, quem v. 19. continet: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Vocat autem Spiritum contribulatum, & cor contritum, & humiliatum illum animi affectum, qui propter agnitionem, & ſenſum acrem peccati, in quantum contra Deum ſummum bonum commiſſum eſt, fractus, afflictus, & proſtratus in ſola Dei miſericordia ſpem ſalutis collocat. Hanc animi affectionem affirmat eſſe ſacrificium Deo acceptiſſimum, quando videlicet homo agnoſcens hinc miſeriam ſuam, inde miſericordiam Dei; hinc ſua in Deum peccata, inde Dei erga ſe beneficia; hinc ingratitudinem, & infidelitatem ſuam, inde liberalitatem, bonitatem, & charitatem Dei erga ſe; humiliatur ſub potenti manu Dei, & illi honorem, & gloriam, ſibi verò confuſionem, & ignominiam tribuit, cum Daniel. 9. *Tibi Domine Deo noſtro miſericordia, & propitiatio; nobis autem confuſio faciei, quia peccavimus* tibi, atq; ita velut in nativum pulverem, & cinerem ſe comminuit, ſicq; contritum, atq; in nihilum propè redactum divino conſpectui ſubjicit. Hoc illud cordis contriti, & humiliati ſacrificium eſt, quod quantò à ſe magis imminuitur, tantò à Deo minus deſpicitur. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Ad quem enim reſpiciam.* Iſa. 66. inquit, Deus, *niſi ad pauperculum*

& con-

& contritum Spiritu, & trementem ſermones meos. Et Pſ. 33. *Propè eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles Spiritu ſalvabit.* Hic ille Spiritus humilis, & contritus eſt, qui gratiſſimæ fragrantiæ, atque odoris ſuaviſſimi ad demulcendum ipſum Deum extitiſſe in S. Maria Magdalena, S. Petro, S. Paulo, uti & in Davide, cæteriſq; experientia teſtatur Evangelica, & ſacræ Scripturæ cæteræ. Sicut enim aromata in mortariolo contrita, & contuſa, fragrantiam, virtutémq; ſuam diffundunt efficaciſſimè, & latiſſimè: ita cor humile pœnitentis per contritionem compreſſum, & contuſum de ſe jure dicere poteſt: *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.* Eccl. 24. Adeò *cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.*

Reſtat Clauſula Pſalmi, & ultimò duo 19. & 20. verſus: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium Juſtitiæ,* &c. Quibus quid & pro quo S. Rex pœnitens oret, non ita liquet.

Alii volunt eum orare pro Civitate Hieruſalem, & monte ſuo Sion, prout tunc erant nondum ſatis firma, & munita; ne Deus ea propter ſuum Regis eorum peccatum in excidium tradat hoſtibus, ſed permittat muris, & munimentis perfici, fore enim tunc, ut tum à ſe, tum à ſubditis, Deo offerantur nobiliſſimæ, gratiſſimæq; victimæ, ac oblationes, quas acceptaturus ſit Deus animo placidiſſimo.

Alii deprecari eum, ne ſuum peccatum Deus in ſubditis plectat, ſicut 2. Reg. 24. quando ob numerati populi delictum 70. millia paucarum horarum ſpatio perempta fuerunt.

Alii templum à Salomone exſtruendum (pro quo immenſam vim auri, argentiq; collegerat) illum Deo offerre, & commendare; in cujus dedicatione innumera ſacrificia, & holocauſta immolanda ſint, ut ex lib. 3. Paral. patet, quæ cum grata acceptatione Deo placitura ſint.

Alii illum pro reædificatione Hieroſolymæ, quam Spiritu viderat evertendam, ob populi peccata, &, ut tempore Neemiæ accidit, reſtaurandam iterum, preces ſuas interponere, eo fine, ut poſt punitum à Deo gentis peccatum, actámq; pœnitentiam, Spiritu humiliato, oblationes ab iis factæ Deo gratiores eſſent.

Fuerunt qui tempore Theodoſii, cum Eudoxia Imperatrix, ejus conjux muris Civitatem denuò Hieroſolymitanam circundare, in ea

baſilicas ædificare, & dotare; monaſteria fundare, aliáque Chriſtianæ pietatis monumenta erigere meditaretur, adulabundi Prophetiam hanc de illa tunc interpretarētur, capto omine à nomine ejus, quod in græco reperitur: *Benignè fac Domine in bonâ voluntate tuâ* (græcè ἐν τῇ εὐδοξίᾳ) ſed expoſitionem merum palpum fuiſſe commonſtravit eventus.

Theodoretus, Eutym. apud Bellarm. & ſecundum hos Hieron. Caſſiodor. aliiq; PP. volunt, hanc eſſe Prophetiam de nova Sion, ſeu Eccleſia novæ legis inſtauranda à Salvatore noſtro Chriſto, qui Benignitas & Bonitas, ſeu bona voluntas Dei in Incarnatione ſuâ dicitur, veluti loquitur Apoſt. ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri Dei* (qui mundo benignè fecit in hoc myſterio) *non ex operibus Juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſeu in in bona voluntate ſuâ* (quomodo græcum εὐδοξία Interpretes *beneplacitum.* Hieron. *rectiplacentiam.* Budæus *ultroneam*, *bonámque affectionem* exponunt) *ſalvos nos fecit.* Hæc, inquam, à Chriſto Salvatore velut ex parietinis Synagogæ abolitæ reædificata, & tanquam nova Civitas Sion erecta, & novis legibus, conſiliiſq; quaſi muris eſt circumdata, in qua vera ſacrificia, ſive *realia*, ut illud præſertim ſacrificium mortis Domini in cruce, quod ſacrificium Juſtitiæ vocatur, non ſolùm propter offerentem Sacerdotem Juſtiſſimum, & Sanctiſſimum. *Talis enim decebat, ut eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, excelſior Cælis factus,* &c. ut Hebr. 9. Apoſtolus eum deſcribit: nec propter victimam tantùm oblatam item ſanctiſſimam, qui Chriſtus homo Deus eſt, *nam per Spiritum S. ſemetipſum obtulit immaculatum Deo in odorem ſuavitatis.* Ibid. ſed tum propter ſatisfactionis modum præcipuè, quo ex Juſtitia ſtrictè, & rigorosè ſumptâ pro peccatis noſtris æterno Patri ſatisfecit, pretium offerendo infinitum in redemptionem noſtram; tum quod per hoc ſacrificium verè juſtificati ſimus à peccatis, & omnis Juſtitia, & Sanctitas noſtra ex hoc in omnes dimanet ſecus quam de antiquis ſupra dictum, tum deniq; quod per hoc Juſtitia Dei erga peccatum nobis maximè innoteſcat. Uti & oblationes diviniſſimæ Euchariſtiæ in miſſa. Sive præter hæc realia, etiam *ſpiritualia*, ut Pœnitentiæ, Religionis, Martyrii, & alia; quæ holocauſta, & vitulorum immolationes, in altari cordis factas Deus perquam gratas ſit habiturus. Cui etiam Sioni novæ ſe Spiritu Prophetico admiſcet, & per fidem in illam, ejúsq; authorem Chriſtum, & ſacrificia ejus, ſuis meritis,

ritis, & ſatisfactionibus virtutem omnem depoſcit. Hæc expoſitio literalior præ cæteris videtur, nec enim in aliis ſatis cohæret, quo modo holocauſta legalia, quibus Deum non delectari v. 17. dixit, grata mox iterum, vel à ſubditis, vel ſucceſſoribus oblata, acceptáq; futura eidem Deo ſint, niſi ad ſacrificia novæ legis Spiritu Prophetico hæc extendantur.

Deniq; S. Aug. per Sion, pro qua Deum precatur, ut & *in bona voluntate ſuâ benigne ei faciat* intelligit Sion cœleſtem. Cui accedit S. Bernard. qui jungit cœleſti terreſtrem; & utriq; tam militanti, quàm triumphanti Eccleſiæ communem Davidis facit apud Deum interpellationem. Ex duobus enim parietibus illa Sion nova exaleſcit, quorum alter conſtat Angelis, per ruinam Luciferi, Angelorúmq; complicum collapſus ex parte; alter ex hominibus, quorum pars magna eandem etiam tracta eſt in ruinam. Pro utraq; ergò Deum interpellat, quaſi dicas: Hîc, O Domine, condona peccatoribus in nova Sion, Eccleſiâ militante, ut ne deſint, qui coronentur in Cœlo, ſeu triumphante, & ita reſtaurentur muri Hieruſalem cœleſtis, *benignè fac*, inquam, illis exhibendo te clementem in terris, ut vacuæ ſedes Hieruſalem ſupernæ impleantur; & inter illos condona mihi peccatori, ut ad illam etiam cum cæteris perveniam. *Tunc enim acceptabis ſacrificium Juſtitiæ*, juſtiſſima, vel ſanctiſſima, ac perfectiſſima ſacrificia laudis, ſcil. & gratiarum actionis, quæ tibi offerre licebit, *miſericordias tuas in æternum cantando.* Pſ. 38. omniſq; generis oblationes, & holocauſta, & vitulos labiorum gratiſſimos, qui in omnem tibi offerentur æternitatem.

Quicquid de his expoſitionibus ſit, hoc ſaltem ſtatui certum ex iis poteſt: à Davide pro aliis precationes in ſatisfactionem Deo acceptiſſimam offerri. Unde

Actus tandem *ultimus ſatisfaciendi* pœnitentis rectè conſtituitur: *pro aliis ex Spiritu miſericordiæ Deum interpellare*, ut eandem illis gratiam perfectæ reconciliationis elargiatur, quo tandem ſive in hujus vitæ Sion, ſive præſertim in altera cœleſti, Deus perfectius pro nobis, & de nobis ab aliis quoq; laudetur; atq; ita honor ejus per noſtra peccata imminutus reſarciatur iterum per nos quorumcunq; tandem ope. Sicut enim ad impetrandam Dei miſericordiam medium convenientius non eſt, quam miſericordiam aliis impendere Chriſto teſte Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.* Ita ad referendas

gratias

gratias pro miſericordia obtentâ donum Deo gratius reddi non poteſt, quàm ſi eandem miſericordiam aliis communicaveris. Quo nomine uti villicus iniquitatis in Evangelio laudatur Luc. 16. & ſi remiſiſſet debitoribus ex bonis etiam quæ Domino debebantur, ita in exteriores tenebras projicitur, qui poſt remiſſum debitum decem millium talentorum, ex mera patientiâ quam ſuppliciter rogaverat, conſervo denarios centum debenti immiſericordem ſe exhibuit. Matth. 18. Quare praxis virorum devotorum, quæ hunc actum confirmat, in pœnitentiæ Sacramento obeundo multum laudabilis eſt, ſummorum Pontificum indulgentiis, (ut variis ex bullis conſtat) approbata, & honorata; ut poſtquam pro ſuis peccatis juxta Confeſſarii ſententiam, impoſitámq; pœnitentiam accuratè, & quamprimùm ſatis fecerunt, Deum interpellent, ſive pro conſtitutis in mortis articulo, ſive defunctorum animis in purgatorii pœnis, ſive pro illis qui extra ſtatum gratiæ divinæ miſerabiles verſantur, ſive ſint infideles, ſive hæretici, ſive peccatores; ut omnes Deum, & quem miſit JESUM Chriſtum Filium ſuum agnoſcant, colant, diligant, atq; ita ædificentur muri Jeruſalem utriusque, & reſtaurentur ruinæ Sionis, divinúsq; honor peccatis noſtris læſus omni meliori modo reſtauretur, imò amplificetur; Benefactoriq; Deo gratiarum actionis genus multò gratiſſimum rependatur.

Affectus Pœnitentis. Ex S. Auguſt. med. cap. 2.

ECce, O miſericors, & miſerator Domine Deus meus! quàm multa elucet ſimilitudo inter meum, & pœnitentis Servi tui Davidis delictum, quàm geminum etypum tuæ erga me ipſúmq; miſericordiæ! Ah utinam ſimilis foret imago pœnitentiæ utriusque! Heu! ego infelix, *ego te etiam irritavi, ego malum quoque coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui. Peccavi, & paſſus es; deliqui, & adhuc ſuſtines; ſi pœniteo, parcis; ſi revertor, ſuſcipis. Inſuper dum differo, præſtolaris. Revocas errantem; invitas repugnantem, exſpectas torpentem, amplexaris redeuntem, doces ignorantem, mœrentem mulces, à ruina ſuſcitas, poſt lapſum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, & pulſanti aperis. Nunc ergò Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, confige timore tuo carnes meas, quatenus quæ minaris metuendo evadam; & redde mihi lætitiam ſalutaris tui, ut quæ ſpondes diligendo*

[illegible] Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum Deus meus, refugium meum, ſuggere quid de te cogitem, doce quibus te ſermonibus [illegible], da quibus operibus tibi placeam. Scio namque, ſcio, [illegible] quo tu placaris; & aliud quod non ſpernis. Eſt utique tibi Spiritus contribulatus ſacrificium, & acceptas cor contritum, & humiliatum. His me, Deus meus, adjutor meus, dita muneribus; his contra [illegible] protectionibus hic de flammis vitiorum præſta refrigerium, hic autem [illegible]iorum paſſionibus pande pium refugium. Benignè etiam fac in bona voluntate tuâ Sion Eccleſiæ tuæ, tum Militanti in his terris ad eam aggregando infideles, hæreticos, peccatores, tum alterius vitæ, animarum Chriſtianarum e purgatorii flammis liberatione in[illegible] ruinas Angelorum lapſorum, ut imponant ſuper altare gloriæ tuæ vitulos labiorum ſuorum te æternum laudantium, eosq; accepres in ſacrificium ſempiternum Juſtitiæ tuæ, & holocauſta gratiſſima in perpetua ſæcula amoris igne cremanda.

ORATIO.

Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam, miſericors, & miſerator Dominus: ut iniquitatem meam ego humiliter agnoſcam, [illegible] me peccaſſe amore tui intime doleam: eáque per ſinceram confeſſionem divino conſpectui expoſita tu deleas, mundes, abluas hyſſopo pretioſi ſanguinis tui, ut ſic ſuper nivem dealbatus, dignos fructus pœnitentiæ, ſatisfactionis, & gratiarum actionis, in Eccleſia Militante hic corde contrito, & humiliato referam: & cum Sanctis cæleſtis Sion in[illegible] ſacrificia, & holocauſta ſempiterna laudis tibi acceptiſſima ſuper altare cæleſtis gloriæ tuæ immolem in perpetuas æternitates. Amen.

NB.

Quia Pſalmus hic 50. unus ex præcipuis eſt, quoq; frequentiùs utitur Eccleſia, ſive in Officio Horarum, ſacrationibus præſertim Adventus, [illegible] ſive in aliis functionibus Eccleſiaſticis, Sacramentorum adminiſtratione, &c. Tum quia etiam apud Chriſtianos privatim quotidiano penè in uſu eſt, maximè [illegible], & indulgentiæ peccatorum conſequendæ

dant operam: Et quia deniq; ſinceræ pœnitentiæ exemplar ſiſteri poteſt, cujus actus, ut ex illius expoſitione facta videre eſt, nobiliſſimè complectitur: prolixiori explicatione illi immorari tanquam præcipuo inter Pſalmos pœnitentiales volui, pro clauſula, & coronide primæ partis meditationum in primum quinquagenarium Pſalmorum Davidis, reſpondentem viæ purgativæ, ut in Præfatione dixi: idque, ut confido, ad uberiorem fructum devotorum Chriſtianorum, & majorem Dei gloriam præſertim. Servaturus in cæteris deinceps, quantum Deus dederit, uſitatum hactenus brevitatis modum.

FINIS.

INDEX

Rerum eorum, quæ in hâc primâ parte notatu digniores conveniuntur.

A.

Adventus Chriſti duplex, primus in carne, alter in judicio, &c. 4[illegible]. Vide Chriſti adventus.

Adventus Salvatoris noſtri ad reparandam naturam humanam per peccatum corruptam. 76

De Chriſti adventu deſiderium, & gaudium. 78

Adulteria, & homicidii Davidis punitio. 209

Æmulandum non eſt propter impiorum fortunam, & ſucceſſus proſperos. 241. Item Remedia contra dictam æmulationem. 255

Amor Chriſti Domini erga inimicos. 241

Amoris [illegible], ejuſq; incentiva. 95

Amor Euchariſtiæ. Vid. Euchariſtia.

Anchora fortis, vel recurſus ad Deum in tentatione. 8

[illegible] fallaciæ mundi, & fidelitatis Dei. 66

[illegible] Alexipharmaci contra [illegible] peccatorum ob [illegible]. 254

Apoſtoli Cœlis comparantur. 111

Aquæ miſericordiæ divinæ fluunt cum impetu; aquæ vero divinæ Juſtitiæ guttatim ſtillant. 425. *Vide miſericordia.*

Aqua ſignificat gratiam divinam, quâ mundamur, & dealbamur. 447

Arcana Sapientiæ Davidi manifeſtata, quænam ſint. 444

Arcanorum horum tria præcipua ſunt. 1. Eſt quod Dominus tranſtulerit peccatum ejus. 2. De Sacramento baptiſmatis inſtituendo tempore Meſſiæ. 3. De Sacramento pœnitentiæ. 444. & 445

Aſperſio hyſſopi umbra, & figura fuit ablutionis animarum per gratiam ſanctificantem in ſacramentis baptiſmi, & pœnitentiæ. 446. &c.

Aſpergillum ex hyſſopo, ligno cedrino alligato vinculo coccineo, quo poſtes, & limina cruore agni aſpergebantur contra Angelum percuſſorem, quid ſignificet? 446

Ars pugnandi contra hoſtes animæ. 1[illegible]6

Ars bene vivendi, & moriendi

Media quinq; id præſtandi. 281. *& ſeqq.*
Aſylum in adverſitatibus, & tentationibus divina confidentia. 89

B.

Baptiſmi, & pœnitentiæ figura. 446
Beatitudo viri juſti in virtute ſita eſt. 5
Beatitudo juſtorum arbori comparatur. 7
Beatitudo impiorum tranſitoria, fucata, vana. 9
Comparatur pulveri terræ, & paleæ minutiſſimæ ibidem.
Benefaciendi omnibus conſtans voluntas exemplo Chriſti Domini, eius modus, & media. 83. & 84
Bilanx trutinandæ hinc malitiæ hominum; inde Dei in eis juſtificandis, & beatificandis miſericordiæ. 247
Bonitas & miſericordia Dei quanta ſit erga peccatores. 249
Bona huius, & alterius vitæ pro juſtis reſervata. 250

C.

Calumniæ. Vid. Contra calumnias.
Cantes Marpeſiæ mediis in fluctibus, ſeu Deo protectore nihil timendum in quacunq; rerum perturbatione. 363
Cervi ſitiendo anhelatus, ſeu animæ piæ ad perennis vitæ fontem aſpiratio. 319
Chriſtus hominum Magiſter, & Doctor. 298
Chriſtus ſe obtulit ad [illegible] *moriendũ pro* [illegible]
Chriſtus Paſtor optimus, [illegible] *mus, & potentiſſimus* [illegible] *providentiæ Dei media* [illegible]
Chriſtus qualis Rex. [illegible]
Chriſtus regnum a Patre [illegible]
Chriſtus Rex aliis modis [illegible] *tos obedientes, aliis* [illegible] *ctarios.* [illegible]
Chriſtus æterno Patri [illegible] *ſertim redemptionis* [illegible]
Chriſti adventus [illegible] *in carne, alter* [illegible] *triusq; adventus* [illegible] *maieſtas ibidem. V.* [illegible]
Chriſti dolorum [illegible]
Chriſti deſiderium [illegible] *vita patiendi, &* [illegible]
Chriſti amor erga [illegible]
Chriſti paſſionis [illegible] *129. V. Paſſio Chriſti.*
Chriſti regnum. [illegible]
Chriſti Regni amplitudo, [illegible] *tum, cauſa meritoria,* [illegible] *ptrum regium.* [illegible] *muneris, quod Chriſtus* [illegible] *a Patre accepit,* [illegible]
Chriſti Sponſæ [illegible]
Chriſti victoria, & effectus [illegible] *vum.* [illegible]
Chriſti Thronus [illegible] *hoſtibus.* [illegible] *gelis, ſive Judæis, ſive* [illegible] *ſive Hæreticis.*

[illegible] ad ſe[illegible]andum re-
[illegible]. 16
[illegible] incarnando vota, &
[illegible]clamationes. 18
[illegible] inter & Eccleſiam matri-
[illegible]mum, fructus, &
[illegible].
[illegible] faſciculus hyſſopi. 446
[illegible] eſt per Agnum,
[illegible], Vitulam rufam, &c. ib.
[illegible] in ſua Incarnatione dici-
[illegible]as, benignitas, ſeu bona
[illegible]. 478
[illegible] patientiæ exemplar ab-
[illegible]. 239
[illegible] peccati contra peccatorem. 440
[illegible] ſpirituale contra hoſtes,
[illegible] imploratio divini auxilii in
[illegible]. 234
[illegible] gemitus. 194. & 199. Vide
[illegible] Gemitus.
[illegible]na ſunt fiducia in Deo,
& r[illegible]. 201
[illegible] erga Chriſtum patien-
[illegible] & erga pauperes fructus
[illegible]. 304
[illegible] viros, & Prædicato-
[illegible]. 111
[illegible] David qualis fuerit. 210
& 443
[illegible] peccatorum eſt primum
[illegible] puritatis, & innocentiæ
[illegible] conſequendæ, tum conſer-
[illegible]. 208
[illegible] debet eſſe [illegible], doloroſa,
verecunda. 443. Item vera, ſin-
cera, candida, aperta, integra. 444
Confeſſionis, & pœnitentiæ fructus
eſt renovatio animæ, cujus pars
candidiſſima eſt ejus puritas, &
pulchritudo. 445
Confeſſionis ſinceræ fructus eſt pax
conſcientiæ, jucunditas, lætitia,
& gaudium. 450
Confidentia in Deum motiva præci-
pua. 364
Confidendum in Deo in omni adver-
ſitate. 20
Confidentiæ hujus rationes ſeptem.
ibid.
Ejuſdem fructus ſuaviſſimus. 28
& 29
Dei favores erga confidentes ſibi.
203
Conſcientiæ bonæ teſtimonium quid
ſit. 450
Conſcientiæ malæ ſupplicium, & in-
quietudo. ibid.
Conſcientiæ tranquillitas, & gau-
dium ſpirituale eſt regnum Dei
intra nos. 458
Conſilia & conatus Judæorum irriti
contra Chriſtum Dominum. 242
Contemplatio Dei ex creaturis, &
lege divinâ. 109
Contemplatio, & adhortatio Juſto-
rum ad laudandum Deum. Item
ſeptem tituli laudandi Deum.
219
Contemplationis hujus fructus. 220

Contra calumnias paſſivas quatuor remedia. 40
Contra calumnias, injurias, & obtrectationes aliorum remedia tria. 42
Contra calumnias alia remedia. 457
Cor mundum cur dicitur creari, & quid ſit cor mundum. 455

D.

Davidis confeſſio qualis fuerit. 210. *Vid. Confeſſio.*
David pœnitentiæ ſpeculum. 419
David cur petit amplius lavari ab iniquitate ſuâ. 429
Davidis punitio ob adulterium, & homicidium. 209
Davidis remedia duo ad vitanda peccata. 274
Davidis Regis gloria, quod Pſalmi ejus in Eccleſia quotidie canantur. In Dedicat.
David quantopere doluerit de peccatis ſuis, & ex quo motivo? 437
Deus Bellatori comparatur, quænam ſint ejus arma defenſiva, quæ offenſiva. 235
Dei bonitas erga peccatores quanta ſit. 249
Dei contemplatio ex creaturis. 109
Dei favores erga confidentes ſibi. 203
Dei fidelitas ſinceriſſima erga ſuos. 67
Dei procedendi modus, quo utitur erga Creaturas. 153
Dei providentia paſtoralis quænam ſit. Media ejus quatuor. 141
Deum offendere quam ſit [illegible] dum. [illegible]
Deſiderium animæ [illegible] cæleſtem patriam quale [illegible] eſſe. [illegible]
Deſiderium erga cæleſtem [illegible] à tribus conditionibus [illegible] ter ſuccenditur. [illegible]
Depr[illegible] Chriſti Incarnationem. [illegible]
Devotionis [illegible] in qua [illegible] ſtat. [illegible]
Divina lex libro comparatur. [illegible]
Eſt Cœlo & Soli [illegible] [illegible]
Divina juſtitia, & [illegible] ſtillant guttatim. [illegible]
Divina miſericordia [illegible] tur. 425. *Vid. Miſericordia Di[illegible]*
Divina providentia [illegible] Vid. Providentia.
Divina providentia erga [illegible] juſtos. [illegible]
Divina miſericordia [illegible] calamitatibus. [illegible]
Divinæ potentia [illegible] [illegible]
Divinæ Veracitatis [illegible] [illegible]
Divinæ miſericordiæ [illegible] [illegible]
Divina protectio [illegible] medium. [illegible]
Divina providentia erga [illegible] mium. [illegible]
Divini auxilii effectus [illegible] [illegible]
Divini auxilii imploratio [illegible] tribulatione. [illegible]

Divitum & potentum in ſuis divitiis, & potentia confidentium miſeria, pœnæ & infelicitates, quarum peſſima & coronis omnium eſt, quæ eſt alterius vitæ. 396. & *ſeq.*

Divitum potentia non immodicè timenda juſtis; nec eorum felicitate, & exemplo à juſtitiæ tramite recedendum. 402

Dolor ſpiritualis animæ unde oriatur, & quanta fuerit in Davide, præſertim de Meſſia & Salvatore cogitante. 458

E.

Eccleſia Sionis, & civitatis Jeruſalem nomine ſignificatur. In Præf.

Eccleſia quo affectu à filiis ſuis proſequenda. 390

Eccleſiæ fundatio, & dotatio. 177. & 184

Eccleſiæ dilatatio. 383. & *ejuſdem ſumma eminentia.* 384

Eccleſia Sponſa novem encomia. 349. & *ſeqq.*

Eccleſiæ utriuſque, vel animæ ſtatus comparatur, in quo multis, & gravibus calamitatibus oppreſſa fuit, & quomodo iſto in ſtatu ſe geſſerit. 331. & 334

Eccleſiam adjuvandi in ſuis tribulationibus modus admirabilis, & ſuaviſſimus, iſq; quadruplex. 368

Elevationes ad meliora, piæ ad Deum motiva & adminicula. 151

Encomia Sponſi Chriſti, tredecim. 337. *uſq; ad* 348

Encomia Sponſæ Sponſa Eccleſiæ. 349

Epigraphe oviculæ Chriſti. 145

Epithalamico-panegyricum carmen, ſive Encomia Sponſi.

Evangelii prædicandi munus quando Chriſtus inceperit. Item hujus prædicationis materia, & locus.

Euchariſtia tabernaculum, & altare eſt animæ perfugium. 324 *Modus ſe præparandi ad SS. Euchariſtiam.* 324. *Ubi duplex actus præſcribitur.* 326. & 146. *ubi de eadem præparatione agitur.*

Euchariſtici affectus Chriſto Regi ab æterno Patre exaltato 124

Extaſis ob hominis ad finem ſupernaturalem procreati dignitatem, 44

F.

Fallaciæ mundi, & fidelitatis Dei antitheſis. 66

Fallacibus mundi plures, quàm fideliſſimis Dei promiſſis adhærent. 69

Faſciculus hyſſopi quid ſignificent. 446

Favores Dei erga confidentes ſibi. 203

Fauſtæ acclamationes, & affectus apprecatorii, vel vota Chriſto Regi incarnando. 18

Felici ſtatu juſtorum excidendi periculum duplex. 152

Fidelitas Dei erga ſuos. 67

Fiduciæ in Deum motiva, ac media. 22. & *ſeq.* & 89. &c. *tum ex parte no-*

te noſtrâ, tum ex parte noſtrorum.
Finis hominis quis ſit. 30
Quænam media ad hunc finem. 46. Item de indifferentia circa media utendo iis in tantum, in quantum ad finem noſtrum conferunt. 47
Fraudulentia fallacis mundi mundanorúmq; hominum. 66
Funiculus triplex, ſive triplex unio cum Deo, per orationem gratiam & gloriam. 30

G.

Gaudium ſpirituale quid ſit, & unde oriatur, & quis ſit ejus effectus. 458
Exempla eorum, qui hoc gaudio abundarunt. ibid.
Gemitus columbæ, animæ piæ ſcil. in afflictionibus. 194
Gemitus animæ quinque. 199
Gratia divina ſanctificat, mundat, dealbat, & ornat animam. 447
Unio cum Deo per gratiam in quo conſiſtat. 32
Gratiæ pro beneficio Redemptionis. 48. & 49
Gratiæ pro gratiâ & beneficio Redemptionis. 290
Gratias Deo ſemper agere tenemur. 189
Gratiarum actio ob liberationem, vel præſervationem à periculo. 225
Gratiarum actionis modus optimus [illegible]

eſt, primò ut ſuo [illegible] alios inducat ad [illegible] Deo. 2. ad filialem [illegible]
[illegible]
Gratitudinis affectus [illegible] quadruplex. [illegible]

H.

Holocauſtis cur Deus [illegible] lectari. [illegible]
Hominis finis quis ſit? [illegible]
Hoſtium rebellium regni Chriſti [illegible] ritus conatus, [illegible] teritus. 12. 1[illegible]. Vide Chriſti [illegible] nus inconcuſſus.
Hoſtium noſtrorum in hac [illegible] oppugnantium [illegible] rocitas. [illegible]
Hyſſopi faſciculus quid ſig[illegible]

I.

Idea viri juſti. [illegible]
Impiorum beatitudo [illegible] cata, & apparens 9
Impiorum felicitas [illegible] les minutiſſimè [illegible] putatur. [illegible]
Impiorum mores [illegible] Chriſti Incar[illegible] [illegible]
Impiorum mors p[illegible] [illegible]
Impiorum ſtatus miſer[illegible] tremo judicio. [illegible]
In pœnam incon[illegible] Spiritus pr[illegible], & [illegible] na auferuntur. [illegible] rei extat [illegible]
Ingratitudo, & p[illegible]

[illegible] pum

pum Judæorum, & Judæ in machinanda nece Salvatori. 308
Ingratitudo mundi contra Deum, & Chriſtum Dominum. 12
Injuſtorum varia pœna. 34
Innocentia conſcientiæ remedium eſt contra calumnias, & animi anxietates 158
Innocentiæ & immunitatis à peccato tres gradus. 206
Innocentiæ hujus media. 208
Jubilatio, & congratulatio Eccleſiæ ob redemptionem generis humani, & fidei Chriſti in toto mundo propagationem. 373
Jubilationis modus quis. 376
Jubilæi ſeptem tubæ myſticæ quænam dicantur? 472. & ſeqq.
Judæ ingratitudo. 308
Judæorum impiorum contra Chriſtum Dominum conatus & conſilia, & intentio. 239. & eorum conatus irriti. 242
J[illegible]um peccati graviſſimum. 266
De ejus effectibus. 8
Juſtus comparatur ligno vitæ. 7
Juſtorum hæreditas æterna quæ? 35
Juſtorum feliciſſima in morte, & reſurrectione univerſali conditio. 401
Juſtis non immodicè timenda divinam potentia, ſi fortè eâ premantur. 402
Juſtitiæ gradus varii. 26
Juſtitiæ via. 27
Juſtitia mater eſt pacis, lætitiæq; bonæ conſcientiæ. 458
Juſtitia nomine quandoq; intelligitur etiam fidelitas Dei in ſervandis promiſſis tum generalibus, tum ſpecialibus. 442. & c.
Judæorum impiorum punitio & retributio. 236

L.

Labia Sponſæ Eccleſiæ favus diſtillans cur dicantur. In Præfat.
Lætitia ſalutaris, ſive lætitia ſalutis quid ſit. 458
Laus Dei ob fundatam & dilatatam Eccleſiam. 383
Laus & præconium Summi Opificis in condendâ & dotandâ Eccleſiâ. 177. & 184
Laus Divinæ Bonitatis, & Sapientiæ in operibus Dei relucentium. 215
Laus Divinæ potentiæ. 179
Laus Divinæ Veracitatis, Potentia, & c. 215
Laudandi Deum tituli. 219
Laudatur Eccleſia propter octo eminentias. 384
Ad laudandum Deum adhortatio, & contemplatio. 219
Lepræ comparatur peccatum. 43
Quomodo mundetur. ibid. A leprâ mundandus ſepties jubebatur aſpergi ſanguine paſſeris in veteri teſtamento, ad quid ſignificandum? 431
Lex Divina liber præclariſſimus, ex

quo Dei majeſtas, & gloria, & cætera magnalia perfectè cognoſcuntur. 12

Lex Divina Sole & Cælo pulcrior, lucidior, & hominibus utilior. 12

ContemplatioDivinarum perfectionum ex legè hauſta, fructus præclariſſimos parit. 155

Liberationis modus, quo Deus utitur in liberando ſuos à periculis, hoſtibus & adverſis. 100

Liberationem ab hoſtibus quænam concomitentur, & conſequantur. 104

Lumen triplex homini viam juſtitiæ demonſtrans. 27

M.

Marpeſia. Vide Cautes.

Macula peccati quid ſit? ejus fæditas variè depingitur per varias repugnantias cum Deo, variiſq; nominibus indigitatur. 428

Malitia hominum perverſorum quanta ſit. 247

Manna comparatur Pſalmodia. In Præfat.

Matrimonii caſtiſſimi Sponſum Chriſtum inter & Sponſam Eccleſiam fructus & effectus.

Medullæ, & ſacrificio medullato comparatur Pſalmodia. In Præf.

Miſericordia Divinæ quatuor dimenſiones, nimirum latitudo, altitudo, profunditas, & longitudo. 423

Quænam ſit differentia inter Miſericordiam Dei magnam, & inter multitudinem miſerationum ejus. 424

Miſericordia Dei fons hortorum, vel fons ſignatus; miſerationes inde profluentes aquis comparantur cum impetu, & magnâ affluentiâ inſtar torrentis de Libano decurrentibus. 425

Miſericordiæ Divinæ aquæ cum impetu fluunt; aquæ verò juſtitiæ & vindictæ Divinæ guttatim ſtillare dicuntur. 425

Miſericordia Dei arbori comparantur, cujus fructus ſunt miſerationes Dei. 426

Miſerationum Divinarum ſeptenarius numerus à S. Bernardo deſignatus. 426

Earundem flumina ſex Ibid.

Mnemoſynon Euchariſticum, ſive grata recordatio beneficiorum divinitùs acceptorum. 428

Mors peccatorum peſſima. 213

Mors juſtorum ſecuriſſima, & plaudiſſima. [illegible]

Mundi ingratitudo contra Deum, & Chriſtum Dominum conſpirantis & rebellantis. 12

Mundi fuga, & odium. 56

Mundus quid ſit, & quænam ejus abominationes & flagitia. 17. & 18

Quibus animus armetur mediis contra perverſa mundi ſtudia. 19

N. Ne-

N.

Negotium aliquod arduum pro Deo aggrediendi modus, & præparatio, & impedimenta. 121. & ſeqq.

Nix ſignificat candorem, ſive pulchritudinem, & juſtitiam animæ naturalem, 448

Super nivem dealbare dicitur candor juſtificationis, ſive gratia ſanctificans. ibid.

O.

Oblationes, & ſacrificia ſpiritualia ſunt ſacrificia pœnitentiæ, religionis martyrii. 478

Orans maximè indiget Dei gratiâ ad benè orandum: cum triplex cum triplici adverſario certamen habeat.

Orationis bonæ, quâ Deo in hâc vitâ utimur, qualitates. 4

Orantis in gravi afflictione prototypon. 172

Oratio Chriſti ad Deum pro liberatione de manibus hoſtium. 243. & ſeqq.

Oratio Chriſti pro ſe, vel pro Eccleſiâ ſuâ adjuvanda & liberanda. 300

Oſſa humiliata quid ſint; quando humiliari, & quando exultare dicantur. 450. &c.

Ovi erranti ſe comparat David. 463

P.

Paræneſis ad declinanda peccata & vitia, contemnenda tranſitoria, ſectandámq; juſtitiam. 393

Paſſionis Chriſti fructus præclariſſimi quatuor. 137. & 138

Paſſionis Chriſti repræſentatio; ejus acerbitas quanta fuerit ex S. capitibus colligitur. 129

Patientia Chriſtiana in afflictionibus ſervandæ abſolutum exemplar. 239

Peccatum clamat contra peccatorem. 440

Peccatum lepræ comparatur; & quomodo mundetur. 431

Peccati natura, & effectus. 433

Peccati gravitas & fœditas. ibid.

Quot modis peccatum ſit contra peccatorem. 436

Peccati macula quid ſit. 428

Peccati jugum quàm ſit grave, ejusque effectus octo. 266. &c.

Peccati macula cur dicatur deleri. 428

Peccatorum Confeſſio. Vide Confeſſio.

Peccatorum reliquiæ plurimæ, à quibus amplius lavari David petit. 429

Peccator excæcatus à Dæmone. 433

Peccatorum recordatio magnæ utilitatis. 436

Peccare, & offendere Deum quàm ſit horrendum. 439

Dolor Davidis de peccatis quantus fuerit, & ex quo motivo. 437

Peccantium tres ſunt gradus. 5

Tibi ſoli peccavi, cur dixerit David. 437. & 440

Peccatum Originale quamvis unum tantùm ſit, in plurali tamen dicitur: in iniquitatibus conceptus ſum, & quare? 444

Periculum excidendi à ſtatu juſtorum felici duplex. 252

Perverſorum hominum malitia. 247

Pharetra amoris. Vide Amor.

Pœna impiorum. V. Impiorum pœnæ.

Pœnitentiæ digni fructus, & effectus. 36

Pœnitentiæ medium triplex. 37

Pœnitentiæ perfectæ ſpeculum David. 271.419.&c.

Pœnitentiæ Davidicæ actus plurimi, qui confeſſionem comitantur, vel in eâ exercentur. 443. & ſeqq.

Pœnitentiæ bonæ & effectus quinam ſint. 459. *quorum unus eſt abſolutio reatus pœnæ æternæ, & temporalis ſaltem quoad partem.* 451. [illegible] & ſeq.

Pœnitentiæ perfectæ actus ultimus eſt generoſum propoſitum reſcindendi univerſa, quæ à Deo ad peccatum abducunt. 461

Pœnitentiæ figura. V. Oſſa humiliata.

Pœnitentiæ novus Doctor qualis fuerit David? quantus? quàm aptus & expertus? Quot modis docuerit, quinam fuerint ejus auditores, quæ materia ejus doctrinæ, &c. 464. & ſeqq.

Pœnitentiæ pars tertia eſt ſatisfactio. 464. *Vide Satisfactio. Satisfactionis actus ſunt ſeptem, quorum primus & nobiliſſimus eſt reparatio honoris læſæ Majeſtatis. Alter actus eſt docere etiam alios peccatores, ut convertantur ad pœnitentiam, maximè illos quos malo exemplo ſuo ſcandalizavit.*

Plauſus Eccleſiæ ob ſubditas Chriſto gentes, ipſiúſque in Cœlo regnum; invitantur autem ad lætitiam omnes gentes ob quatuor maximè cauſas. 373. & ſeq.

Proſperitas impiorum vana, & brevis. 200

Providentiæ Dei erga ſuos electos & juſtos encomium. 140. & 262

Providentia Dei 1. omniſcia. 2. ſine acceptatione perſonarum, amica juſtis, inimica perverſis, omnipotens, formidanda, æquiſſima. 64

Providentia ſummi paſtoris erga electos in adverſis quanta ſit ex 6. præſidiis colligitur. 242

Pſalmi comparantur cum Manna; Item cum ſacrificio medullato. Quo ſpiritu recitandi. In meditationes cur reducti. Pſalmorum tituli. Pſalmorum numerus, & in tres partes diviſio. In Præfat.

Pſallendi ratio, & media opportuna. [illegible]

Puritatis & Innocentiæ effectus oppoſiti effectibus peccati. [illegible]3

Puritatis perfectæ deſiderium, & in quo conſiſtat hæc perfectio. 429

Puſillanimitatis remedia. 162 169

R.

Recordatio grata beneficiorum Dei. 158

Recordatione miſericordiæ Dei, & priſtinorum beneficiorum, Dei auxilium

xilium ſperemus preſſi calamitatibus. 329
Redemptionis beneficium omni gratiarum actione dignum. 48. 49. &c. Hujus beneficii altitudo, & magnitudo. 295. Ejus ſeriem Chriſtus æterno Patri repræſentat. 295
Septem affectus quibus beneficium Redemptionis proſequendum. 53
Redemptionis humani generis, ſeu victoria Chriſti effectus novem. 50. 51. &c.
Regnum Chriſti, & ejus hoſtes. Vide Chriſti Thronus.
Regnum Dei intra nos quid ſit. 458
Regula, ſeu modus procedendi Dei, quo utitur erga creaturas. 153
Remedia duo, quæ David adhibuit ad cavenda peccata inpoſterum, alterum diffidentia ſui, & recurſus ad Deum. 274
Renovatio animæ eſt effectus pœnitentiæ, cujus effectus formalis eſt gratia ſanctificans cum charitate. 454

S.

Salutare Dei Patris eſt Chriſtus Mediator Dei & hominum. 458
Sacrificium juſtitiæ eſt ſacrificium mortis Domini in cruce & quare? 478. Item ſacrificium diviniſſimæ Euchariſtiæ in miſſa. ibid.
Sacrificium medullatorum. V. Pſalmi.
Sanctificationis ritus, modus, & origo. 447. &c.
Sanguis Uriæ contra Davidem clamavit. 469
Sapientiæ axioma. 395
Satisfactionis Davidicæ genera varia præter dicta verbo pœnitentiæ. 1. Exultabit lingua mea juſtitiam tuam. 470. 2. Laus Dei. 3. Sacrificia legalia, & holocauſta. 474. Hæc tamen ſacrificia non erant niſi umbra & figura ſacrificiorum novæ legis. Erant tantùm infirma & egena elementa. ibid.
Satisfactionis actus quintus opera ſupererogatoria. 476. Sextus Spiritus contribulatus & cor contritum. ibid. Septimus deniq; Deum pro aliis etiam interpellare, &c. 479. &c.
Scandalum parvulorum. Vid. Aphoriſmi.
Scientia ſalutis, ſeu prædeſtinationis, nec non compendioſa ad Cœlum ſemita. 79
Scutum contra timores vanos, & inconſtantiam. 62
Septies aſpergi jubetur ſanguine paſſeris mundandus à lepra. 431
Septies Chriſtus Dominus ſanguinem fudit, ut nos à ſeptemgeminâ peccati leprâ mundaret. ibid.
Septenarius miſerationum divinarum. Vid. Miſerationes Divinæ.
Septicinium Davidicum divinæ laudis annuncianda ab Eccleſia angelico Jubilo inſertum. 473
Sion Figura Eccleſiæ. 478
Sionis novæ, ſive Eccleſiæ muri ſunt no-

novæ leges, & nova conſilia. ibid. Coaleſcit ex duobus parietibus, unus conſtat Angelis, alter hominibus, &c. 479
Sol Divinæ gloriæ ſedes præcipua, comparatur Sponſo ob pulchritudinem, Giganti ob velocitatem. 111
Solis proprietates, & effectus. 131 & 141
Soterico-Euchariſticum, ſive gratiæ pro beneficio redemptionis. 48
Spiritum S. ab aliquo auferri quid ſit. 457
Spiritus Sanctus in homine inhabitans quid faciat? 457
Spiritui S. adverſatur omnis luxuria. 457
Spiritus propheticæ & ſimilia dona auferuntur in pœnam luxuriæ, & dantur in præmium virginitatis, & continentiæ. 457
Spiritus principalis quid ſit, & quam neceſſarius ad perſeverandum in in bono. 460. &c.

T.

Tabernaculum fœderis figura fuit Eccleſiæ. 178
Tentationum remedium recurſus ad Deum varius. 71
Thais peccatrix quomodo à Deo veniam peccatorum obtinuerit. 436
Thronus Chriſti inconcuſſus. 11. Vid. Chriſti regnum.
Tibi ſoli peccavi cur dixerit David. 437. & 440
Timor vanus quid ſit; ſcutum contra hunc timorem. 62
Timoris filialis Dei laus, & præſtantia, & effectus. 229. & 231. Item Media ad illum conſequendum, & ejusdem finis. 230
Timoris inordinati, & puſillanimitatis antidota. 162
Timentes Dominum beatitudines ſex. 133
Timor reverentialis & filialis qui dicatur. 453
Tribulatio. Quando Deus in tribulatione imploratus non affert auxilium, dicitur dormire, avertere vultum ſuum, oblviſci per quandam ſimilitudinem. 335
Tuba ſeptem myſtica Jubilæi. 472

V.

Via vitæ injuſtis incognita. 88
Via pertingendi ad ſanctitatem. 152. & 155
Viæ Domini variæ inveniuntur. Primò miſericordia & veritas. 2. Dei mandata. 3. Dei opera magna, & eximia beneficia. 4. Viæ novi Teſtamenti myſteria vitæ & operum Chriſti. 465. 46 &c.
Vir juſtus à Davide deſcriptus eſt Chriſtus. 10
Viri juſti idea. 5. Ejusdem deſcriptio negativa, & poſitiva. 5. & 6
Ejusdem felicitas hujus, & alterius vitæ. 7
Viri juſti deſcriptio juxta triplicem viam perfectionis, purgativam, illu-

illuminativam & unitivam. 6
Vir juſtus comparatur arbori. 7
Deſcribitur à contrariis injuſtorum ſtudiis. 9
Virginum ſanctarum in Cœlo jubilus & privilegium. 359
Virtutes quibus ad Cœlum pertingant fideles. 80.81
Vitæ hujus brevitas, vanitas, & calamitas. 285
Vitæ hujus mortalis faſtidiendæ & ad meliorem aſpirandi cauſæ quatuor. 320. *& ſeqq. Item ex hujus vitæ miſeriis ad alteram beatam pertingendi media.* 323
Vitæ præſentis faſtidium, & ad meliorem nempe immortalem aſpiratio. 285
Unio cum Deo triplex. Vide Funiculus triplex.
Univerſum hoc eſt liber, in quo legi poſſunt divina gloria, clementia, ſapientia, & cætera attributa. 110
Vox Domini quanta ſit opera prodigia in novâ lege, & Eccleſiâ; Item eadem deſignat ſeptem Eccleſiæ Sacramenta. 186
Vox exultationis & ſalutis quanam ſit. 461. *dulciſſima in auribus peccatoris.* ibid.
A vultu Domini ſui dilecti removeri triſtiſſimum, etiam condonato peccato; hujus rei ſimilitudo in Abſalone. 457. *Hoc tem removeri eſt ab intima Dei familiaritate excidere.*

Z.

Zelus inordinatus in quo conſiſtat. 254

FINIS.

VA1
1520891